REGULA D. AURELII AUGUSTINI, VGONIS DE S. VICTORE, ET VMBERTI, QUINTI ORDINIS...

Aurelius santo Augustinus (santo), Humbert : de Romans, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 M
7M
XXIII. C. 19.
~~IV. n.° 29.~~

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

REGVLA
D. AVRELII AV-
GVSTINI,

VGONIS DE S. VICTORE,

ET VMBERTI, QVINTI ORDINIS PRÆ-
DICATORVM GENERALIS MAGISTRI

COMMENTARIIS DOCTIS-
ſimis illuſtrata.

OPVS, VT ANTIQVVM, ITA
DIV DESIDERATVM, OMNIBVSQVE RELI-
gioſæ vitæ inſtitutis valde accommoda-
tum: nunc vero ſingulari methodo,
ac diligentia editum.

ADIVNCTA EST PRAETEREA
EIVSDEM VMBERTI ERVDITISSIMA
Epiſtola, de tribus Religioſorum viro-
rum votis.

Cum facultate Reuerendiſſ. Ordinarij.

M. D. LXXXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DILINGAE
Excudebat Ioannes Mayer.

AD LECTOREM.

QVOD DIV, MVLtūq́ ab eruditis, Religioſisq́; viris optatum eſt, vt Vgonis de S. Victore, atque Vmberti veteres, doctiſsimæque lucubrationes, in D. Auguſtini Regulam, de quibus multa auditione acceperamus, in lucē prodirent; id tandē, diuino beneficio, cū plurimorū, vt ſperamus, vtilitate, effectum eſt. Edita ante annos paucos, clariſsimorum virorum Ioannis Turrecrematæ, ac Smaragdi Abbatis, ſcripta olim, in D. Benedicti Regulā, Cōmentaria, multorum animos, ſancto quodam deſiderio incenderunt, vt ſimile quid in D. quoque Auguſtini Regulam haberemus. cuius voti ita nos cōpotes fecit Deus, vt nō ſolū enarrationes cū enarrationibus, ſed & earum auctores veteres cū veteribus, claros cum claris, publicos cum publicis, Religioſos cum Religioſis, eadem plane ratione, cōferre poſſemus. Vt enim ibi Smaragdus,

Abbas Benedictinus, paucis, ac facile rē agit, ita hîc Vgo, Abbas Auguſtinianus, ſtrictim ac pie ſcribit. vt vero ibi Prædicatorij Ordinis ſcriptor ſane egregius, & Cardinalis Turrecremata, fuſe, docteq; multa indagat ac decernit; ita hîc eiuſdē familiæ Generalis Magiſter Vmbertus, in eodem tractandi genere, erudite, atq; vtiliter perſeuerat. Atq; vtinam eiuſmodi Antiquorū labores nō in tenebris obruti iacerent, ſed in lucem atque in hominum conſpectum deuenirent. multo profecto plus eruditionis, ac pietatis ex iis hauriremus, quam ab infinitis propemodum noſtræ tempeſtatis ſcriptoribus, vere liceat exſpectare. Etſi vero hæc, vt diximus, antiqua ſunt, iis tamen nouus aliquis labor, atque, vt quibuſdā fortaſſe videbitur, ſplendor acceſſit. Etenim, non in his modo Cōmentarijs, ſed & in ipſa D. Auguſt. Regula, recens aliquid præſtitum eſt. Qua vtraq; in re, tantū abeſt, vt à viris bonis, atq; huiꝰ rei peritis, aut quaſi audaces repreh endi, aut quaſi temerarij coargui formidemus, vt apud eos potius nos gratiā nō exiguā

ini-

inituros, apud Deum vero mercedem non paruã nos reportaturos, cõfidamus. Quo autẽ rem paucis, ac dilucide aperiamus, duplex vtrobiq; opera adhibita eſt. prima, quod Regula hîc in duo ac triginta dumtaxat capita diſtributa ſit: quod auſi nunquam fuiſſemus, ſi vel minimã coniecturam, certum aliquẽ capitum numerum, ab ipſo D. Auguſtino, aut veteribus conſtitutum eſſe, haberemus. Cum vero quot exemplaria, totidem propemodum diſtinctiones videremus, exiſtimauimus etiam nobis eam libertatem relictã eſſe, vt, quantũ fieri poſſet, Regulã in aliquot capita, pro argumentorum varietate, redigeremus. Apud Vgonem, vndecim capitibus Regula continetur: apud Vmbertum vero, ſeptem: in Regulis SS. patrum, Louanij ante annos decem editis, duobus & quadraginta: cum Commentariis Regulæ D. Benedicti, quæ, ante annos ſex, Coloniæ prodierunt, quinq; & quadraginta: quibus in numeris, haud ſcio, an delectus certus aliquis habitus ſit; cum multa capita aut nouo plane argumento careant, aut eiuſdem, ac

ſuperiora ſint. Fateor quidem, etiam hîc quædam capita, ſi non eiuſdem, perſimilis certe argumenti eſſe. ſed quoniam ea apud B. Auguſtinum connexa non erant, noluimus illa, ſuo loco mota, in alium transferre. id enim non ſolum noui, magnique laboris fuiſſet, ſed & ingratum profecto multis, atque audax nimis ſtudium. Quod ſi in hac noſtra capitum partitione, alia aliis longiora multo ſunt: non eo tamen vitioſa illa cenſenda eſt. nam & in D. Benedicti Regula (vt in ſimili exemplo verſemur) idem non ſemel cernimus; & res, quæ proponitur, fuſiorem interdum explicationem poſtulat. Altera opera eſt, quod pro ipſo Regulæ contextu, nequaquã ſolis Regulæ ipſius exemplaribus, ſeparatim editis contenti, rem totam ad Regulã, quæ in D. Auguſtini Operibus eſt, atque ad epiſtolam centeſimã nonam, vbi illa tota fere extat, examinauimus, atq; emendauimus: modice tamen. quæ correctio non modo nullam obſcuritatẽ, quin potius magnam lucem lectori pariet: quod & ante nos, Theologos Louanienſes fe-

ciſſe

ciſſe, ex ea Regula, quam ante annos decem, illi euulgarunt, facile apparet; vt noſter hic labor, illorum diligentiæ teſtis quidam oculatus exiſtat. Pauca vero hîc ſunt, quæ cum ipſorum editione non conſentiant, ex Auguſtini tamen monumentis petita: qualia ſunt in cap. 8. ſtramentorum. *quod verbum antea non erat: cum tamen ad rem maxime illud facere videatur: quod in lectis quoque, ne dum in veſtibus, multum eſſe ſitum complures arbitrentur. In cap.* 12. *pro* nec ſolo tactu, ſed affectu quoque & aſpectu, *reſtituimus,* nec ſolo tactu, & affectu; ſed aſpectu quoque: *cum conſtet B. Auguſtinum de vna oculorum pudicitia, eo in loco, potiſsimum diſputare. In eodē cap. pro* amore, *eſt,* ardore: *qua voce res multo magis ob oculos ponitur. In cap.* 21. *pro,* ſiue aliqua imbecillitate, etiam ſiue febribus laborantium, *repoſuimus*, ſiue aliqua imbecillitate, etiam ſine febribns laborantium: *qui ſenſus vt longe alius, & clarior eſt; ita & verior, Religioſæque charitati conuenientior;*

uenientior; vt nimirum, non modo qui febribus laborant, ſed etiam aliàs ægroti, aut imbecilles curentur. In cap. 26. pro tanto ſaniores, eſt tanto ſanctiores. ſanctas enim orationes facilius, quam ſanas intelligimus. In cap. 27. etſi pro, in moribus coercendis, in epiſtola centeſima & nona, atque etiam apud Vgonem eſt, minoribus coercendis, qui ſenſus idem fere eſt: quia tamē nō modo Vmbertus & alij pleriq́;
Diſt. 86. cap. quando. ſed & Gratianus, atq; Iuo, Gratiano antiquior
6 p. cap 384. habent in moribus; nos eam lectionem mutare noluimus; quamuis minores coercere planius dici, quam mores coercere non ignoremus. Nemo igitur miretur, ſi apud hos enarratores, aliter interdum Regulæ B. Auguſtini verba legat, atque initio poſita ſunt. illa enim ætas obuiis codicibus contenta, de lectionū varietate, & fonte ipſo, non multum laborabat: vt eo etiā nomine, qualem apud eos contextū reperimus, etſi non eundem apud vtrumq́; cum nos intactū reliquerimus. Ac de Regula quidem, hæc hactenus. In Cōmentariis autem, duo etiam præ-

ſtita

ſtita à nobis ſunt; alterum, quod duo hi auctores, in vnum quaſi commentarium coniuncti ſunt; vt ſæpe vtriuſq́ enarratio ſub vnum aſpectum cadat; atq́ ita ad ſingula Regulæ capita accommodati: alterum, quod in Vmberto ſtylus rudior, ac noſtri ſæculi auribus inſuetus, limatus nonnihil eſt; non quidem vt elegans, aut plane Latinus redderetur (id enim eſſet nouũ omnino opus aggredi) ſed vt commode vtcumq́ intelligeretur. Erant enim in illo & voces multæ barbaræ, ſolis Italis, aut Gallis perſpectæ; & loquendi modi perobſcuri, vix exercitatiſſimis Scholaſticis noti. qua correctione nemo putet Umberti gloriæ quidquam detrahi; cum & illa ætate oratio eiuſmodi non improbaretur; & noſtro tempore, ſi ille ſcriberet (quod & à ſui Ordinis hominibus factum videmus) ſermone, ab hominum noſtrorum auribus non abhorrente, vteretur. Numerum porro capitum, in quæ Ugo, atq́ Umbertus ſua Commentaria diſtribuerunt, ſeruauimus; vt ſi quis, ex iis, aliquid reperire, aut allegare voluerit, id facile, ſi-

ne vlla perturbatione, poſſit. Et ne prolixum forte in vnum Regulæ caput commentarium, & continuam quodammodo enarrationem quiſpiam faſtidiret, eorum ſummas in ſingula Regulæ capita, quo ab his auctoribus ordine res tractātur, huic operi præfiximus: ex quibus, & paucis, quid in iis contineatur, & quæ ſit rerum, quas volumus, inueniendarum ratio, in promptu eſt. Huc accedit, quod, cum verba Regulæ, his in Commentariis, diſtincto charactere referantur; cuiuſq; loci explicationem inueſtigare, facile admodum, vel mediocriter verſato, futurum eſt. De B. autem Auguſtino, aut hac ipſius Regula, atque his Interpretibus dicere nihil attinet: cum diuinus is vir, clarior fama vbique terrarum ſit, quàm quacunq; oratione celebrari poſſit. Regula vero hæc, & ex illuſtribus plane viris, quos illa informauit, atq; eduxit, & ex Vgone, altero ſui temporis Auguſtino, qui in eam ſcripſit, nec non ex eius æquali D. Bernardo, qui in libro de præcepto, ac diſpenſatione, bis honorifice illius meminit, & ex

ipſo

ipſo denique auctore, quanta ſit, ſatis apparet. Vgo autem, atque Vmbertus, quo loco habendi ſint, ex ſubiectis Abbatis Tritenhemij, clariſſimi ſcriptoris, teſtimoniis, aperte conſtat. Hoc vnum, quod certe maximum eſt, præ ceteris habet hæc Regula, atque hi Commentarij; vt non vnis Auguſtinianis tantum iſta conueniant, ſed in quamcunque Religioſæ, ac ſpiritualis vitæ profeſſionem, ſane appoſite, quadrare reperiantur. nihil enim hîc de priuatis certorum Ordinum inſtitutis, ſed de communibus omnium Religioſorum legibus, ac vita diſſeritur. Etenim, ſi Canonici Regulares, hac Regula, atq; his documentis vti, & poſſunt & debent; quos tamen conſtat per Eccleſiæ leges, laxiori vitæ deſeruire; aliis profecto monachis, arctius viuẽdi genus profeſſis, quæ hic ſancte, ac Religioſe præſcribuntur, longe maxime conuenire cenſenda ſunt: vt nullus propemodum Ordo hæc ſibi, nimia, aut ſtrictiora eſſe, iure dicere poſſit. Ego vero non ad monachos modo, ac Religioſos; ſed & ad eos omnes, qui Chriſtianam

E. tra. de ſtatu Monachi ca. quod Dei ti morem.

 pie-

pietatem ſingulariter amplectuntur, quales ſunt pleræq; in Eccleſia Catholica, magno Dei beneficio, ſodalitates, atq; cœtus, pertinere hæc exiſtimo. Ex hoc volumine, tanquam è fonte non exiguo, & quibus ſe ipſos excolant, & confirment; & quibus alios hortentur, atque accendant, haurire illis licebit. Quam enim vſitata, ac propemodum quotidiana ſunt illa, quæ hîc vberrime explicantur: pro cuiusq; neceſsitate, aliis proſpicere: non generis, ſed virtutis ſtudium curare: in veſtibus honeſtatem colere: animum ad vocem, inter orandum, accommodare: carnem moderate domare: cibo, potuque temperanter vti: in inceſſu, ac moribus, modeſtiam adhibere: non corpus modo, atque animum; ſed & oculos ab omni impudicitia coercere: fratrem cum charitate admonere, & corrigere; nec non interdum punire, atque etiam ab aliis ſeparare: ſeruorum Dei ſupellectilem religioſe tractare: ægrotis, atque imperfectis, & animo condolere, & re ipſa inſeruire: illatas iniurias condonare: à litibus, cōtentionibus, ac mur-

mure

mure abhorrere: alios recte diligere: Prælatis obtemperare: ſubditis bene præeſſe: ſancta præcepta diligenter ſeruare. Hæc, inquam, Chriſtianorum fere omnium ſunt. illa vero omnium Religioſorum propria, ac præcipua: proprij nihil poßidere: victu, veſtituq́ communi contentum eſſe: ſacras, ſtatasque preces diligenter perſoluere: itineris comitem habere: litteras, aut quascunq́ res, inſcio Superiore, non accipere: res donatas, in Superioris voluntate ponere: in cõmune laborare: ſtudiorum certas horas obſeruare: perfecte obedire: Regulã ſuam accurate factis, ac moribus exprimere. quæ & ipſa, copioſe hîc tractata, reperiuntur. Epiſtola porro Vmberti, de tribus, vt ille inſcripſit, ſubſtantialibus Religionis; hoc eſt, de tribus votis, quin apte ad hoc opus adiungatur, nemo non videt; cum præſertim, quæ in ea ſcribuntur, & cum his Commentariis optime conſentiant, & æque ad Religioſos omnes pertineant. Quare ſi magnæ Reuerendiß. D. Balthaſari, Abbati, ac Principi Fuldenſi, gratiæ à bonis viris haben-

tur, quod eius opera, tã præclare ornata D. Benedicti Regula, nuper prodierit; erit profecto & ſuus gratiæ habendæ locus Reuerendis Dominis, Michaëli in Vvaldſee, Antonio apud S. Crucẽ Auguſtæ, ac Hieronymo in Vvettenhauſen, Canonicorũ Regularium Præpoſitis; quorũ ſtudio, atq; impenſa, hoc opus è tenebris atq; interitu propemodum vindicatũ, in publicum commodum, atque inſtitutionem profertur. Deus omnium ſanctarum legum, ac piorum Inſtitutorum auctor, ac ſuaſor, omnibus Religioſis viris, ſaluberrima hæc documenta, verſandi, aque obſeruandi mentem, ac vires, interuenientibus apud illum in primis ſanctiſſima Deipara Virgine, beatiſſimoque viro, ac Patre Auguſtino, largiatur.

EX CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM, SIVE ILLVSTRIVM VIRORVM IOANNIS Tritenhem Abbatis Spanhemenſis.

VGO presbyter & monachus S. Victoris Pariſienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Auguſtini, & Abbas vt ferunt ibidem, natione Saxo. vir in diuinis ſcripturis eruditiſsimus, & in ſeculari philoſophia nulli priſcorum inferior. qui velut alter Auguſtinus, Doctor celeberrimus ſuo tēpore eſt habitus, ingenio ſubtilis, & ornatus eloquio, nec minus conuerſatione quam eruditione venerandus. Scripſit multa & pene infinita opuſcula, de quibus ad manus noſtras pauca huc vſque peruenerunt. Summa ſententiarum ſuarum. lib. 1. De anima Chriſti. lib. 1. De ſacramentis. lib. 12. Didaſcalon. lib. 6. De arra animæ. lib. 1. De modo orandi. lib. 1. De laude charitatis. lib. 1. De inſtitutione nouitiorum lib. 1. In Regulam ſancti Auguſtini. lib. 1. De myſtica arca Noe. lib. 5. In Eccleſiaſten homelias ſedecim. lib. 1. In Cantica Canticorum. lib. 1. In Threnos Hieremiæ. lib. 1. In Hierarchias Dionyſij. lib. 14. De laude patrū. lib. 1. De perpetua virginitate S. Mariæ. lib. 1. Super Magnificat. lib. 1. Super Tota pulchra es. lib. 1. De amore ſponſi & ſpōſæ, lib. 1. De medicina animæ. lib. 1. De meditatione. lib. 1. De Incarnatione verbi. lib. 1. De ſapientia Chriſti. lib. 1. De vanitate mūdi. lib. 1. De ſubſtātia dilectionis. lib. 1. De ſeptē donis ſpiritus ſancti. lib. 1. In quinq; libros Moyſi. lib. 1. De diſciplina. lib. 1. De myſterijs Eccleſię. lib. 1. De ſpiritu & anima. lib. 1. De oratione dominica. lib. 2. De cōfeſsione. lib. 1. In Ezechielē prophetā. lib. 1. Epitoma Philoſophiæ. lib. 1. De nuptijs & concupiſcentia. lib. 1. In quoſdā Pſalmos. lib. 1. De natura Dei ſimplici. lib. 1. De triplici voluntate in Chriſto. lib. 1. De poteſtate & voluntate Dei. lib. 1. De ſacra ſcriptura, lib. 2. De natura animalium lib. 1. De contemplatione. lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos. lib. 1. Sermones etiam compoſuit plures & alios diuerſos varioſque tractatus. Claruit ſub Henrico Imperatore V. ANNO DOMINI.

M. C. XXX.

Ex

EX EODEM.

VMBERTVS, Ordinis Prædicatorum quintus Magiſter generalis, patria Viennenſis, Vgonis, Barchinonenſis Theologi quondam auditor: vir in diuinis ſcripturis eruditus,& declamator egregius, vita euangelicus, conſcientia purus, actione præcipuus, eloquio dulcis, & ad perſuadendum idoneus. qui Vgonem, olim ſuum præceptorem ſacræ Theologiæ pertraxit ad Ordinem. Scripſit quædam deuota opuſcula, quibus nomen eius ad notitiam poſteritatis deuenit. E quibus iſta feruntur. Super Regulam S. Auguſtini. lib. 1. Summa prædicantium. lib. 3. Geſta fratrum Prædicatorum. lib. 5. De officijs ſui Ordinis. lib. 1. De tribus ſubſtantialibus Religionis. lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos. lib. 1. Et quædam alia. Claruit Imperio vacante. Anno DOMINI M. CC. L.

SVMMÆ

SVMMÆ COMMENTA-TARIORVM VGONIS, ATQVE Vmberti in ſingula capita Regulæ D. Auguſtini.

IN proœmium: Vnde canonici ac Regulares dicantur. Regulæ finis, obſeruatio. Neceſſariam eſſe Regulæ explicationem. Commendatur Regula D. Auguſtini. Varia genera Religioſorum. Cura interior, potiſſima. Concionandi munus, apte cum Religioſa vita coniunctum. D. Auguſtini Regula concionatoribus accõmodata. Religioſa paupertas valde concionatorem decet. Regula D. Auguſtini, quare ſpeculum, & Regula dicatur. Quorſum de diligendo Deo, & proximo initio agatur; quæ particula à quibusdam omittitur. Variæ ſententiæ, quam obligandi vim D. Auguſtini Regula habeat: qua in re mens magis, quam verba legislatoris penſanda ſunt. Quomodo intra, atq; extra Monaſterium, Regula obſeruanda.

IN CAP. I. *Concordia, vitæ Religioſæ fundamentum; & quomodo paretur: cuius peſtis eſt propria voluntas. Ea, vt in primis placet Deo; ita maxime à diabolo timetur: coniunctio vero animæ cum Deo, viro Religioſo neceſſaria. Vita cœnobitica, quare reliquis præſtantior; atque eius multa emolumenta. Quæ ſint illa, quæ vnitatem turbare ſolent. Concordia in bonis, non in malis: nam in malis multum nocet. in bonis vero, & in malis, etiam eſt mala.*

IN CAP. II. *In Religione non eſt meum, ſed noſtrum. Vnitas Religioſorum maior debet eſſe, quam fratrum germanorum: quorum ſors, ſicut eſt argentum, & aurum; ita Religioſorum, Deus. Laudes paupertatis. Nocumenta proprietatis. Occaſiones proprietatis, & eius remedia. Tria ſunt in proprietate, ſingulari pœna digna, atque adeo proprietas in Religioſis non ferenda. Prælatus non poteſt in proprietate diſpenſare, ſed debitum vſum rerum concedere. Diſpenſationis cauſa, ex duplici neceſſitate, vel vtilitate eſt; priuata ſcilicet, & communi. Caute agendum in diſpenſando: neq; enim ſemper qui diſpenſatione vtitur, non peccat.*

IN CAP. III. *Subditorum eſt, ſpiritualia curare, non temporalia; in quibus male Religioſi occupantur. Sicut in primitiua Eccleſia, ita & in Religione, nonnulli indigentiam pati debent: in qua tamen vita, vbi plus eſt ſpiritus, ibi minus temporalia curantur. Monaſterij rebus, quæ variæ ſunt, nõ poteſt Religioſus pro voluntate vti. Excommunicato quatenus in rebus neceſſarijs ſubueniendum ſit. Quis intelligatur nomine Præpoſiti in diſtribuendo. Res pro neceſſitate diſtribuendæ, nõ certis tempori-*

bus; multo vero minus pecunia danda. Superflua quare Religioſo cauẽda: quèm parcitas, & moderatio celebrem reddit. Miniſtris cauenda diffidentia in diſtribuendo. Quomodo, & quare rerũ communio primitiuæ Eccleſiæ mutata ſit; quæ tamen non apud omnes primos Chriſtianos in vſu fuit.

IN CAP. IIII. *Quare primi Chriſtiani res ſuas communes fecerint. Et facultas poßidendi, & voluntas habendi, in Religione relinquenda eſt; in qua & temporalia non quærenda. Præclara de humilitate doctrina; in qua de ijs, qui ſuam nobilitatem in oculis habent, agitur. Superbia, alia carnalis, alia ſpiritualis; quarum vtraque bonorum operum eſt peſtis. Non ſolum noſtra, ſed & nos ipſos & propriam voluntatem, vitæ communis peſtem, relinquere debemus. Cauenda in primis Religioſo eſt ſui opinio; & rerum ſuarum complacentia. Varia genera Religioſorum, qui non recte ſua relinquunt. Etiam ſcripta noſtra cum aliis communicanda ſunt, & quatenus id: quæ ſæpe varias, nec bonas ob cauſas, non cõmunicantur; cum tamen valde bonum ſit ſua communicare. De ijs, qui in Religione commoda, & honores quærunt; ad quam non ob vitæ neceſſaria veniendum eſt; de quibus multi perperam in Religione queruntur; cum tamen ea cura non ſubditorum, ſed Prælatorum ſit; & quidẽ in omnes fratres æqualiter, ſecundum ſe. Elatio cauenda Religioſo. Multi Religioſi, propter vitæ commoda, in Religione, in peius mutantur. Religioſi, humana quærentes, ſunt philoſophis deteriores; quibus contra, incommoda iucunda eſſe debent: commoda vero valde illis cauenda, & pernicioſa. Religio eam multis opinionem, & auctoritatem conciliat, quam mundus illis largiri nequiuiſſet. Non omnes in Religione iuuantur: cuius vitæ tria magna commoda ſuperbia aufert. In pauperibus, quales Religioſi ſe reputare debent, ſuperbia valde deteſtabilis, & proprie inflatio eſt; cum contra paupertatis ſocia, ſit humilitas. Ex prioribus diuitijs cauenda ſuperbia; nam Chriſtus pauperes & dilexit, & expreßit. Cauenda item natalium opinio, & gloria ex bonis in pauperes erogatis: eſt enim ſuperbia bonorũ operum pernicies: in quo præ alijs vitijs, ſingulare aliquid habet. Alij male, alij bene, alij optime res ſuas diſtrahunt; quæ optima diſtractio cõplures habet vtilitates, quas elatio tollit. Varia remedia contra elationẽ, ex bonis operibus inſurgentem. Concordiam interiorem, & exteriorem, ſex ſunt, quæ valde turbant; & ſex contra, quæ valde iuuant: cuius tres fructus recenſentur: quam vt mutuus honor: ita diſcordiam, mutua inſectatio ſequitur. Qui & quare honorãdi ſunt homines, in quibus Deus honoratur.*

IN CAP. V. *Quid ſit orare ante, in, & poſt tempus: in qua oratione perſeuerandum eſt. Oratorij ſeu Eccleſiæ bona. In oratione cor voci reſpõdeat: ſit illa attenta, quam vitæ puritas multum iuuat. Cantus Eccleſiaſticus ſit ex præſcripto maiorum. Tria ſunt opera pænitentiæ: de quibus B.*

An-

Auguſtinus in Regula. Tria Religioſis ſunt vtiliſsima in oratione: cui inſtare proprium illorum eſt; multa enim illos ad orandum prouocant. Oratio, certis horis, valde bona. Multa de nocturna oratione: multa de veſpertina: nonnulla de matutina. Perſonæ, tempora, & loca, recte ſingulariter Deo dicantur. In templo, etiam alia, præter orationem, licet exercere. Priuata, ac ſecreta oratio, vtiliſsima: ſicut & in loco ſacro: priuata tamen oratio, publicam impedire non debet. Communes labores, propter orandi ſtudium, præſertim à laycis, deſerendi non ſunt. Attentio animi in oratione, quatenus nos obliget: & quibus ex cauſsis impediatur, ac diſtrahatur qui orat: propter quam tamen diſtractionem, non eſt ab oratione ceſſandum. Cantus Eccleſiaſtici fructus permulti. Libri chorales ſint correcti, & ex maiorum præſcripto, & Religioſis bene perſpecti.

IN CAP. VI. *Caro domanda quidem, ſed cum diſcretione. Gula, etiam in vilibus cibis ſæpe eſt: cuius vitia plura ſunt, etiam quoad tempus cibi. Proprium eſt Religioſorum carnem domare: à qua re aliqui abhorrentes, extra Monaſterium eſſe cupiunt; cum tamen ſubiecti gulæ, quæ peſtis quædam eſt, miſerrimi ſint. Multa pro abſtinentia; in qua tamen diſcretio adhibenda, vt caro dometur, ſed non extinguatur: atq; à ſuperfluis, & minus neceſſarijs abſtineamus. Multa itẽ de potu moderato, & ſobrio: in quo contra varia inſunt vitia: multa enim mala in Religioſis vinum immodice ſumptum facit. Si velimus, multũ poſſumus abſtinere. Quatenus credẽdum ſit fratribus indigentibus: & quatenus cũ illis in ieiunio diſpenſandũ. Extra horas debitas, ne paruis quidẽ rebus veſcendũ: quod in medicamentis, & ſimilibus, locũ nõ habet. Menſa cõmunis bona multa habet; priuata vero cõtra, mala multa. Multa pro debilibus, & ſimilibus, à Superiore curandis.*

IN CAP. VII. *Lectio mẽſæ, perutilis, ac plane Religioſa: cuius cauſæ multæ, & bonæ: qua interdũ abſente, ſermo bonus adſit, frequẽti exẽplo Chriſti.*

IN CAP. VIII. *Religioſus paucis contentus ſit: in quo delitiæ deteſtabiles ſunt. Miſericordia pro indigentibus neceſſaria, cauenda tamen gula; vt ſatius ſit egere, quam abundare. Valetudinarij ſingulariter curandi, & multa pro ea cura: ſunt enim tales, multis miſerijs ſubiecti. Habenda quidem ratio delicatiorum; moderate tamen, & in rebus neceſſarijs: quàm curam ſicut moleſte ferre malum eſt; ita optare, vbi neceſſaria non eſt, malum quoq; eſt. Exceſſus vero in cibo & potu; & corpori, & animæ, & famæ nocet. Superiores dure tractantes valetudinarios, male faciunt, vbi neceſsitas adeſt: quos oportet interdum alijs, in quibuſdam, condeſcendere. Multa damna eorum, qui communem vitam fratrum non ducunt: in qua cõmuni vita, & multæ prærogatiuæ, & Chriſtus ſingulariter adeſt. Contra eos, qui infirmorum fere curam, & carnis commoda, ſine neceſsitate, quærunt: quæ res ſpiritum aut extinguit, aut certe ener-*

eneruat. Diuitiæ ſpirituales, multis nominibus, temporalibus antecellunt. & paucioribus contenti, atq. egentes, ditiores, ac beatiores alijs ſunt.

IN CAP. IX. *Qualis debeat eſſe veſtis clericorum: quæ ex ſeptem malis circumſtantijs notabilis, ac vitioſa redditur. Concionatorem in primis decet honeſta, atque etiam vilis veſtis: ſtudium enim veſtium, mulierum, nec quidem honeſtarum eſt. placere velle hominibus, non ſolum interdum licet, ſed & quibuſdam præſertim concionatoribus neceſſarium eſt. cui, quænam gratiam hominum concilient, recenſentur.*

IN CAP. X. *Propter honeſtatem, & decorum, & famam, ſocius in via adhibendus eſt: pro qua ſocietate multa afferuntur: in quibus & pericula eius, qui ſolus eſt, & eius, qui ſocium habet, commoda explicantur.*

IN CAP. XI. *De decoro ſeruando in inceſſu, & manſione noſtra quocunq. in loco, vt etiam meditationi vacare poßimus, ac propterea & fæminarum, & aularum familiaritatem fugiamus. Præterea de decenti Religioſi viri habitu & ſupellectili; membrorũq. honeſta cõpoſitione, ac diſciplina, ſuis locis ac temporibus, atq. in diuerſis officijs, & cũ varijs perſonis, & quoad ſe, & quoad Deum, & quoad proximum ſeruanda agitur: quæ res ex proprietatibus & dignitatibus viri Religioſi maxime confirmatur.*

IN CAP. XII. *Pro oculorum pudicitia, & de malis ex aſpectu proficiſcentibus, deq. ſpirituali impudicitia, & quibus gradibus per oculos ad eam perueniatur, agitur: interiora in primis cuſtodienda, ac Deus præ oculis habendus, quantaq. ſint pudicitiæ bona, traditur. Per aſpectum multis modis, & quidem oculis præ ceteris membris peccatur. Licet enim impudicitia, ex omnibus ſenſibus oriri poßit, maxime tamen ex oculis: quæ res Religioſo in primis indigna eſt, cum multa mala ex aſpectu incauto proueniant. Oculi varijs modis male in fæminam figuntur: & licet fæminas videre prohibitum non ſit; earum tamen aſpectus fugiendus pro virili eſt. Quale crimen ſit fæminam appetere, & quo modo primis cogitationibus reſiſtendum eſt; triaque remedia contra malas cogitationes. Cauendum ne à fæminis appetamur, ac propterea cauendum, ne, qui venuſti ſunt, coram eis appareant: cauendæ & earum familiaritates, & munuſcula, & corporis, veſtiumq. elegantia: immo cõfundendæ ſunt mulieres, & earum inimicitiæ nihili faciendæ; ſed potius gratæ habendæ. A tribus fæminarum generibus Religioſus cauere debet; nimirum à cõtinentibus; à ſpiritualibus, ſeu monialibus; à vilibus. Aſpectus eſt inſtrumentũ mali affectus; multiq., ex oculis mulierum, pereunt. Aſpectus mali tres occaſiones: quæ item res periculoſe inſpiciuntur: quod ſi oculus impudicus, ſic & animus. Plurima mala ex oculorum concupiſcentia proficiſcuntur: multi nos vident, cum minus putamus: multiſq. prodeſt, quod deprehenſi eo rriguntur; Deum certe nulla noſtra actio latet, licet ille ad tempus conniueat*

ueat; cuius oculum in primis timere debemus. vere enim abominabile eſt in fœminam oculũ figere. Pudicitiæ cuſtodes ſunt nobis à Deo tributi; ac propterea vbique caute agendum; varijq; modi vitandi impudicitiam.
IN CAP. XIII. *Pro admonitione, & correctione fraterna, modoq; ſeruando in correctione, multa dicuntur; ac propterea incorrigibiles ab alijs eſſe ſeparandos, ſeruata tamen ſemper charitate, in correctione. An etiam de peccatis venialibus admonendus ſit frater; & quare correctio ſtatim facienda. Multa pro fraterna admonitione, & correctione, maxime inter Religioſos: in qua tamen, varius modus adhibendus eſt; ſicut & varij ſunt debitæ correctionis fructus. In delatione quatuor obſeruanda ſunt; & quomodo liceat fratrum culpam aperire, non præmiſſa admonitione. Cauſæ ſecretæ admonitionis; & in quibus peccatis facienda, vel non facienda ſit. De ijs, qui à fœminarum familiaritate, quæ periculoſiſſima eſt, etiam perfectis viris, non cauent, bona opinio haberi non poteſt. nam & à ſpecie mali cauendum eſt; & horum exempla fraternitatem turbant. Excuſationes multæ familiaritatis cum mulieribus afferuntur, & confutantur; cum tamen illa ſemper, non ſolum ſuſpicionis, ſed & damni plena ſit. Fratres male deferre graue peccatum eſt; ex eoque multa incommoda naſcuntur. Apud quos, fratres deferendi ſint; deque teſtibus, & peccatis, nec emendatis, nec repetitis; & quando deferre, vel non deferre fratres teneamur; deq; teſtium, aut iudicis defectu agitur. bonum enim eſt bene fratres deferre; contra vero, malum. Denunciatio propter timorem deſerenda non eſt: immo qui non defert, ſæpe & ipſe grauiter peccat, & alijs multum nocet. eſt enim peccatum vulnus, & certe graue. Sicut vtile eſt, apud Prælatum bene deferre, ita peccatum eſt graue, male deferre & famam lædere: & quomodo liceat alium infamare, aut reum cogere ad infamiæ confeſſionem. Quis intelligatur nomine Presbyteri. De vindicta, quæ eſt pœna: deq; incorrigibilitate; deque eiectione ex fraternitate: & quomodo tractandi, qui ſemper dare pœnas parati ſunt. Quinam non ſint eijciendi, ſed ſeparandi: deque eiectis recipiendis, vel non: deq; tranſitu ad alias Religiones; & quod eiecti non liberentur à Regula, & cura Prælati eijcientis. Nullum vitium in Religione ferendum, propter multas, & pulchras eius proprietates: & quo progreſſu, ac zelo vitia tollenda ſint in Religione, quæ cum varijs rebus præſtantibus confertur; in qua propterea, vitia, varias ob cauſas, grauiora ſunt: vt magis pro diſciplina, quã pro bonis temporalibus laborandum, & contra vitia non ſecus ac contra lupum, inſurgendum ſit; ita tamen, vt nõ perſonas, ſed vitia inſectemur: vbi, & exemplis ſacris, qui bene vitia tollunt, exprimuntur.*
IN CAP. XIIII. *Graue eſt occulte aliquid accipere: tales enim res multum nocent. Periculoſum ſane eſt, & graue, litteras, & munuſcula, præſertim à fœminis accipere; & quare manu magis aliquo modo, quam alijs*

membris peccetur. Regula, etiam in rebus minutis, ab antiquioribus, & maioribus in primis ſeruanda. Qui ſponte culpã ſuam agnoſcit, ex eo mitius tractandus eſt.

IN CAP. XV. *Cauſæ cuſtodiendarum veſtium: licet perfectionis ſit, in ſe veſtium curã negligere. Contra murmurationem, & contentionem. Vitia in aſſeruandis veſtibus. multa pro diligenti rerum Monaſterij cuſtodia: pro quibus diſtricta ratio reddenda eſt. Veſtes Religioſis curandæ: quæ tamen in re, multi mali modi cauendi ſunt; atq; in primis, ne pecunia pro veſtibus detur, ſed à Superiore prouideatur. Multa pro communi menſa, cõmuniq; refectorio: quod negligitur, menſis quorundam priuatis admiſsis. Perfectionis eſt, veſtes deteriores quærere. Quid contentio, quid murmur, & quæ eius occaſiones, præſertim contra veſtes: & contra vitium murmurationis; cum Religioſi ſit plane adquieſcere. Religioſus veſtitus non æqualiter ſemper dandus eſt, ſed pro neceſſitate. Interior habitus & pulchritudo maxime curanda ſunt; quibus qui carent, propter veſtes, murmurant. Fratres, etiam imperfecti, tolerandi ſunt, & iuuandi.*

IN CAP. XVI. *Charitas communis curanda. Ad communes labores multa nos mouent. Propria enim commoda, multa Religioſorum loca euerterunt.*

IN CAP. XVII. *Priuata munuſcula multum nocent: resq; occulte acceptæ, habendæ ſunt, vt furta. Quæ cuiq; Religioſo dantur, ſint communia; &, pro cuiuſq; neceſſitate, diſpenſentur. Res vni donatæ, varie occultantur: ſed qui occultat, vt fur puniendus eſt.*

IN CAP. XVIII. *Exterior munditiesviris Religioſis bene curanda eſt. quorum tamen veſtes, ab ipſis potius, quam ab hominibus ſecularibus, lauandæ ſunt.*

IN CAP. XIX. *Corpus pro neceſſitate curandum eſt; & quatenus ea in re fratri credendum ſit: nam ſæpe neceſſitatem tentatio ſimulat. Religioſi eſt balneis vix vti: medicinis vero, cum oportet. Infirmitatem ſæpe murmur, aut querimonia ſequitur: neque contemptus curæ corporis permittendus, ſicut nec ſenſualitas. ſed viro, habenti ſigna ſerui Dei, hac in re, credendum eſt.*

IN CAP. XX. *Suſpicionum occaſiones remouendæ, ac propterea cum comite exeundum: vbi multa, de ratione comitis dandi, vel accipiendi.*

IN CAP. XXI. *Ægrotorum cura, ſecundum charitatem eſt & maxime neceſſaria: quam & Chriſtus ſingulariter expreſſit.*

IN CAP. XXII. *Murmuratio cauenda. Officiales ſint ex fratribus, non externi: qui fratres ſibi mutuo inſeruiant.*

IN CAP. XXIII. *Lectio eſt res Religioſis vtiliſſima; ac propterea libri boni curandi in Religione, non minus, quam ædificia: qui diligenter,*

&

& aſſeruentur, & perlegantur. Quidam Ordines multa bona conſecuti ſunt, tractandis ſtudijs. Philoſophica ſtudia quo modo, & quam vtiliter à Religioſis tractentur. Contra illos, qui, propter ſtudia, negligunt pietatem: & de malis ex ſcientia, ſine virtute: & de vitijs, cauendis in ſtudijs, in libris, in auditoribus, in præceptoribus, & diſputationibus ab homine Religioſo. Ad Religionem admittantur apti ad ſtudia, quantum fieri poteſt. imperitia enim contemptum Religioſorum parit.

IN CAP. XXIIII. *Veſtis Religioſa moderate tractanda: neque miniſtri veſtium ſint moroſi. Superflua in veſtitu cauenda: ac propterea veſtes vno loco aſſeruandæ.*

IN CAP. XXV. *Diſcordiæ pro virili tollende: vbi & quales ſint litigioſi, & litium occaſiones, & quo modo caueantur: & quæ inde mala veniant, niſi ſopiantur, & quo modo illæ dirimantur, explicatur.*

IN CAP. XXVI. *Venia, & remiſſio, quæ maxima eleemoſyna eſt, inter Religioſos eſt neceſſaria: inter quos & ira pernicioſa eſt, & ſuperbia reconciliationem impedit: ex quo multa mala fiunt: ac propterea à verbis laceſſentibus cauendum. Quid conuitium, quid maledictum: quid obiectio criminis; & quam acutum ſit vulnus ex lingua; pro qua, tribus modis ſatisfit. Reconciliatio an ſtatim curanda; & an retractatio neceſſaria, ſicut & iniuriam remittere neceſſe eſt. Tria cauenda, ſicut & contra, tria curanda, in oratione: vbi, & quibus rebus ſint ſimiles iracundi: qui, ſicut iniuriam, ſic & iram deponere debent, explicatur. Contra differentes reconciliationem, & malas cauſas non petendi veniam. & de multiplici duritia in Deum, & proximum, ac verbis duris cauendis; deq; bonis, & malis multis ex lingua.*

IN CAP. XXVII. *In correctione adhibendus eſt modus: in qua tamen exceſſus, bona intentione, leuatur; & quibus modis excedant in corrigendo Superiores; qui tamen, etiam dure, loqui poſſunt. In Prælato non omnis humilitas laudabilis. cuius auctoritas curanda, & nō eneruanda eſt: qui tamen interdum, ſicut inter corrigendum peccat, ſic viciſſim à Deo de multis veniam petere debet.*

IN CAP. XXVIII. *Quæ dilectio meritoria non ſit; & quo modo & Deus, & proximus, & inimicus diligendus ſit: & quæ ſigna hominis charitatem habentis: quæ vt maxime inter Religioſos vigere debet, ita carnalis dilectio valde vitanda eſt, & dilectionis cauſæ bene penſandæ ſunt: vbi & quæ ſit dilectio verbo tenus, & quæ ſit vera, atq; eius fructus, explicatur.*

IN CAP. XXIX. *Obedientia, res præſtans eſt: propenſio tamen ad res præceptas, & bona, & mala eſſe poteſt. Obedientia duplex eſt, & ſufficiens, & perfecta: vbi & quibus obedire teneamur, & varios obediendi*

modos; & quibus in caſibus obediendum non ſit; & quæ ſint obedientiæ laudes, atq; vtilitates, explicatur.

IN CAP. XXX. *Prælati cura eſt, vt Regula ipſa ſeruetur: & quidem tota; deinde vero, ſi quæ addita ſunt. Cauſæ quare Prælati non corrigant abuſus: cum tamen, nec facta, nec facienda, contra Regulam, permittenda ſint.*

IN CAP. XXXI. *Prælatus, vt amans, & humilis, & medicus, & doctor eſſe debet; ita & honorandus, & amandus eſt: cuius & pericula nõ pauca ſunt. eſt enim Prælatura magnum onus; licet tria ſint quæ ſuadeant alijs præeſſe. Prælati maxime ſunt, vt alijs proſint, & proſpiciant: vbi, & quare à quibuſdam non honorẽtur; & quid mali inde oriatur: & quare Prælatus timere debet: & quæ ſint bonæ eius conditiones: & quo modo in primis exemplo prælucere debet, & alios corrigere: & quam noxium ſit non corrigere: & qualesnam ſint inquieti, fuſe explicatur. Prælati maxime eſt curare, & conſolari ſubditos: & quibus modis id apte poßit: & qua ratione vnaquæque animi infirmitas curanda: vbi, & contra impatientes Prælatos, & de impatientiæ occaſionibus, quæ longe ſint à Prælato, agitur. Contra Prælatos, diſciplinam in ſe, & in ſubditis negligentes. Sicut Prælato curandum eſt vt timeatur: ita, & magis, vt ametur. Prælatis exacta ratio Deo reddenda: quorum iudicium dicitur durum, durius, duriſſimum.*

IN CAP. VLT. REG. *Lectio Regulæ, eſt, vt ſemen iactum, & Regula, vt ſpeculum. Contra Religioſos, Regulam ſuam non obſeruantes, etiam integre. Spiritalis pulchritudo, & odor bonæ famæ, Religioſo viro curanda ſunt: vbi tamen quid cauendum ſit, circa propriam famam, affertur. Cauenda negligentia rerũ, in Regula præſcriptarum: cuius rei tres occaſiones afferuntur: ac propterea frequenter Regula, & ruminanda, & legenda. eius tamẽ obſeruationẽ, nõ ſibi quisquã, ſed Deo acceptã referat. Nullus Religioſus immunis eſt à ſuæ Regulæ obſeruatione: vbi, & peccati relapſus cauendus in primis traditur, & quare; & quæ ad id valeant, ſicut & ad remißionem peccati cõparandam. Tentari eſt ſeruorum Dei, & ſæpe vtile: vbi, & quare diabolus tentet: et quam multa atque optima remedia contra tentationes ſint, aperitur: atque ita totum opus in Regulam, concluditur.*

SVMMA EPISTOLÆ EIVSDEM VMBERTI, AD RELIGIOSOS.

AGIT *in primis de voto Obedientiæ: ad eam cohortando; inobedientiam deteſtando; male obedientes deſcribendo; & quam prompta; quam deuota; quam voluntaria; quam ſimplex, & cæca; quam ordinata; quam læta; quam fortis; quam vniuerſalis; & quã perſeuerans debeat eſſe obedientia, docendo.*

DE *voto paupertatis, affert in primis, quæ nam ad eam moueant: & quibus modis vitietur; & quales eſſe debeant veri eius amatores; & quam multa proprietatis nocumenta, ſicut & contra, multæ ſunt paupertatis vtilitates.*

DE *voto Caſtitatis, profert in primis quaſdam de ea ſimilitudines: tum agit de tribus incontinentiæ malis; de cogitatione, delectatione, & conſenſu malo; deque duplici conſenſu mortali. Item, quales debeant eſſe viri continentes: quæq; ſint pericula caſtitatis, ac pro ea remedia; et quod luxuriæ maxime reſiſtendum ſit.*

INTER *ceteras Religioſorum virtutes, in primis ponit humilitatem: & quomodo illa comparetur. quæ ſint eius ſigna, atque vtilitates, ſicut & quæ ſint ſuperbiæ nocumenta, & quæ eam virtutem conſeruent. Tum agit de patientia, atq; eius vtilitatibus; & qualis debeat eſſe verus patiens; & quæ ſint impatientiæ mala, ſicut & patientiæ non veræ ſigna: ac tandem quo modo patientia adquiratur. Deinde quomodo Religioſus erga Deum, erga ſeipſum, erga proximum ſe habere debeat. Poſthæc, agit paucis de Prælato. His adiungit pulcherrimam diſputationem de cura cordis, oris, ſanctarum actionum, ac diſciplinæ, perpetuo retinenda. Tandem de temperantia in cibo potuque ſeruanda: deq; peccatis etiam paruis & venialibus agens, epiſtolam totam egregia cohortatione concludit.*

Ad finem libri adiunctus eſt catalogus multorum, ac celebriorum Ordinum; qui ad B. Patris Auguſtini Regulæ præſcriptum vitam profitentur.

Poſsidius in Vita D. Auguſtini CAP. V.

FACTVS ergo presbyter, (*Auguſtinus*) Monaſterium intra Eccleſiā mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundum modum & Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maxime vt nemo quidquam propriū in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuiq; prout cuique opus erat. Quod iam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet.

Actor. 2.

Auguſt. lib. 3. contra litteras Petil. CAP. XL.

DEINCEPS perrexit ore maledico (*Petilianus*) in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum; arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potius toto orbe notiſsimum, neſcire ſe fingit.

AV-

AVGVSTINVS IN EPIST. CXXXVII. ad plebem Hipponenſem.

SIMPLICITER autem fateor caritati veſtræ, coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo DIFFICILE ſum expertus meliores, quam qui in Monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quam qui in Monaſterijs ceciderunt: ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. Apocal. 22.

DI-

DIVVS AVRELIVS

AVGVSTINVS

Natione Afer, patria Thagaſtenſis.
Natus parentibus Patritio & Monica.
Baptizatus anno ætatis XXX.
Functiones Eccleſiaſticas obijt annis XL.
Presbyter & Epiſcopus Hypponẽſis in Africa.
Mortuus anno Chriſti CDXXX.
Vixit Annos ſeptuaginta ſex.
FILIVS lachrymarum,
Reformator Africæ,
Miraculorum patrator,
Eccleſiæ Doctor,
MONASTICÆ Vitæ cultor,
Lumen Theologorum;
Epiſcoporum exemplar,
Hæreticorum profligator.

DIVI PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA.

ANTE OMNIA, fratres chariſsimi, diligatur Deus: deinde proximus. quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus in monaſterio conſtituti.

Proœmium.

PRIMVM, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.

Cap. 1. De animorum conſenſione.

ET non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia.

Cap. 2. De rerũ communione.
12. q. cap. non dicatis.

ET diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; ſed potius vnicuique, ſicut cuiq; opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorũ: Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat.

Cap. 3. De rerum diſtributione.
Actor. 2. & 4.

QVI aliquid habebant in ſeculo; quandò ingreſsi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur: etiamſi paupertas eorum, quandò foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tantum non ideo ſe putent eſſe felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non poterant: nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrenà ac vana non

Cap 4 De æquali ſorte, & humilitate.

quærant: ne incipiant eſſe monaſteria diuitibus vtilia, non pauperibus: ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rurſus etiam illi, qui aliquid eſſe videbantur in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperũ fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas in monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſeculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia vero etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, ſi anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat poſsidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.

Cap. 5. De orã-di ſtudio. diſt. 42. ca. in oratorio.

ORATIONIBVS inſtate horis, & temporibus conſtitutis. In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factũ eſt, vnde & nomen accepit: vt ſi forte aliqui, etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Pſalmis, & hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur.

Cap. 6. De carne compeſcenda.

CARNEM veſtrãm domate ieiuniis, & abſtinentia eſcę & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat.

Cap. 7. De lectione Menſæ.

CVM acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite: nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum.

Cap. 8. De infirmorũ cura.

QVI infirmi ſunt, ex priſtina conſuetudine ſi aliter tractantur

ctantur in victu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtũ videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et ſi eis, qui venerunt, ex moribus delicatioribus, ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, ſtramentorũ, operimentorum datur, quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus, non datur: cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſeculari vita, illi ad iſtam deſcenderint, quamuis vſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius; non quia honorãtur, ſed quia tolerantur, accipere: ne contingat deteſtanda peruerſitas; vt in monaſterio, vbi, quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sane quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur: ita & poſt ægritudinẽ ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur, etiã ſi de humillima ſeculi paupertate venerunt; tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas iam vegetos, quos neceſſitas leuârat infirmos. Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egêre, quàm plus habere.

NON ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. *Cap. 9. De veſtitus ratione.*

QVANDO proceditis, ſimul ambulate: cum veneritis quo itis, ſimul ſtate. *Cap. 10. De itineris ratione.*

IN inceſſu, ſtatu, habitu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. *Cap. 11. De decoro.*

OCVLI veſtri etſi iaciuntur in aliquam fæminarum, figantur in nullam. Neque enim quando proceditis, fæ- *Cap. 12. De oculorum pudicitia.*

minas videre prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu, & affectu, ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo, corda nunciant impudica, & ſecundũ concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiã intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fæminam figit oculum, & illius in ſe ipſe diligit fixum, ab alijs ſe non videri, cum hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominũ videatur, quid faciet de illo ſuperno inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quanto ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fæminę male placere. Illũ cogitet omnia videre, ne velit fæminam male videre. Illius namq; & in hac cauſa commendatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt: Abominatio eſt Domino defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque vbi fæminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

Eccl. 9. a Mat. 5. d. ad ſenſum.

ETSI hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cepta progrediatur, ſed de proximo corrigatur. Si autem & poſt admonitionem iterum, vel alio quocunq; die id ipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunq; hoc potuerit inuenire. Prius tamen, & alteri, vel tertio demonſtratum, vt duorum, vel trium poſsitore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc iudicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos iudicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret ſeca-

Cap. 13. De correctione, ac denuntiatione.

5. q. 5. c. nec vos

ri:

rí: nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam alijs demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit; prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: ne forte poſſit, ſecretius correctus, non innoteſcere cæteris. Si autem negauerit; tunc neganti adhibendi ſunt alij: vt iam coram omnibus poſsit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus vero, ſecundum Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim & hoc ſit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandisq; peccatis, diligenter & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

Quicunq; autem in tantum progreſsus fuerit malũ, vt oculte ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, ſi hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atq; conuincitur: ſecundum arbitrium presbyteri, vel Præpoſiti grauius emendetur. *Cap. 14. De literis, & ſimilibus non accipiendis.*

VESTES veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere potuerint ad eas excutiẽdas, ne à tinea lędantur. Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario. Et, ſi fieri poteſt, nõ ad vos pertineat, quod vobis indumentum, pro temporum congruentia, proferatur; vtrum hoc recipiat vnusquiſq;, quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuique, prout cuiq; opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, cum queritur aliquis deterius ſe accepiſſe, quam prius habuerat, & indignũ ſe eſſe, qui non ita veſtiatur, ſicut alius frater eius veſtiebatur: hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo interio- *Cap. 15. De veſtium cura.*

re ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi ſic veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod depoſueratis: in vno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis.

Cap. 16. De communibus operis: ITA ſane vt nullus ſibi aliquid operetur: ſed omnia opera veſtra in vnum fiant, maiori ſtudio. & frequētiori alacritate, quàm ſi vobis ſingulis faceretis propria. Charitas *1. Cor. 13.* enim, de qua ſcriptum eſt, quod non quærit, quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto plus rem communem, quàm propria veſtra, curaueritis, tanto vos amplius profeciſſe noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur tranſitura neceſſitas, ſupereminceat, quæ permanet charitas.

Cap. 17. De rebus donatis. CONSEQVENS ergo eſt, vt etiam qui ſuis filijs, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus, in monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occulte accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit, præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

Cap. 18. De veſtium munditia. INDVMENTA veſtra, ſecundum arbitrium Præpoſiti, lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus.

Cap. 19. de cura corporis. LAVACRVM etiam corpori, cum infirmitatis neceſſitas cogit, minime denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio medici, ita vt, etiam ſi nolit, iubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autē velit, & forte non expedit, ſuæ cupiditati nō obediatur. Aliquando enim, etiamſi noceat, prodeſſe tamen creditur quod delectat. Deniq; ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicēti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamē, vtrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat; ſi nō eſt certum, medicus cōſulatur.

Cap. 20. De ſociis à ſuperiore dandis. NEC eant ad balnea, ſiue quocunq; ire neceſſe fuerit, minus quam duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus, Præpoſitus iuſſerit, ire debebit.

Ægro-

ÆGROTANTIVM cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorum, ſiue aliqua imbecillitate, etiam ſine febribus, laborantium, vni alicui debet iniungi; vt ipſe de cellario petat, quod cuiq; opus eſſe perſpexerit. *Cap. 21. De infirmorum præfecto.*

SIVE autem qui cellario, ſiue qui veſtibus, ſiue qui codicibus præponuntur, ſine murmure, ſeruiant fratrib⁹ ſuis. *Cap. 22. De Miniſtris.*

CODICES certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam, qui petierit, non accipiat. *Cap. 23. De certis ſtudiorũ horis.*

VESTIMENTA vero, & calciamenta, quando indigentibus fuerint neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur. *Cap. 24. De dandis veſtibus.*

LITES aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis: ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. *Cap. 25 De ſopiendis diſcordiis.* *1. Ioan. 3.*

QVICVNQVE conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læſit: meminerit ſatisfactione quantocyus curare, quod fecit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras: quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem, qui quamuis ira ſæpe tentatur, tamẽ impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam: quàm qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui non vult dimittere fratri, non ſperet accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera. *Cap. 26. De Reconciliatione.*

QVANDO autem neceſsitas diſciplinæ, in moribus coercendis, dicere vos verba dura compellit, ſi etiam in ipſis, modum vos exceſsiſſe ſentitis: non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, *Cap. 27. De caſtigandi ratione.* *diſt. 86. cap. quando.*

regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eos, quos plus iuſto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

Cap. 28. De fratrũ amore.

NON autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

Cap. 29. De Obedientia.

PRAEPOSITO tanquam patri obediatur: multo magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.

Cap. 30. De cura Regulæ.

VT ergo cuncta iſta ſeruentur, &, ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum, corrigendumqꝫ curetur: ad Præpoſitum pręcipue pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit.

Cap. 31. De ſuperioris conditione.

IPSE vero, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem. Honore coram vobis prælatus ſit; vobis, timore, coram Deo, ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat: metuendus imponat. & quamuis vtrũque ſit neceſſarium; tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Vnde vos magis obediendo, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini; quia inter vos quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo maiore verſatur.

Cap. 32. De Regulæ obſeruatione.

DONET Dominus, vt obſeruetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Vt autem vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo poſsitis inſpicere, ne, per obliuionẽ, aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes: agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Vbi autẽ ſibi quicunqꝫ veſtrum videt aliquid deeſſe, doleat de pręterito, caueat de futuro: orans, vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur, Amen.

Ex

EXPOSITIO VGONIS DE SANCTO VICTORE IN REGVLAM BEAti Auguſtini Epiſcopi.

HAEC præcepta, quæ ſubſcripta ſunt, ideo Regula appellatur, quia videlicet in eis nobis recte viuendi norma exprimitur. Regula autem dicitur: eo quod recte regat, vel quod recte doceat. Et quod nos dicimus regula, Græci canon appellant. Vnde etiam Græco nomine canonici, ideſt regulares appellati ſunt ij, qui in monaſterijs conſtituti, iuxta regularia præcepta ſanctorum patrum, canonice, atq; Apoſtololice viuunt: quibus dicitur. *Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus in monaſterio cõſtituti.* Ad hæc nobis diuina pręcepta leguntur: quatenus lecta intelligantur, & impleantur; metuenda illa ſententia qua dicitur: Seruus qui ſcit voluntatem domini ſui & non facit, plagis vapulabit multis. Hinc Paulus ait. Non enim auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Audiamus ergo ſacra præcepta pij domini, & memores ſimus mandatorum ipſius ad faciendum ea. Quia ſicut dicit beatus Iacobus. Si quis in lege perfectæ perſpexerit libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Et Dominus in Euangelio. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Igitur quæ præcipiuntur nobis in monaſterio conſtitutis humiliter attendamus

Quare, & vnde dicatur Regula.

Quare Canonici, & Regulares.

Finis Regulæ eſt obſeruatio.

Luc. 12.

Rom. 2.

Iac. 1.

Luc. 11.

EXPOSITIO VMBERTI IN REGVLAM B. AVGVSTINI.

VIRIS religioſis non parũ expedit, vt clare intelligant totã ſententiã Regulæ, ſub qua viuũt, vt ſciant ad quid tenẽtur ex obligatione, ex profeſsione contracta. Expedit etiã, vt aduertant quæ magna cum ratione ſunt in ea tradita, vt ex hoc, ad eam magis afficiantur. Inſuper, quoniam multum prodeſt eis vt cõſiderent vtilitatem eorum, quæ continentur in ea, vt libentius ea obſeruent. Proinde, cum regula Beati Auguſtini contineat quædam obſcura, & quædam magna cum ratione ordinata, quæ multi non ſolent aduertere; Quoniam etiam multa eorum, quæ continentur in ea; imò ferè omnia ſunt perutilia, expoſitio ſequens declarat quæ du-

CAP. I.

Regulæ explicatio neceſſaria.

bia, in ea ſunt: elucidat rationem eorum, quæ ibi ſunt tradita; oſtendit quam vtilia contineantur in ipſa, vt degentes ſub illa, & maxime fratres prædicatores nec non Canonici Regulares, & alij complures, qui ſub ipſa viuere elegerunt, & ſciant ad quid obligantur ex illa, & ad ea, quæ ſciunt, afficiantur: ex quo id ſequatur, vt diligentius obſeruent, quæ continentur in ea, opitulante gratia Ieſu Chriſti.

CAP. II. Commẽdatio Regulæ B. Auguſtini.

INTER multas & varias regulas, ſub quibus religioſi diuerſi militant in Eccleſia: quædam ſunt, quas tradiderunt viri, qui Catalogo ſanctorũ non adſcribuntur: aliæ ſunt, quas ſancti quidã, tradiderunt ſed tales, qui non fuerunt eminentes in ſapientia: aliæ vero, quas etſi ſancti, vel perfecti in ſapientia tradiderunt, tamẽ non fuerunt multæ auctoritatis. Certum eſt autem, quod ſanctitas in anima viri plus interdum valet, ad proferendas ſalutares ſententias, quam ſapientia. Interdum autem ſimplicitas, licet ſancta, ſi per ſapientiam non dirigatur, minus laudabiliter profert ſententiã. Sententia vero prolata à ſanctitate, & ſapientia, quibus deeſt auctoritas, min' recipitur. Quanta ergo, & quali acceptione digna eſt Regula, quæ à viro ſanctiſsimo, ſapientiſsimo, eximiæ auctoritatis B. Auguſtino tradita reperitur?

Religioſorum ortus & varietas.

Præterea in principio cum oriri cœperunt Religiones, in Eccleſia fuerunt duo genera religioſorum. ſcilicet Anachoritæ, ſiue ſolitarij; & cœnobitæ, ſcilicet in congregatione viuentes. Multo vero poſt, Beatus Benedictus, cuius Regula grãdis eſt auctoritatis in Eccleſ. Dei, ſcripſit Regulam, ad exemplar vitæ priorũ cœnobitarum. Beatus vero Auguſtinus ſuam formauit, ad exemplar vitæ Apoſtolicæ. Quis autẽ dubitet, vitam Apoſtolicam, vitæ cunctorum viuentium præferendam? Antiquitas etiam multum confert ad laudem ſcripturarum, quia quanto antiquior, & quanto per plurium legentium examen tranſiens, nec paſſa calumniam, tanto iudicio plurium approbatur. Cum ergo Regula B. Auguſtini, non ſolum modernas Regulas, ſed etiam Regulam B. Benedicti, multis annis, pręceſſerit, & per tot virorum illuſtrium, & conciliorum iudicia tranſierit, quis audeat eam modo calumniari?

Cura interna maxime exigenda.

Præterea multæ ſunt Regulæ, quæ imponunt multas corporis obſeruationes. Regula vero Beati Auguſtini conſiſtit circa ſpirituales actiones, vt ſunt dilectio Dei & proximi, vnitas cordium, concordia morum, & ſimilia. Quis autem neſciat, exercitia ſpiritualia præcellere exercitationibus corporalibus: ſicut ſpiritus præeminet corpori, & lex ſpirituali legi carnali? Quoniam vero ſub Regulæ B. Auguſtini, permulti ſunt, qui ad alios iuuandos conſtituti ſunt, quales in primis ſunt cõcionatores; paucis oſtendamus, huiuſmodi hominibus, & ſtatum religioſum, & Regulam B. Auguſtini maxime conuenire.

Bonus

Bonus igitur Religioſus ceteris paribus poteſt non ſolum ſibi ſed & alijs magis quàm ſæcularis prodeſſe, maxime vero prædicatione, quæ in virum religioſum aptiſsime cadit. Primo, quia eſt excellentior: ſicut autem concionatoris eſt in alto ſtare, ita & altus ſtatus, iuxta illud Eſa. 40. Super montem excelſum aſcende, tu, qui euangelizas Sion. Secundo, quia concionatoris eſt non ſolum præcepta, ſed & conſilia prædicare. Quomodo autem alijs conſilia perſuadebit ille, qui illa ſibi accipere renuit? potius videtur illa reddere alijs ſuſpecta, cum ipſe ſibi ea nolit. Et poſſunt ei dicere, quod dictum eſt de Phariſeis: Dicunt, & non faciunt; nec ſequuntur exemplum illius, qui cepit facere & docere. Tertio, quia oportet prædicare non ſolum bonis, ſed etiam perfectis; & mundanis, & mundum contemnentibus; carnalibus & ſpiritualibus; vtentibus voluntate propria, & non vtentibus. Quis autem dubitet, quin magis competat illi, in quo plura ſigna maiorum bonorũ apparent, prędicare illis, qui ſunt in maioribus bonis, quam illi, in quo non apparent huiuſmodi ſigna? Quarto, quia ſtatus religionis eſt ſtatus contemplationis, ea vero quæ prædicantur, maxime colliguntur in contemplatione. Vnde Gregorius. In contemplatione hauriunt, quod poſtmodum in prædicatione effundant. Quinto, quia homini, qui eſt in ſua libertate timendum eſt de præſumptione, ſi ſit facilis ad concionandum: Si vero ſit tardus, timendum eſt ei de negligentia. Magis ergo expedit alieno imperio concionari, quam proprio motu. Ro. 10. Quomodo prędicabunt, niſi mittantur? Quis autem magis tenet ſtatum nuntij, quam Religioſus, cui dicitur vade, & vadit, veni & venit? Sexto, quia in executione officij prædicationis, facile, & in multis cõtingit offendere, propter quod fructus prædicationis impeditur. Expedit ergo concionatorem habere correctorem. Vnde Dominus miſit diſcipulos binos, vt vnus corrigeretur per alium. Nec debet odiſſe correctionis diſciplinam, qui alijs enarrat Dei iuſtitiam.

Prædicandi munus quare melius obeat vir Religioſus quàm ſæcularis.

Matth. 23.

Act. 1.

Prædicatio maxime ex meditandi ſtudio.

Luc. 10.

INTER Regulas vero approbatas, Regula B. Aguſtini concionatoribus accõmodatiſsima eſt. Primo, quia concionatores debent eſſe viri litterati, quod vult Auguſtinus in Regula, dicens: *codices certa hora ſingulis diebus petantur.* vult ergo diſcipulos, adeo ſtudioſos eſſe, vt nulla dies prætereat, quin codices reuoluantur. Secundo, quia multi ſancti & præclari viri, ſub hac Regula, plurimorum ſalutem concionibus, ac ſimilibus procurarunt. Tertio, quia Regula B. Auguſtini deducta eſt, tanquam ab exemplari, à vita Apoſtolica, quam concionatores omnes ſumme debent imitari.

CAP. IIII. Regula B. Auguſt. max. pro Concionatoribus.

Licet autẽ Reg. B. Aug. ꝑmittat habere poſſeſsiones in cõi. neminẽ

CAP. V. *Paupertatis ſtatus bene quadrat cum prædicandi officio.* men priuatim proprium aliquid habere vult: quæ res homines verbum Dei prædicantes maxime decet: multo enim plus competit prędicatio euangelica pauperi volũtario, quam diuiti. Primo, quia prędicanti euangelium incumbit prædicare Chriſtum pauperem, & euangelicam paupertatem: Quis autem dubitet, quin huiuſmodi prædicatio maiorem effectum habeat, & magis deceat in ore pauperis, quam diuitis? Secundo, quia melius eſt concionatori vitam excellentioris prædicatoris imitari; vt fuerunt Apoſtoli, pauperrimam vitam ducentes in prædicatione. Tertio, quia temporalia multum occupant, & inducunt ſolicitudinem: Propterea Dominus volens cõcionatorem eſſe vacuum ab omni occupatione ipſum impediente, *Luc. 10.* dixit diſcipulis ſuis, Neminem in via ſalutandum. & Paulus, ne abſtraheretur à prædicatione, non baptizabat. Vnde quidam Zelator *1. Cor. 1. Exemplum.* animarũ, cum multo tempore prędicaſſet in tanta humilitate, vt nollet habere niſi aſinum: tandem expertus curam, & ſolicitudinem aſini, modo cogitando, quid comederet, modo ne eum amitteret, modo ne male cuſtodiretur, eum dimiſit, & pedibus iuit, vt eius animus liberius vacaret prædicationi. Quarto, quia concionatoris eſt, non ſolum in locis populoſis; ſed etiam in locis ſterilibus, *Mat. 6.* pauperibus prædicare, exemplo illius, qui circumibat caſtella docẽs. Quomodo autem poſſunt hoc implere diuites, qui equos & familiam habent? Quinto, quia fructus prædicationis colligitur in confeſsionibus, & conſilijs animarum. talem igitur expedit eſſe concionatorem, ad quem fiduçialiter accedant omnes, pro huiuſmodi rebus. Certũ eſt autem, quod perſonę pauperes audacius accedunt ad virũ pauperem, & in habitu humili, quã ad diuitem, & in habitu glorioſo. quia animalia ſui ſimilibus facile adſociantur: immo etiã diuites, & nobiles, layci, & litterati, facilius committunt animarum ſuarum ſecreta pauperibus, quam diuitibus. Sed ad Regulam redeamus.

CAP. VI. *Regula B. Auguſtin. quare ſpeculũ.* QVIA dicitur in fine Regulæ, *Vt autem vos in libello hoc, tanquam in ſpeculo poßitis inſpicere*, putauerunt quidam quod Regula, B, Auguſtini eſſet ille liber, qui dicitur Speculum Auguſtini, & ideo dixerunt in titulo. Incipit ſpeculum Auguſtini. Sed hoc eſt falſum. Speculum enim, eſt liber in quo enumerat B. Auguſtinus mandata Dei: qui dicitur ſpeculum, quia in eo legendo poteſt quilibet videre quantum profecerit, vel quid ſibi deſit. Poſſet tamen dici, quod ſicut duplex eſt ſpeculum, ſcilicet generale, quod quandoque ponitur in aula cõmuni, in quo ſe reſpiciunt omnes, & ſpeciale quod ponitur in cubiculo, in quo domina ſe reſpicit. Ita eſt duplex opus Auguſtini, ſcilicet liber ſupradictus, qui pertinet ad omnes, & alter ad ſolos religioſos.

Dicitur

DICITVR hoc opus Regula dupliciter. Regula enim vno modo dicitur à rectitudine, quaſi rectula: ſicut eſt illa: qua vtuntur ſcriptores, & lignarij, & cæmentarij. Alio modo dicitur à regendo, vt in Grammatica, & in alijs ſcientijs. Iuxta primum modum dicitur hoc opus regula, quia ſicut per regulā, diſtorta dirigūtur: ſic per hoc opus diſtorti vitæ mores diriguntur. Item ſicut per illam gibbi remouentur, vt patet in cæmentario: ſic per iſtam, ſuperbiæ & ſuperfluitates complanatur. Item per regulam res quadrantur, vt lapides redduntur quadrati, ſic per hoc opus fiunt homines quadrati in virtutibus cardinalibus, vt ſint aptiores ædificio cæleſti. Item accommodantur res diuerſæ vt fiant aptæ coniunctioni in vnum, vt patet in cæmentarijs: ſic per hoc opus fiunt diuerſi vnum in Domino. Item per regulæ applicationem ponuntur in pergameno diuerſæ lineæ rectæ, & multæ; ſic per hoc diuerſæ virtutes in homine; quæ nihil aliud ſunt quam lineæ rectæ; quia virtus eſt qualitas mentis, qua rectè viuitur: vnde omnis virtus eſt quædam rectitudo. Item ſicut ſcriptor, qui regulam non curat, frequenter diſtortè ſcribit, ſic diſcipuli B. Auguſtini, Regulā negligentes, diſtorte viuunt; qui autem ſecūdum eam; rectiſsime viuunt. Itē ſicut ex applicatione regulæ, quandoque res, quæ videbatur recta, apparet diſtorta, vel gibboſa, quæ apparebat plana: ſic procul dubio ſi diligenter vita multorum ſub hac Regula degentium ipſi regulæ applicetur apparebit diſtorta, longe quam antea credebatur. Secundo etiam modo poteſt dici regula, quia ſicut regula in ſcientijs docet artem ſciendi, ſic hoc opus artem viuendi. Et ſicut per regulam, regit ſe quis in ſcientia, ita per hoc opus in vita. Et ſicut habet regula exceptionem, ita hæc Regula admittit diſpenſationem.

CAP. VII. Quare hoc opus dicitur regula. Regula duplex. Regulæ artificialis ac religioſæ egregiæ proprietates. Regulæ ſcientiarum cum religioſa comparatio.

Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus; deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Quia mandata Dei nō ſunt relinquenda propter mandata hominum, imo ſuper illa debēt omnia alia fundari, & quia ſine illis, iſta nihil proſunt; ideo Auguſtinus, ante omnia mandata ſua, proponit Dei mandata. Quia vero plenitudo legis eſt dilectio charitatis ad Deum, & proximum, ideo non ponit mandata ſingula, vitans prolixitatē; ſed hoc ſolum, in quo omnia alia complentur. Et quamuis omni homini neceſſaria ſit charitas, tamen ſpecialius Religioſo. Si enim linguis hominū loquatur & angelorū, charitatem autem non habeat, factus eſt velut æs ſonans, aut cymbalū tinniens, quod alijs prodeſt eos vocans, ſibi vero nocet, ſeipſum confringens. Quid autem prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, detrimentum autem ſui faciat? Item Religioſi intereſt

CAP. VIII. Quare in proœmio de diligēdo Deo ac proximo agitur. *1. Cor. 13.* *Matt. 16.*

tereſt inſtructum eſſe, & maxime de neceſſarijs ad ſalutem, iuxta quod dicitur de Ioanne Luc. 1. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. Certum eſt autem, quod interdum, vbi deeſt alia ſcientia, charitas inſtruit de his plene. 1. Ioan. 2. Vnctio, id eſt charitas, docet vos de omnibus, ſcilicet neceſſarijs ad ſalutẽ. Item vtilius eſt in prædicatione incendere quã inſtruere: ſed certe qui non ardet, nõ incendit, quia charitas inflãmat verba & facit vt faculam. Item in prædicatore grande vitium eſt tepor, & pigritia. Charitas autem non ſolũ vrget prædicatorẽ ſed etiam compellit. 2. Cor. 5. Charitas Chriſti vrget nos. Item quia Charitas nõ quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti.

1. Cor. 13.

CAP. IX.

Vgo hic incipit.

Hæc igiur ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus, in monaſterio conſtituti. Traditis mandatis Dei, tradit mandata ſua. Quidã hic incipiunt regulam, nec habent præcedentia mandata; quod accidit ex eo, quod Auguſtinus ſcribens quibuſdam fœminis ſuę diœceſis religioſis, inſerit in ea epiſtola hanc regulam, quam eis tradidit obſeruandam: incipiens ita, *Hæc igitur ſunt*, In regula autem, quam tradit viris, ante proponit duó mãdata charitatis, & incipit ita, *Ante omnia fratres.* Quare autem in regula fœminarũ non præmiſit duo mandata de dilectione? Dici poteſt quod in fœmina amor ſpiritualis facile degenerat in carnalem, cui malo timens occaſionem dare Auguſtinus noluit eis aliud imponere de dilectione proximi.

Epiſt. 109.

In fœminis amor proximi facile in vitiũ tranſit.

CAP. X.

Variæ ſententiæ de Regulæ obligatione: de quo argumento vide Turrecrematam doctè differẽtẽ tract. 5. & 6. in Reg. B. Benedicti.

HIc autem quæritur an omnia, quæ continentur in Regula ſint in præcepto? & quidem id videtur Conſtat enim, quod hoc pronomen, hæc, demonſtrat omnia, quæ ſunt in Regula, de quibus dicit, *Præcipimus*. Contra vero ſequitur, quod profeſſus hanc Regulã peccat mortaliter, quandocunque facit contra aliquid, quod ſit in Regula; ergo ſi non domat carnem ſuam ieiunijs, abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit, vel ſi non verſat in corde, quod profert, quando pſallit, & ſimilibus, mortaliter peccat. Ad hoc dicũt quidã, quod hæc dictio, hæc, cum ſit demonſtratiua rei propoſitæ, nõ demonſtrat ibi niſi duo mandata propoſita. Scilicet de vnitate cordium, & de communitate rerum, & hæc duo ſolum ſunt in præcepto in tota Regula. Sed ſi hoc eſſet verum, ſequeretur quod illud quod multo poſt dicitur: *Præpoſito tanquam patri obediatur*, non eſſet in præcepto, quod conſtat eſſe falſum. Ideo dicunt alij, quod omnia ſunt in præcepto: ſed cum præcepta affirmatiua non omni tempore ligent, non eſt neceſſe, quod peccet mortaliter profeſſus Regulam, quandocunque non implet omnia, quæ ibi dicuntur. Sed ſi hoc eſſet verum, ſequeretur ſaltem in præceptis negatiuis, quæ omni tempore obligant, quod quicunque contra faceret, peccaret mortaliter, ergo qui-

quicunque in oratorio faceret aliud, quàm illud, ad quod factum eſt, vel quicunque iret ſine ſocio, & ſimilibus, peccaret mortaliter, quod dictu eſt ſane durum. ideo dicunt alij, quod etſi omnia præcipiat Auguſtinus, tamen profeſſus Regulam illius non peccat mortaliter contra faciendo, quia non promittit obedientiam Auguſtino ſed Prælato. Sed ſecundum hoc nullus mortaliter peccaret faciendo contra aliquid, quod ſit in Regula, niſi, quando ad verba Auguſtini, adderetur præceptum Prælati; quod manifeſte falſum eſt. Ideo dicunt alij quod Regula eſt tota in præcepto, non tamen ſingulis, ſed profeſsis omnibus ſimul in eadem domo exiſtentibus. Sicut ſi pater familias præciperet toti familiæ vt purgarent certa die totum certum aliquem campum, præciperet omnibus ſimul, non ſingulis; & ſufficeret, ſi vnus vnam, alius aliam partem purgaret, modo totum fieret ab omnibus ſimul: Ita etiam impletur præceptum de tota Regula ſeruanda, quando in eodem conuentu ſeruatur totum, licet non quilibet totum impleat. Sed ſecundum hoc ſufficeret ſi in eodem conuentu, aliqui ſeruarent abſtinentiam, alius oraret, alius debitum habitum portaret, et ſic de alijs, modo totum ſeruaretur: quod certe ridiculum eſt. Ideo dicunt alii quod obſeruatio Regulæ eſt in præcepto; ſed non ſingula quæ continentur in Regula; ſicut obſeruatio Euangelij, eſt in præcepto, ſed non ſingula, quæ exprimuntur in Euangelio. Sed hoc iterum videtur minus bene dictum. Cum enim dicitur, *Hæc ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus*, hoc pronomen, hæc, cum ſit diſcretiuum potius demonſtrat ſingula mandata quā mandata in genere: & ita potius præcipitur obſeruatio ſingulorum quam obſeruatio in genere. Ideo reprobatis prædictis reſponſionibus, dicendum eſt, quod quædam reperiuntur in verbis diuinis, quæ habent in ſe modum & intentionem præcepti, vt eſt illud, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Quædam vero, quæ habent præceptum in intentione, quamuis non in modo, vt eſt illud. Non furtum facies. Quædam autem habent modum præcepti, ſed non intentionem, vt eſt illud de ſanatis ſurdo, & muto Matth. 7. cùm eis præcepit, ne cui dicerent. Quis enim audeat dicere, quod intenderet eos Dominus per hoc ligare ad mortale, & quod peccaſſent mortaliter, beneficium illud prædicando? tale eſt hîc. Non enim probabile eſt, quod vir tam ſapiens, quamuis per modum præcipiendi loquatur, intenderet omnia ponere ſub precepto, & tantam damnationis materiam ſuggerere accedentibus ad Regulam ſuam pro ſalute quærenda. Sed oritur ex hoc quæſtio. Quare poſuit verbum præcipiendi, ſi præcipere non intendit? dum enim ſic loquitur, videtur multorum ſcrupulorum occa-

Auctoris ſententia.

Ioan. 13.

Exod. 20.

B. Auguſt. mens eſt, magna eorum, quæ præcepit obſeruatio.

occaſionem dare; Reſpondetur, licet non intendat omnia ponere ſub præcepto, tamen propoſiti ſui eſt, velle hæc omnia multum ſeruari. Ad exprimendam ergo ſuam voluntatem, vtitur verbo præceptorio potius, quàm alio verbo ſimplici, ne daretur ex tenui modo loquendi pigritiæ humanæ occaſio Regulæ mandata minus curandi. ſimile quid eſt in Euangelio *Marc. 6.* Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum. ſed iterum ſurgit alia quæſtio. Si enim verbum præcipimus, non oſtendit veritatem præcepti, ſed ſolum intentionem voluntatis, ergo nullum præceptum eſt in Regula. Reſpondeo ita eſſe, quod nullum præceptum eſt in Regula, ex vi huius verbi; ſed multa ſunt in intentione, quamuis non ſecundum expreſſionem in modo loquendi; ſicut in diuina ſcriptura, cum nobis loquitur eodem modo; tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædam præcepta. Sicut *Luc. 7.* cum dicitur, Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & alteram, reputatur conſilium; & cum dicitur in eodem capite, Mutuum date, nihil inde ſperantes; licet ſit idem modus loquendi; tamen reputatur præceptum. Si vero quæratur, quomodo poſſunt hæc cognoſci? Reſpondeo, ratione; ratio enim bene diſpoſita poteſt facile iudicare, quod vir ſapiens intendit obligare profeſſores ſuæ Regulæ ad ea, quæ pertinent ad obedientiam, ad caſtitatem, ad vnitatem, & ſimilia: non autem æque ad ea, quę pertinent ad carnem exacte domandam, vel ad cauendum omne indecorum in omni motu, geſtu, & ſimilia. Sicut ergo in ſacris ſcripturis ratione, & doctrina ſapientum docemur, quæ ſint præcepta, & quæ conſilia, vel ſimplices exhortationes; vbi tamen ſcriptura eodem modo loquitur, ita in hoc opere. Patet igitur ex prædictis, quod modus tradendi mandata huius Regulæ, licet ſecundum verba præceptorius videatur; tamen ſecundum intentioné, non eſt vbique præceptorius. Quod porro dicitur, *Obſeruetis in monaſterio conſtituti,* nunquid intelligitur, quod extra monaſterium hęc nō ſint obſeruanda? Reſpondeo, quod quædam ſunt, quæ dependent à loco, vt petitio codicum, & huiuſmodi: & ad hæc non tenetur aliquis extra Monaſterium. Alia ſunt, quæ non dependent ex loco, vt habitus, honeſtas, & huiuſmodi; & hæc vbique ſeruanda ſunt.

Intentio magis quàm verba penſanda.

Eòdem tendit Turrecremata, ex rei præceptæ conditione obligandi vim eſſe diiudicandam.

IN CAP. I. REGULÆ VGO.

PRimum, inquit, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.

PRIMA nobis admonitio fit de charitate, & concordia: & tali concordia, quæ in Deo ſit. Nam concordia ad faciendum peccatum, mala eſt; Concordia vero ad faciendum bonum, & ſectandam iuſtitiam, & ſeruiendum Deo, bona eſt. Hoc eſt, *propter quod in vnum ſumus congregati*. ſcilicet vt in ſeruitio diuino, vnum ſpiritum, & vnum animum omnes habeamus. Et ideo præcipit, vt vnanimes habitemus in domo, & ſit nobis anima vna, & cor vnum in Deo. Oportet enim, ſi in vnum congregati ſumus corporaliter, vt ſimiliter habitemus & ſpiritualiter. Non enim prodeſt ſi nos continet vna domus, & ſeparat diuerſa voluntas. Plus enim attendit Deus vnitatē animi, quā loci. Ecce in vna domo ſumus plures homines, diuerſi mores, diuerſa corda, diuerſæ animæ: hæc omnia debet coniungere in vnum vna intentio, & vnus amor in Deum. Debemus ergo in hoc vnius eſſe animi, & vnius voluntatis, vt ſeruiamus Deo, & vt diligamus Deum, ex toto corde: quod ſic haberi poteſt, ſi frater, cum venit ad monaſteriū, incipit ſe ſpoliare propria voluntate, atq; illum imitari, qui ait, Non veni facere voluntatē meā: et iterum. Pater nō ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Hoc eſt em̄ quod maxime adducit concordiam, ſi quis non ſuam, ſed alterius voluntatem facere ſtudeat in bono: et hoc eſt magnæ humilitatis indicium. Inde generatur obedientia, creſcit charitas, et pax atque iuſtitia & ceteræ virtutes. Quod ſi volo facere voluntatem meam, & iſte ſuam, & ille ſuam, fiunt diuiſiones, oriuntur lites, iræ quoque & rixæ, quæ ſunt opera carnis. Et, ſicut ait Apoſtolus, qui talia agunt, regnū Dei nō conſequentur. Sunt quidam in congregatione obſtinati in ſuo ſenſu; Sapientes in oculis ſuis: quod in animo conceperint, hoc quaſi ex ratione defendunt; nec ſe aliis, ſed alios ſibi applicari contendunt; et, ſi viderint ſibi non obtemperari, ſtatim commouentur, & perturbantur. Tales ſolent eſſe rebelles mandatis ſeniorum, plurimumque in eis regnat paſſio inobedientiæ, & impatientiæ. Iſti non ſunt idonei ad concordiam. Nam, iuxta Apoſtoli vocem, euanuerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Magna quippe obſcuritas cordis eſt ſuperbia, & valde ſtulta ſa-

Concordia, fundamentum religioſæ vitæ.

Cōcordia quomodo initio paranda.

Io. 5. & 6.
Matt. 26.

Propria voluntas peſtis cōmunis vitæ.
Gal. 5.

ſapientia eſt, alijs ſe velle præferre. Contra quos idem Apoſtolus ait.
1. Cor. 3. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ne ſit ſapiens. Stultus enim ſapiens eſt, &, ſecundum Deum, magna ſapientia eſt omnibus
Eccli. 3. ſe iudicare inferiorem. Inde ſcriptum eſt. Quanto maior es, tanto te humilia in omnibus. Hinc Dominus diſcipulos ſuos, inter quos contentio erat, quis eorum videretur eſſe maior, ſtatim ad humilitatis concordiā reuocat dicens. Qui maior eſt veſtrum, erit ipſe veſter
Matt. 20. ſeruus; et filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & ani-
Ibid. mam ſuam dare redemptionem pro multis. Ergo vnanimes habitemus in domo. Bonum eſt enim & iucundum Deo, habitare fratres in
Concordia maxime placet Deo. vnum. Nec tam placent ei noſtra ieiunia, noſtræ orationes, quā concordia. Ideo dicit in Euangelio, Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum. Ex quibus verbis patet, quia qui concordiam non habet, omnipotenti Deo ſacrificium offere nō valet. Penſare ergo debemus, quanta ſit apud Deum concordiæ virtus, ſine qua non placent ipſa ſacrificia, quibus delentur peccata. Et
Diabolus nihil magis timet quam concordiam. ſciendum eſt, quia cum ad conuerſionem venimus, contra diabolum certamen aſſumimus. Nihil eſt autem, quod ipſe tantum timeat, quantum charitatis vnitatem. Nam ſi diſtribuimus totum, quod habemus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipſe nihil poſſidet: Si ieiunamus, hoc ipſe non metuit, quia cibum nō ſumit; ſi vigilam⁹, inde nō terretur, quia ipſe ſomno nō vtitur. ſed ſi charitate coniungimur, inde vehementer expaueſcit, quia hoc tenemus in ter-
Cant. 6. ra, quod ipſe in cælo ſeruare comtempſit. Hinc eſt, quod ſanctaEccleſia terribilis eſſe, vt caſtrorum acies ordinata deſcribitur. quia ſicut hoſtes timent, quando aciem caſtrorum bene ordinatam & coniunctam ad bellum vident: ita nimirum diabolus expaueſcit, quando ſpirituales viros, virtutum armis accinctos, in vnitate concordiæ, viuere conſpicit: victusque vehementer dolet, cum eos per diſcordiā,
Pſal. 75. diuidere & penetrare non valet. Hinc de Domino ſcriptum eſt. Fa-
Ibid. ctus eſt in pace locus eius. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Ex quibus verbis patet quia omnia diabolica arma frangit concordia.

Quod ſit vobis anima vna, & cor vnum in Domino. Hæ ſunt primi-
Coniunctio animi cum Deo neceſſaria. tiæ ſpiritus, quas ex primordio noſtræ conuerſionis offerre omnipotenti Deo debemus: ſicut ipſa ſapientia præcepit dicens. Fili da mihi
Prou. 23. cor tuum. prius enim corde & voluntate trahimur ad Deum. ergo ſi corpore ſeparamur à ſeculo, corde & animo iungamur Deo, vt
Pſalm. 72. poſſimus veraciter dicere, Mihi autem adhęrere Deo bonum eſt. Nā qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Adhæreamus ergo ei, vt ſimus for-

tes

tes per ipſum, vt ſimus vnum in ipſo, & beati dicamur cũ ipſo: Adhæſit anima mea poſt te. Charitas ſeparat nos à mundo, & ipſa coniungit nos Deo. Sic erit nobis anima vna, & cor vnum in Deo ſi ex toto corde, & ex tota anima diligamus Deũ. Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Et quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, recte ſubiungit. *Et non dicatis &c.* *Pſal. 62.* *1. Ioan. 4.*

VMBERTVS.

PRIMVM, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Excellentior eſt vita Cœnobitarum, quàm Anachoritarũ: in præmio poſt mortẽ: in ſecurritate in morte: in emolumento multiplici in vita. Propter primum, dicitur in vitis patrum, quod cum eſſent oſtenſi quatuor ordines, in cælo cuidam viro ſancto, ſcilicet infirmantium, & gratias agentium: ſeruientium infirmis; ſolitariorum; & viuentium in congregatione ſub obedientia, quartus apparuit ſublimior, eo quod alij omnes faciunt ſecundum propriam voluntatem; Iſti autem ſecundum voluntatem alterius. Vnde & de Chriſto dicitur ad Philip. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum &c. Propter ſecundum, dicitur de quodam Eremita, qui Deo reuelante, cognita morte, acceſsit ad cœnobium, vt ſecurius obiret tranſitum illum periculoſum, ac neceſſarium. Propter tertium, dicitur, Eccl. 4. Melius eſt duos eſſe ſimul: quam vnum, habent enim emolumentũ ſocietatis ſuæ. Primum emolumentum, ſocietatis adquiſitio: Si enim tanta eſt virtus ſocietatis cum muliere fideli, vt ſanctificetur vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Cor. 7. Quanto magis ſanctificatur quis ex ſocietate multorum bonorum. Pſal. 17. Cum ſancto ſanctus eris. Secundum, ſancta in bono calefactio; ſicut carbo frigidus ab ardente. Eccleſ. 4. Vnus quomodo calefiet? Et ſi fuerint duo, fouebuntur mutuo. Tertium, corroboratio. Prouerb. 18. Frater iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma: vbi murus murum corroborat, & turris turrim. Quartum, cadentis ſubleuatio Eccleſ. 4. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem. Quintum, hoſtium impugnatio. ibidem. Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Sextum, delicti indulgentia Gene. 18. Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos, dimittam omni loco propter eos. Septimum, præſentia Chriſti per gratiam. Matth. 18. Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine

Cap. XI. *Vita Cœnobitica quare reliquis præſtantior.* *Vitæ cõmunis emolumenta.*

meo, in medio eorum ſum. ſcilicet per aliquem effectum gratiæ. Octauum, precum exauditio. Matt. 18. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo: quia multitudo obtinet, quod non obtinet ſolus.

CAP. XII. *Quæ ſolẽt turbare vnitatẽ.* VNITATEM ſpiritus ſolent multa turbare. Primum, ſenſus abundantia, cum alius dicit ſic, alius aliter. Contra quos dicit Apoſtolus. Obſecro vt idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, id eſt, diuiſiones. Secundum eſt, ſapientiæ diuerſitas. Cum enim alij ſapientiam æternam acceptent, & ſecundum eam ambulent & dirigantur: alij vero ſapientiam mundi, carnis, vel diaboli, fit diuiſio, & turbatur vnitas prædicta. Contra hos dicit Apoſtolus. *2. Cor. 13.* Idem ſapite, id eſt eandem ſapientiam habere. Tertium eſt, amor ſingularis ad alterũ: hac enim occaſione, frequenter disiungitur quis ab alijs. *Philip. 2.* Contra hos dicit Apoſtolus: Eandem charitatem habentes, hoc eſt dilectionem communem. Quartum eſt, amor propriæ commoditatis. Cum enim non quæruntur communiter ab omnibus quæ ſunt Ieſu Chriſti, ſed quærit iſte quod ſuum eſt & ille ſimiliter, oritur diuiſio. *1. cor. 10.* Contra quos Apoſtolus dicit. Nemo quod ſuum eſt, quærat. Quintum eſt, obſtinatio voluntatis, cum aliquis induci non poteſt ad adquieſcendum: contra quod de alijs dicitur in *Pſalm. 54.* Pſalm: In domo Dei ambulauimus cum conſenſu: cum conſenſu enim ambulant, qui ſibi facile mutuo adquieſcunt; quod multum facit ad cordium vnitatem. Sextum eſt, auerſio á voluntate diuina: cum enim ipſa ſit vna, qui adhærent, vnius ſunt voluntatis; qui auertuntur ab ea, feruntur in diuerſa. Ideo inquirenda eſt voluntas *Rom. 12.* Dei, ſecundum Apoſtolum, & faciendum, prout petitur in oratione *Matt. 6.* dominica cum dicitur: Fiat voluntas tua. Sed notandum eſt quod poſtquam dixit, *vt vnanimes habitetis in domo,* ſubiunxit, *& ſit vobis anima vna & cor vnum in Deo:* Sunt enim quidam, qui conueniunt in ijs, quæ ſunt mundi, carnis, vel diaboli vnanimiter, quæ vnitas non eſt laudanda, ſed perniciosa. *Concordia in bonis, non in malis rebus.* Greg. ſuper illud Iob. 12. Membra carnium eius cohærentia ſibi. Sicut perniciosũm eſt, inquit, ſi deſit vnitas bonis: ſic perniciosum eſt ſi non deſit malis. Tria autem mala ſequũtur ex huiuſmodi vnitate. *Concordiæ in malis nocumenta.* Primum eſt incorrigibilitas; Greg. in Moralib. Qui diuiſi corrigi poterant, iniquitatum ſuarum pertinacia vniti, durant. Secundum eſt audacia in malitia. Actor. 7. Impetum fecerunt vnanimiter in eum. Gregor. Peruerſos vnitas roborat, dum eos concordat. Tertium, durior perſecutio bonorum. Grego. in Mora. Rreproborum vnitas bonorum vitam tanto durius premit, quanto ſe ei per collectionem durior opponit. Iſta vnitas in

Deo

Deo non eſt. ſed potius contra Deum. Vnde Ioſue 9. Congregati ſunt vt pugnarent contra Ioſue, ideſt Chriſtum. Interdum corde. *Pſalm. 82.* Pſalm. Cogitauerunt vnanimiter ſimul aduerſum te. Aliquãdo ore, Pſalm. Aperuerunt ſuper me os ſuum. Aliquando opere. Actor. 4. *Pſalm. 21.* Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti. Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Iſrael, facere, quæ manus tua & conſilium tuũ decreuerunt fieri. Talis ſocietas non eſt ſequenda, ſed fugienda. Gen. 49. In cõſilium eorũ nõ veniat anima mea, & in cœtu illorũ nõ ſit gloria mea. Sed ſunt alijqui licet ſint in vnitate cũ malis, non tamẽ habẽt cor vnũ in Deo cum alijs; *Contra reſiſtẽtes Reformationi.* quia reſiſtunt bono, & opponũt ſe reformationibus, reſtrictionibus, nouis conſtitutionibus licet bonis, & ſimilibus, quæ valent ad boni promotionem iuxta illud Actor. 7. Dura ceruice; vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Spiritui ſancto enim reſiſtit, qui bonum quodcunque, quod à ſpiritu ſancto eſt, impedit. Contra vero dicitur de ſapiente, Iacob. 4. Bonis conſentiens. Sed ſunt alij, qui tanta amicitia adhærent aliquibus, vt ſemper & in bono, & in malo, adhæreant eis. *Concordia in bonis, & in malis, mala.* Sed hæc eſt amicitia ſecularis, & falſa, quia ſecundum Tullium hæc lex eſt in amicitia vera, vt nunquam turpe quid rogemus, nec rogati faciamus. Propter hoc, ſicut dicitur in Valerio Maximo, Cum quidã *Exemplum.* rogaret amicum ſuum, vt aliquid ſua cauſſa faceret minus honeſtũ: ille vero negaret, quod id inhoneſtum eſſet: cum, qui rogabat diceret, Quid mihi prodeſt amicitia tua, ſi pro me nihil niſi honeſtum vis facere? Ille reſpondit; quid mihi valeret amicitia tua, ſi pro te quod honeſtum non eſt facerem? Nunquam ita adhærendum eſt alicui, vt eum ſequamur in malo in amicitia; qui vero contra faciunt, non habent cor vnum cum alijs in Deo ſolo: quia habent & in bono & in malo cor vnum cum alijs. Prouidendum igitur eſt volenti ſeruare *Epilogus conditionum Concordiæ.* mandatum de vnitate cordis in Deo, ne conueniat cum alijs in malo, vt faciunt primi: ne diſcedat ab aliis in bono, vt faciunt ſecundi: ne conſentiat cum aliquo æque in bono, atque in malo, ſicut tertij; ſed ſolum in ijs, quæ Dei ſunt. Hæc eſt enim vnitas, quæ hic mandatur, vt fides, oratio, prædicatio, ſtudium, & ædificatio proximi, promotio ordinis, & ſimilia. Quia vero in congregatione religioſa non tantum vnitas animorum, ſed etiam rerum communitas inueniri debet ſubiungit, *Et non dicatis &c.*

IN CAP. II. REGVLÆ VGO.

Non dicatur meum, ſed noſtrum.

Vnitas religioſorum maior quam fratrum germanorum.

Philip. 2.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

Heb. 13.

Pars ſæcularium aurum & argentum, pars Religioſorum Deus.

Matth. 5.

E*T non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia cõmunia.* Non enim debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere meum, ſed noſtrum, vt dicatur noſtra cappa, noſtra tunica, noſtra domus, & in ceteris ſimiliter. Omnia em̃ in cõmuni debemus habere, & omnia cõmuni nomine appellare. Sed in hoc penſandum eſt, quanta differentia ſit inter carnales fratres, & ſpirituales. Nam illi quod commune eſt eis, diuidunt: iſti quod diuiſum erat, in communi ponunt. Ibi quiſq; quod ſuum eſt quærit: iſti non quæ ſua ſunt quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Plus ergo valet iſta propinquitas, quam illa: quia illa deficit, iſta creſcit. Illa habet diuiſionem, iſta vnitatem. Illa tranſit cum ſeculo, iſta permanet cum futuro. Ad hoc enim ſimul, modo in iſta domo viuimus, vt poſtmodum in cæleſti regno maneamus. Filij Dei ſumus, ait Apoſtolus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus autẽ quod cum apparuerit: ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et iterum, Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. ergo non debemus habere propria: ſed ſint nobis omnia cõmunia. Partes ſibi faciunt homines in hoc ſeculo: alius argentum & aurum; alij domos & familias; alius nomen grande, potentiam, & gloriam: Iſte hoc, alius aliud; diuerſi diuerſo modo. Pars vero piorũ, eſt ipſe Deus: & nos, ſi volumus habere talem poteſtatem, talem hæreditatem, vt eſt dominus, tales nos oportet exhibere, vt digni ſimus eum poſsidere, & poſsideri ab ipſo. Ergo ſi volumus in hæreditatem poſsidere Deum, nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis eſt auarus, cui non ſufficit Deus: quod ſi quidpiam aliud quærimus. verbi gratia, aurum, argentum, poſſeſsiones: cum iſtis partibus, pars fieri dominus dedignatur. Verba ſunt B. Hieronymi, Ego inquit non accipio hæreditatem inter ceteras tribus; ſed quaſi ſacerdos, & leuita, viuo decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor: habens victum & veſtitum his contentus ero. Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et quia quandiu hic viuimus, corporali neceſsitate indigemus, recte ſubiungitur, *Et diſtribuatur &c.*

VMBERTVS.

CAP. XIII. Quinque quæſtiones de rerũ communione.

E*T non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia cõmunia.* Circa communitatẽ notanda ſunt quinque. Primo de laude ſtatus huiuſmodi. Secundo de fructu. Tertio de occaſionibus proprietatis in Religioſis, & de remedijs. Quarto de perſecutione hui⁹ vitij. Quinto de quibuſdã dubitationibus circa proprietatẽ.

CAP. XIIII. CIRCA primum nota, quod in ſtatu naturæ ante peccatũ erant

omnia cōmunia. Vnde Iſidor⁹, Ius naturale, inquit, cōmunis omniū poſſeſsio, diſt. 1. Item in primordiis ſtatus gratiæ, Act. 4. Erant illis omnia cōmunia: Item in ſtatu futuræ gloriæ, Beda in prædictū locū. Qui ita viuunt, vt ſint omnia cōmunia in domo, cœnobitæ vocantur: quæ vita tanto felicior eſt, quantum ſtatum futurum imitatur, in quo erunt omnia communia. Cum ergo non ſit reperire meliorē ſtatum naturæ, quam ſtatum ante peccatum: nec gratiæ, meliorem, quàm primitiuum: nec gloriæ, quam futurum; quam felix eſt ille ſtatus, qui tales ſtatus naturæ, gratiæ, & gloriæ imitatur? *Laudes paupertatis.*

CAP. XV.

Nocumenta proprietatis.

Circa ſecundum nota, quid proprietas, frequenter eſt occaſio turbationis cum proximo. Seneca, Quietiſsime homines viuerent, ſi tollerentur hæc duo pronomina, meum & tuum: res enim cōmunes nunquam ſunt materia litis: Sed cum ex concupiſcentia vult eas ſibi quis appropriare, ſurgunt frequenter turbationes: vel cū haberi nō poſſunt, vel cū habitæ auferuntur; & impletur illud Prou. 15. Cunturbat domū ſuā, qui ſectatur auaritiam, ſcilicet proprietatē. Secundo, dat occaſionem victoriç inimico, quia per propriū, poteſt eum inimicus tenere, ſicut tenetur quis ab aduerſario per veſtem: vnde in vitis patrum, Cum quidam frater veniſſet ad ſenem, volens relinquere ſeculum, ſed nonnulla retinere propter neceſsitatem: dixit ei ſenex. Vade ad macellū, & eme carnes, & pone ſuper dorſum tuum: & ſic veni ad me: quo facto, inuaſerunt eum canes, & occaſione carniū, eum lacerauerūt, Et dixit ſenex, Sic dilaniantur à dęmonib⁹, qui abrenunciantes ſeculo, aliquiid retinent ſibi. Tertio, auertit animū ab alijs rebus bonis: vbi enim theſaurus hominis, ibi eſt & cor eius. Vnde, vt ſupra dictum eſt, quidam aſinum dimiſit, ne diſtraheretur. *Exemplum aptiſsimum.* *Matt. 6.*

CAP. XVI.

Occaſiones proprietatis & remedia.

Circa tertiū nota, quod tria dant occaſionē proprietatis: Primū, eſt indigentia: magis enim eligunt aliqui aliquid habere cū peccato, quā indigere. Cōtra hoc eſt duplex remediū: Vnū eſt, liberalitas Prelatorum, vt liberaliter ſuppeditent de cōi, & huiuſmodi occaſio tollatur: Act. 4. Diuidebatur ſingulis, ſicut cuiq; opus erat. & in eodem: Nec quiſquā egens erat inter illos. Aliud eſt patientia ſubditorum: ſunt enim quidā ſecundū Greg. qui pauperes eſſe volunt, ſed ſine defectu: non ſicut Apoſtolus, qui dicit, Scio abundare & penuriā pati. O quantā penuriā ſuſtinuit in victu, & veſtitu. qui dicit. 2. Cor. 11. In fame, & ſiti, in ieiunijs multis: in frigore & nuditate: Huius ergo exēplo, maxime qui alijs prædicant pænitentiam, patienter ferre debent indigentiam. Pſal. Bene patientes erunt, vt annuncient Secundū eſt, diffidentia de prouidentia diuina. Sunt enim quidam, quibus quāuis nihil deſit, tamē ſemper timēt in futuro ſibi deeſſe, Remediū huius *Philip. 4.* *Pſalm 91.*

ius eſt confirmatio dominica, quam facit verbo & exemplo: ſiue promiſsione, & ratione. Verbo cum dicit, Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Exemplo, cũ dicit conſiderate volatilia cæli: non laborant neque nent: & pater veſter cæleſtis paſcit ea: quanto magis vos modicæ fidei? Et maxime prædicatores poſſunt habere hanc fiduciam, qui ſuam & aliorum ſalutem procurant: Beda, Tanta prædicatori in Deo dicitur eſſe fiducia, vt præſentis vitæ neceſſaria, quamuis non prouideat, tamen ſibi non deeſſe certiſsime ſciat. Tertium eſt, ſenſualitas; Sunt enim adeo aliqui circa curam carnis intenti, in cibis, & veſtibus, vt non ſint contenti neceſſarijs, quæ eis competenter ſubminiſtrantur: & ideo inordinate alia procurant, vt ſenſualitati ſuæ ſatisfaciant. Contra quos Apoſtolus, Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Remedium huius eſt conſideratio finis, ad quem huiuſmodi ſenſualitas deducit. Apoſtolus, Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Maxime autem pdicatori cauenda eſt huiuſmodi ſenſualitas. Apoſtolus, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne forte cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.

Matth. 6. — *Ita eſt.* — *Rom. 13.* — *Rom. 8.* — *1. Cor. 9.*

CAP. XVII. *Tria genera vitiorum, quæ ſingulariter pena digna ſunt.*

Circa quartum nota, quod tria ſunt genera peccatorum, quæ magis ſunt perſequenda: Vnum eſt, peccatum contra Rempub. ſicut furtum, & ſimilia, per quæ læditur proximus: ideo contra hoc dictum eſt Exod. 23. Maleficos non patieris viuere. Aliud eſt, peccatum, quod habet plures occaſiones excuſationis: Si enim ceſſaret perſecutio peccatorũ, iam nõ reputarétur peccata, & facile ab omnibus cõmitterentur, & infiniti damnarentur. ideo Eccleſia vſurã, quę huiusmodi peccatum eſt, inceſſanter perſequitur. Prouerb. 26. Reſponde ſtulto, iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Si enim Eccleſia huiuſmodi ſtultis vſurarijs, qui non reputant vſuram peccatum, nõ reſponderet per pœnas & per concionatores eas deteſtantes, ij ſapienter ſentire viderentur. Aliud eſt, peccatum, quod habet cõtinuitatem, ſicut concubinatus: huiuſmodi enim peccatum facientes, ſunt in malo propoſito continue, & ideo grauius peccant. Vnde in decretis. Peccata tanto grauiora ſunt, quanto diutius obligatam tenent animam infelicem. ideo Eccleſia frequenter concubinarios perſequitur; exemplo Pauli, qui fornicatorem frequenter tradidit Satanæ, non ſolum propter magnitudinem ſceleris, ſed propter continuitatem: vnde dicitur de illo, quod vxorem patris habebat, ſicut ſuam: & exemplo Ioannis, qui dixit Marc. 6. Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Conſtat autem quod in peccato proprietatis illæ tres cauſæ concurrunt. Eſt enim contra Rempub. quia de com-

1. Cor. 5. — *Proprietas non ferenda.*

communi facit proprium: videtur quaſi non eſſe peccatum, propter occaſiones cuiuſdam neceſsitatis, quę ad hoc inducunt: ipſum continue detinet proprietarium, quia de vitio carnis vel obedientiæ & huiuſmodi cito reſurgit quis, ſed in iſto inuolutus, cõtinue immoratur eo. Quantum ergo ſancta Religio debet perſequi huiuſmodi peccatum, habens triplicem circumſtantiam prædictam; quarum quælibet ſola facit omne peccatum, in quo reperitur, ita odioſum, vt ſine ſimulatione, zelus ſanctus in ipſum debeat exerceri. Narrat autem huiuſmodi perſecutionis & punitionis exemplum Grego. 4. Dialogorum, qui præcepit proprietarium ſepeliri in ſterquilinio: dicentibus fratribus omnibus, pecunia tua tecum ſit in perditionem; & proijcientibus tres aureos, quos fuerat inuentus habere, cum eo in ſepulchrum. Dant exemplum etiam ipſi fundatores Eccleſiæ primitiuæ. Quod enim peccatum grauius eſt punitum in Eccleſia primitiua, quam peccatũ Ananię, & Saphiræ: qui de eo quod commune eſſe debebat ſibi aliquid modicum retinentes, ad verbum B. Petri morte ſubita ſunt perempti, & factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia. Actor. 5. Dat etiam exemplum de hoc ipſe populus carnalis antiquorũ; Achor, qui furatus fuerat de anathemate Hierichuntino in figura proprietariorum, lapidatus eſt, & omnia quæ eius erant combuſta. Ioſue. 7. Non eſt ergo huiuſmodi peccatum diſsimulandum, nec parcendum talibus, quia nec Deus parcit eiſdem. Vnde monacho habenti proprium negabit Deus ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere.

Cap. 55.

Talẽ Requiem cantant dæmones proprietariis.

Nota ò miſer proprietarie.

Circa quintum, quæritur An poſsit Prælatus diſpenſare cũ ſubdito ſuper proprio habendo, & reſpondetur non poſſe quantæcunq; ſit auctoritatis, neq; Papa id poteſt, vt patet extra de ſtatu Monachor: c. Cũ ad monaſterium. vbi ſic dicitur. Non æſtimet Abbas, quod, ſuper habenda proprietate, poſsit cum aliquo monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus pontifex poſsit licentiã indulgere. An vero cũ religioſo poſsit diſpenſari circa vſum rei? Reſpondetur, quod duplex eſt vſus; certus, qui non poteſt auferri: & incertus, qui eſt in alterius voluntate, vt auferatur cum ei placuerit. Circa primum non poteſt diſpenſari; ſemper enim debet eſſe voluntas religioſi ſubiecta Prælato, vt reſignet quando voluerit: circa incertum poteſt ex cauſſa rationabili. Sed quæ vocabitur cauſſa rationabils? Reſpondetur quod duplex poteſt eſſe cauſſa diſpenſandi in his, ſcilicet neceſsitas, & vtilitas. Prima poteſt eſſe duplex: ſcilicet priuata & communis. Priuata cum conceditur alicui

Cap. XVIII. *Prælatus non poteſt in proprio diſpẽſare.*

Qualis rerum uſus à Prælato concedi poſſit.

Cauſſa diſpenſationis ex duplici neceſsitate vel vtilitate.

in monaſterio pauperi, in quo de communi non poſſumus habere neceſſaria, vt aliquid habeat ad vſum neceſsitatis ſuæ, cum propoſito tamen reſignandi ſemper, cum fuerit requiſitus. Communis, vt cum conceditur alicui officiali communi aliquid, ad expendendum in vſus & neceſsitates aliorum, Vtilitas ſimiliter poteſt eſſe duplex. Priuata, cum cōceditur alicui liber ad ediſcendas aliquas orationes, vel ad informandum animum ſuum in ijs, quæ pertinent ad ſalutē, licet non habeat gratiam docendi alios. Communis, cum conceditur alicui liber, qui poteſt ex ſtudio ſuo alijs prodeſſe. Licet autem huiuſmodi neceſsitates & vtilitates ſint interdum cauſſa ſufficiens diſpenſandi, tamen non omnis neceſsitas & vtilitas ſufficit, niſi ſit valde rationabilis, & manifeſta, vt ſunt in neceſsitatibus quotidianis, quæ pertinent ad victum & veſtitum. & eſt valde cauendum, ne in huiuſmodi, facile diſpenſetur, propter ſpeciem mali. Quandoque enim etſi ſubſit aliqua cauſa, tamen ſpecies mali ibi remanet. Item propter conſcientiæ periculum: facile enim hîc fingitur cauſſa, vbi non eſt: & mentitur iniquitas ſibi, petens huiuſmodi diſpenſationem. Item propter exemplum. Trahitur enim diſpenſatio, quæ fit cum vno, ex cauſa bona, facile ad conſequentiam in altero, in quo non ſubeſt eadem cauſa. Sed eſto quod diſpenſetur cum aliquo, circa vſum rei incertum, ſed tamen ſine cauſa: nunquid excuſatur à vitio proprietatis, ſi habet animum reſignandi, cum fuerit requiſitus? Reſpondetur, quod excuſatur à proprietate, ſed non à peccato: quia in diſpenſante eſt abuſus poteſtatis, quæ data non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem. In recipiente eſt auaritia, cum teneat aliquid ſine cauſa rationabili, ex quo poſſet aliquis proficere, tanquam pecuniam in ſudario, quæ dari debuit ad lucrum. Matth. 25. Et ideo diſtrictam de hoc oportebit eum reddere rationem, ſint ergo vobis omnia communia. Sed quia de huiuſmodi communi miniſtrandum eſt ſingulis, non æqualiter, ſed ſecundum exigentiam, ſubiungitur de hoc mandatum, *Et diſtribuatur &c.*

In diſpenſando caute agendū.

Vtens diſpenſatione non ſemper ſine peccato eſt.

IN CAP. III. REGVLÆ VGO.

ET diſtribuatur vnicuique veſtrum, à Præpoſito veſtro, victus & veſtimentum. Sic enim Dominus voluit ordinari Eccleſias ſuas, vt alij vacarent ſpiritualibus, alij eis temporalia miniſtrarent. Et ideo alios voluit eſſe præpoſitos, alios ſubditos.

Subditorū eſt ſpiritualia curare, non temporalia.

tos. Præpoſitorum officium eſt, ſubditis corporalia miniſtrare. Subditorum miniſterium eſt, ſpiritualibus ſtudijs inſiſtere; lectioni, orationi, contemplationi vacare; in Pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, cœleſti Domino deſeruire. Tanto ergo opus eſt vt circa ſe ſolicitius viuant, quanto eos aliena cura non implicat. Conſtitutum eſt à Domino, vt qui altari ſeruiunt, de altari viuant. dignus eſt operarius, ſicut ipſe ait mercede ſua. Et ideo ſi viuimus de annona Chriſti, & iuſtum eſt, vt laboremus in ſeruitio Chriſti: & tunc digne mercedem accipimus, ſi prius boni operarij fuerimus. Dicit enim Apoſtolus. Qui non vult operari, non manducet. quod ſi non laboramus & manducamus, tanto maioris criminis efficimur rei, quãtum Dei beneficia ſuſcepimus indigni. Oportet ergo vt ſeruiamus ei, à quo paſcimur, ſi ſine periculo animæ volumus ſumere hoc, quod diſtribuitur: & tanto plus debemus in eis eſſe ſolliciti: quantum ea percipimus ſine magno labore. Nam quid mirum, ſi qui temporalibus occupantur, minus ſtudioſe & religioſe viuunt; ſi frequenter in cogitationibus & ſermonibus, atq; actionibus ſuis offendunt. Vſus enim ſeculi, hominem, ad peccatum, etiam quandoque inuitum, trahit. Hi vero, quibus & cura mundi, & occaſio peccandi deeſt, quãto minus religioſe viuunt, tanto ſupernum iudicem offendunt; nec ſine graui periculo animę, etiam in minimis negligentijs offendunt. Penſemus ergo ad quid nobis victus, & tegumentum tribuitur: vt ſit totum deſiderium noſtrũ, primum quærere regnum Dei & iuſtitiam eius; propter quod hæc omnia adiiciuntur nobis. Qualiter autem diſtribuendum ſit, oſtenditur, cum ſubinfertur.

1.Cor.9. *Luc.10.* *Matt. 6.*

NON æqualiter omnibus diſtribuatur, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuique, prout cuique opus fuerit. Et hoc auctoritate Apoſtolica roborat dicens. *Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut vnicuique opus erat.* Hoc non eſt ita intelligendum, vt vnicuique quod opus erat, ſic abundanter diſtribueretur, quod non haberent indigentiam. Cum enim ſcriptum ſit, quod inter eos nullus egens erat; ſcriptum etiam legimus, de ipſis Apoſtolis, quod ſeruiebant Deo in fame, & ſiti: in frigore & nuditate. Ex quibus verbis colligendum eſt, quod multi corpore indigent, non animo, Sed qui ſemetipſos abnegant, propter Chriſtum, animi virtute, ipſam ſuperant naturam. Dei namque dilectio, quæ fortis eſt vt mors, nõ ſolum illicita deſideria, verumetiam ipſos corporales & naturales extinguit affectus. In primitiua quippe Eccleſia, tanta erat gratiæ ſpiritualis abundantia, vt non ſolum modico contenti eſſent: ſed hoc

Vt in primitiua Eccleſia aliqui egebãt, ita in Religione. *2.Cor. 11.* *Cant. 8.* *Vbi multũ ſpiritus, temporalia non curantur.*

hoc ipſum, quod nihil habebant, pro ſummis delitijs deputarent. Vnde Apoſtolus ait. Nihil habentes, & omnia poſsidentes. Hinc etiam quidam vir ſanctus ait. Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitiæ computarentur? Item ait Apoſtolus. Magnus inquit quęſtus eſt pietas, cum ſufficientia: habentes inquit victum & veſtitum his contenti ſimus. In huiuſmodi ergo non debemus attendere voluntatem carnis, ſed valetudinem naturæ. Plus enim appetit carnalis voluntas, quam neceſsitas. Quamobrem in eo quod dicitur, *vnicuique quod opus eſt tribuatur*, iſte modus ſeruandus eſt, quatenus ſic nutriatur caro, vt ſeruiat: et iterum, ſic reprimatur, vt non ſuperbiat: ſic ſeruetur neceſsitas naturæ, vt abſcindatur ſuperfluitas concupiſcentiæ.

2.Cor.6. *Tob.5.* *1.Tim.6.* *Ibid.*

VMBERTVS.

ET diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: Sed potius vnicuique, ſecundum quod cuiq; opus fuerit. Quia dixerat omnia communia eſſe debere, poſſet credi, quod quilibet de communi poſſet accipere, tanquam de ſuo ad libitum. Quem errorem excludens ſubiungit, quod non propria auctoritate ſunt res accipiendæ, ſed per diſtributionem. Circa quod quatuor determinat. videlicet, quibus ſit diſtribuendum? vnicuique. à quo? à Præpoſito. quid? victus, & tegumentum. qualiter? non æqualiter omnibus.

CAP. XIX. Religioſus non poteſt rebus Monaſterij pro voluntate vti.

AN vero Religioſus, accipiens, propria auctoritate, aliquid de communibus bonis, peccet. & id prima facie non videtur, quia ſicut tempore neceſsitatis, omnia ſunt communia omnibus, ſic & Religioſis ſunt communia; ſed in caſu neceſsitatis, licet accipere cuilibet propria auctoritate, ſimiliter ergo hic. Reſpondetur, quod quædam ſunt ita communia alicui Communitati, vt liceat cuilibet accipere partem ad libitum: ſicut ſylua alicui villæ, & ſimilia: quædam vero ſunt ita communia, vt totum à toto poſsideatur, & nihil partis à parte, ſicut ſunt bona alicuius Capituli; Tempore neceſsitatis omnibus omnia ſunt communia primo modo, & ita licet cuilibet accipere de communibus illis bonis; Religioſis vero ſunt omnia communia ſecundo modo, quia nulli in ſingulari licet aliquid poſsidere, & ideo non eſt ſimile. Præterea neceſsitas non ſubeſt legibus; Religio vero ſubeſt; & ideo nō licet Religioſis accipere de com-

communibus, niſi ſecundum leges traditas. Præterea Religioſus non eſt ſui iuris, multo ergo minus debet ſibi facere ius, etiam in alijs rebus, ſine alterius auctoritate; alias peccat plus vel minus. Sunt enim in communibus bonis quædam, quæ non ſolent diſtribui, vt theſaurus eccleſiæ; quædam, quæ ſolent diſtribui, vt victus & huiuſmodi. Item inter ea, quæ diſtribuuntur, quædam ſunt maioris neceſſitatis, vt victus & veſtitus; quædam vero minoris, vt libri, pergamenum, & huiuſmodi. Item inter ea, quæ ſunt alicuius neceſſitatis, quædam ſunt, quæ non ſunt diſtributa, ſed ſunt adhuc in communi: quædam vero ſunt iam diſtributa, Item inter diſtributa quædam ſunt, quæ non poſſunt accipi ſine turbatione alterius, quædam vero poſſunt. Plus ergo, peccat qui accipit quod nõ ſolet diſtribui: & plus, qui accipit, quod eſt maioris neceſſitatis: et plus, qui aſsignatum iam alijs; & plus, qui cum turbatione. *Varia genera rerum Monaſterij.*

An vero excommunicato ſit diſtribuendum, Reſpondetur, quod ſi poteſt habere abſolutionem, & non curat, non eſt ei aliquid dandum: Præcipue ſi ſit ei fomentum malitiæ: Si autem non poteſt habere, quia eſt forte caſus reſeruatus Papę, cũ talis Religioſus ſit pauper poteſt ei dari aliquid ſeparatim: dummodo dans, faciat hoc cauſa humanitatis, non ex contemptu excõmunicationis: et recipiens, ex hoc non negligat laborare pro abſolutione. Vnde Gregor. 11. q. 3. Si quis excommunicatis, ad ſuſtentationem, nõ ſuperbiæ ſed humanitatis cauſà, aliquid dare voluerit, non prohibemus. Quæritur quid per Præpoſitum intelligatur? Reſpondetur, Quod Prælatus, qui per ſe poteſt diſtribuere, dummodo non abſtrahatur à melioribus bonis: cum dicatur Lucæ 22. ad exemplum Prælatorum. Ego autem in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat: Poteſt tamen Prælatus iſtam diſtributionem facere etiam per alios. Hinc colligitur, quod Prælatus debet eſſe magis ſolicitus de temporalibus, quam ſubditi; cum debeat diſtribuere, & ſicut pater, cogitare de neceſsitatibus filiorum. Circa tertium nota, quod non ſolum victus & veſtitus accipienda ſunt per diſtributioné, ſed omnia alia neceſſaria. Sed de his magis fecit mentionèm, quia ſunt maioris neceſsitatis, & quotidianæ: de quibus magis poſſet videri, quod poſſunt ſumi propria auctoritate. Nota hìc, quod laudabilior eſt conſuetudo Religioſorum, qui non dant certo tempore certam veſtem, vtpote tunicam vnam in anno, vel cappam in biennio, & huiuſmodi: ſed dant ſecundum indigentiam. Item illa conſuetudo, quæ dat certam pecuniam cèrto tempore pro veſtibus, aut alijs neceſſarijs cuilibet, omnino eſt reprobanda; non ſolum quia eſt materia proprietatis, ſed quia eſt contra Regulam

Excommunicato quatenus ſubueniendum ſit.

Præpoſitus quis.

Res pro neceſſitate diſtribuendæ.

Pecunia pro veſtibus non danda.

Digitized by Google

lam, quæ non dicit, pecuniam, ſed victum & veſtimentum, eſſe tribuendum. Circa quartum, ſcilicet, non æqualiter omnibus; hoc videtur eſſe contrarium B. Benedicto; qui in Regula ſua dicit certam menſuram panis, & potus dandam omnibus. Reſpondetur, quod B. Benedictus committit Abbati, vt plus tribuatur, ſi neceſsitas hoc requirit. In conuentu enim poteſt aliquid dari interdũ alicui, quod alijs non datur; cum hoc requirit neceſsitas vel infirmitatis, vel naturæ: Aliter non eſt exhibenda huiuſmodi diſpenſatio, ne ſub pallio neceſsitatis, peragatur negotium voluptatis.

Superfluaquare cauenda.

Sicut cuique opus fuerit, non ſicut quisque voluerit. Per hoc innuit quod cauenda eſt ſuperfluitas, & nimia tenacitas omni Religioſo, & præcipue alios ad Deũ trahere volenti, triplici de cauſa. Primo, ne Zelus eius impediatur: cum enim difficile ſit, aſſueta relinquere: quicunque aſſueſcit ſuperfluitati, vix poterit indigentiam ſuſtinere; ſed curantem ſalutem animarum, oportet indigentiã ſuſtinere; Talis ergo refugiet laborẽ, vt declinet inopiam. Secundo, ne ipſi laboranti pro alijs labor noceat: cedit enim in damnum prædicantis pænitentiam, niſi & ipſe recte viuat. 1. Cor. 9. Caſtigo corpus meum, & cet. Tertio, vt efficacior in attrahendo fiat. Nihil enim eſt, quod magis attrahat ad Deum, quam fama concionatoris: inter opera vero bona nihil eſt, quod tam famoſum hominem reddat, ſicut parcitas. Exemplum de Ioanne Baptiſta, qui ex hoc, & famam ſanctitatis, & efficaciam homines attrahendi adquiſiuit; Matt. 3. Ipſe enim Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre: & ſequitur, Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa. Notandum etiam, quod eleemoſynæ dantur propter neceſsitatem, & frequenter fiunt ex neceſſarijs rebus dantium; & pro peccatis. Oſeæ. 5. Peccata populi mei comedent: gloſſa, oblata pro peccatis. Item eleemoſynæ ſunt ex alieno: non reputatur autem decens, vt de alieno corio faciat quis latas corrigias. Item quod adquiritur labore fratrum non modico, parce eo vtendum eſt: neque enim Dauid voluit bibere aquam à tribus viris fortibus periculo & labore curatam. 2. Reg. 23. Item oportebit de eorum diſpenſatione reddere diſtrictam rationem: parcius autem quis ſolet viuere de his, de quibus ratio reddenda eſt. Legitur in libro collationum, quod cum frater quidam legumina mundaret, & in terrã tria grana lentis eius incuria cecidiſſent, facta eſt magna quæſtio inter fratres ſuper ea negligentia.

Parcitas celebrem reddit hominem.

Exemplum.

Non debent autem Miniſtri diffidere, quaſi neceſſaria ſeruis Dei, defectura ſint, Non enim dat dominus procuratori, quandiu ha-

habet, ſed poſtquam totum expendit, plus ei dat. Luc. 16. Date & dabitur vobis. Ad excludendum huiuſmodi diffidentiam dicitur Matt. 6. Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? Sunt enim tria, quæ dare poſſunt huiuſmodi fiduciam. Primum, ex parte dantis. Si enim nobilis quilibet familiæ prouidet; quanto magis nobiliſsimus? Indecorum eſt homini nimium curare cibum, vel veſtem, qui militat pro regno. Nouit rex quomodo familiam ſuam paſcat, alat, & veſtiat. Secundum, ex parte recipientis; Gloſſa in illud Pſalmi, Benedicam Dominum: paſcebat contemnentes ſe, & non paſcet timentē ſe? Tertium, ex parte dati Mat. 6. Nonne anima plus eſt quam eſca? gloſſa. Qui maiora dedit, ideſt vitam & corpus, dabit minora, ideſt victum & veſtes. Et ſi omnibus prouidet diuina clementia, magis qui vacat ſaluti animarum Matth. 10. Dignus eſt operarius cibo ſuo. *Pſalm. 33.*

Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia: & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat. *CAP. XXI.*

Rerum cōmunio in Eccleſia primitiua quare, & quomodo mutata.

An vero illa communitas Eccleſiæ fuerit ex voto? non puto; ſed ſolum ex perfectione charitatis. Sed quare mutatus eſt ille ſtatus Eccleſiæ? non enim dicendum eſt non fuiſſe bonum. Reſpondetur, quod quædam ſunt ita eſſentialiter bona, vt non admittant pro aliquo tempore mutationem; ſicut diligere Deum, honorare parentes, & huiuſmodi. Quædam vero pro tempore, mutationem admittunt; ſunt enim multa, quæ vno tempore magis expediunt, quam alio. Cum ergo dilatata fuit Eccleſia per orbem, & habuit pacem, viſum eſt ſucceſſoribus Apoſtolorum magis expedire ſi Eccleſia poſſeſsiones oblatas, quarum venditarum pretium antè dabatur & diſtribuebatur credentibus, retinerent; vt ita perpetuo poſſent inde pauperibus ſubuenire, quàm vt more ſolito venderentur: ac propterea ſtatū illū immutarunt. Et quidē olim ſolæ matrices Eccleſiæ habebant poſſeſſiones, & alijs prouidebant: poſtmodum vero ea res dilatata eſt vſq; ad Eccleſias alias; & hoc habetur 12. q. 1. c. Videntes. Videtur autem circa tempora Conſtantini facta primum iſta mutatio vniuerſali approbatione; quia forte particulariter, ante fuit facta aliqua mutatio particularis. 12. q. 1. c. futuram. An etiam illa communitas fuit apud omnes Chriſtianos in Eccleſia primitiua? neque id puto, ſed ſolum apud Iudæos: Primo, ratione perfectionis. Maior enim gratia Spiritus ſancti effuſa eſt in Iudæa, quam in gentibus: quæ eos ita effecit ebrios charitate, & ad tantam promouit perfectionem, vt omnia contemnerent pro Dei & proximi amore. Secundo, ratione perfectionis futuræ in Iudæa; quam

Rerum olim communitas non apud omnes Eccleſias.

præ-

præuidentes Apoſtoli noluerunt ibidem aliquid poſsidere, vt aptiores eſſent ad tranſmigrandum. 12. q. 1. c. futuram. Tertio, ratione exempli cum enim ab Iudæa deſcenderit primo fides Chriſti, æquum fuit, vt & Iudæi exempla maioris perfectionis haberent, vt efficacius per ipſos dilataretur vbique: Eſa. 40 Super montem excelſum, ſcilicet perfectionis, aſcende tu, qui Euangelizas.

IN CAP. IIII. REGVLÆ VGO.

Quare primi Chriſtiani res ſuas communes fecerint.

QVI autem aliquid habebant in ſeculo: quando ingreſsi fuerint monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Hoc fecerunt primitiuæ eccleſiæ fratres. Dignum enim eis videbatur, vt qui communem habebant gratiam, communem haberent & ſubſtantiam. et quibus vnus erat ſpiritus, vnus eſſet & ſumptus. Bene autem additum eſt hoc verbum, libenter: quia hilarem datorem diligit Deus, libenter debemus terrena dare vt poſsimus cœleſtia comparare. Regnum enim cælorum tantum valet, quantum habes. Nihil vilius cum emitur; nihil charius cùm poſsidetur. Duo ſunt, quæ relinquere oportet propter Deum, facultatem ſcilicet poſſidendi, et voluntatem habendi. Hinc eſt, quod Domiuus ait in Euangelio. Qui non renunciat omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et iterum. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Illud pertinet ad ſubſtantiam, hoc ad voluntatem. Non enim ſufficit exteriorem relinquere ſubſtantiam, niſi interiorem abſcindamus concupiſcentiam. Vnde & ſubditur. *Qui autem non habebant; non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.* Etiam illi, qui nihil habebant foris, habent intus, quod relinquere poſſunt propter Deum, ſcilicet voluntatem habendi. Vnde ſcriptum eſt. Non concupiſces. Plus enim attendit Deus affectum, quàm cenſum. Hinc per ſapientem dicitur. Fili da mihi cor tuum; quod fieri non poteſt, niſi prius carnalis appetitus reſecetur. primũ ergo iubemur habita deſerere, deinde terrena non quærere; vt poſtea liberius ad cœleſtia poſsimus anhelare. Et ne videretur pauperibus ſeculi, qui conuertuntur, neceſſaria non debere miniſtrari, quia nihil in monaſterio quærere præcipiuntur, ſubiunctum eſt; *Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etiamſi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire.* Siue enim diuites

2. Cor. 9. *Nota.* *Duo relinquenda.* *Luc. 14.* *Matt. 16.* *Rom. 7.*

uites ſint, ſiue pauperes, ſiue nobiles, ſiue ignobiles, quicunque accedunt ad ſeruitium Chriſti, iuſtum eſt, vt viuant de annona Chriſti. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. *Tamen non ideo putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt.* Multi enim ad conuerſionem veniunt, non tam propter animæ ſalutem, quam propter corporis neceſsitatem; qui non Deum colunt, ſed ventrem ſuum. de quibus ait Apoſtolus, Quorum Deus venter eſt. Talibus Dominus dicit in euangelio, Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus meis. Horum talium tota eſt intentio atque felicitas vt bene paſcantur, bene veſtiantur, & bene ſit eis temporaliter. Et quia terrena appetunt, cæleſtibus priuantur. Receperunt enim (ſicut Dominus ait) mercedem ſuam. Vnde ſummopere cauendum eſt, ne temporalibus adhæreamus bonis. Ideo Pſalm. nos admonet dicens. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Terrena quidem nobis in vſu eſſe debent, cæleſtia autem in deſiderio. Eſt enim quædam admirabilis & magna multitudo dulcedinis Dei, quam habet anima in ſe, de qua dictum eſt, Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Vnde ſcriptum eſt. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Illa ergo ſocietas debet eſſe noſtra felicitas.

Luc. 10. In Religione non requirenda temporalia. Philip. 3. Io. 6. Matth. 6. Pſalm. 61. 1. Cor. 2. Pſalm. 16.

CAP. II.

Nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant: ne incipiant monaſteria diuitibus eſſe vtilia, non pauperibus: ſi diuites illic humiliantur, & pauperes inflantur. Ceruicem erigere ſignum ſuperbiæ eſt. Si ſuperbis angelis non fuit vtile cælum, conſtat quia ſuperbis hominibus non erit vtile monaſterium. Et ſi ſanctus ſit locus, ſi ſanctus ſit habitus, ſi ſancta opera videantur; totum ex vitio ſuperbiæ, inutile habebitur. Superbia enim caſum habet. Ideo ſanctus Dauid orat ad Dominum, vt non veniat ei pes ſuperbiæ, quia ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Contra vero vtilia ſunt humilibus monaſteria; ipſi enim ſunt docibiles Dei, ſicut ſcriptum eſt. Docebit mites vias ſuas. Itemque, Qui emittit fontes in conuallibus, ideſt gratiam ſuam præſtat humilibus, ipſi quidem bona, quæ faciunt non amittunt, quia cuſtodem virtutum humilitatem non deſerunt. Et quia, iuxta Euangelicum præceptum, recumbunt in nouiſsimo loco; & ſecundum Prophetam, Eligunt abiecti eſſe in domo domini; Ideo ab ipſo merentur exaltari, ſicut ſcriptũ eſt. Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Et iterum. Superbis Deus reſiſtit,

De humilitate præclara doctrina. Pſal. 35. Pſalm. 24. Pſalm. 103. Luc. 14. Pſal. 83. Luc. 14.

humilibus autem dat gratiam. *Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem, ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari.*

Attendite nobiliſtæ. Summopere cauere debent fratres, qui ad ſanctam ſocietatem, & cõmunem vitam venerunt, vt non habeat alter alterum faſtidio: quamuis eo ditior ſit, ſiue nobilior, ſiue ſapientior. Quoniam ſicut dicit *1. Cor. 1.* Apoſtolus. Infirma mundi eligit Deus, & ignobilia, & contemptibilia, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. ſcilicet neq; potens in potentia ſua, neque ſapiens in ſapientia ſua, neque diues in diui- *Col. 3.* tijs ſuis. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum. Nam idem *Rom. 10.* dominus, diues in omnes, qui inuocant eum. Bene autem, non de dignitate diuitum parentum, ſed de ſocietate pauperum fratrum, præcipimur gloriari: quoniam ipſe, qui diues eſt in gloria ſua, pauper factus eſt pro nobis. Non diuitibus, ſed pauperibus dignatus eſt ſociari, vt & nos pauperes ſimus propter ipſum: quoniam pauperibus promiſſum eſt regnum cælorum. Gloriari quidem de diuitijs pertinet ad vanitatem mundi: de paupertate vero gloriari pertinet ad beatitudinem. *Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint: nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſeculo fruerentur.* Ex præcedenti ſen- *Duo ſuperbiæ generai* tentia, & ea, quæ ſequitur, nobis duo genera ſuperbiæ deſignantur. Vnũ carnale, aliud ſpirituale. Nã pauperes faſtidire, & de nobilitate gloriari ad ſuperbiam pertinet, quę inter homines ſeculares, frequenter ſolet euenire. De operibus miſericordiæ ſe extollere, ſuperbia ſpiritualis eſt, quæ ſolet etiam ſpirituales corrumpere. Magis autem timenda eſt ſuperbia ſpiritualis, quam carnalis: quia ſe extollere de bono opere, aut de virtute, ab alto cadere eſt. Et quanto altior eſt aſcenſus, tanto periculoſior eſt caſus. Dominus dicit in E- *Matth. 6.* uangelio. Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna in abſcondito: & ille qui videt in abſcondito, reddet tibi. Per dexteram, recta operatio, per ſiniſtram, fauor mundi ac elatio deſignatur. Ex his verbis admonemur, vt recta, quæ agimus, abſcondere ab elatione ſtudeamus, alioquin mercedem non habebimus apud patrem noſtrum. Deinde oſtendit *Bonorum peſtis ſuperbia.* quantum ſit vitium ſuperbię, cum ſubiungit. *Alia quippe quæcunque iniquitas, in malis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia vero etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Ex hoc apparet, quia ceteris vitijs maior eſt ſuperbia quæ non ſolũ per vitia, ſed etiã per virtutes decipit humanam mentẽ. Superbia item Deo & hominibus odibilis eſt; de

qua

qua ſcriptum eſt. Initium omnis peccati ſuperbia: quæ & prima eſt in peccando, & vltima remanet in conflictu. Nam, cum ſeruus Dei cetera vitia ſuperauit, etiamſi ad virtutum alta conſcenderit, adhuc habet pugnam contra ſuperbiam: quam niſi expugnauerit, in ceteris fruſtra laborauit: vnde dicitur. *Cum poteris ſubigi, non debes dicere, vici. Nam quis vincatur, vel vincat, fine probatur. Præmia victorum, pendent in fine laborum. Vt ſcriptura ſonat, finis, non pugna coronat. Tunc bene pugnabis, cum cuncta ſubacta putabis. Quæ magis infeſtat, vincenda ſuperbia reſtat. Quæ niſi vincatur, promiſſa corona negatur. Proh dolor, his telis, ſuperatur ſæpe fidelis.* Cum ergo foris bona agimus, intus cor ab elatione cuſtodiamus: quia nulla Deo placet cum ſuperbia operatio. Vnde ſcriptura nos admonet dicens, Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia mors & vita ab ipſo procedit. *Et quid prodeſt, diſpergendo, dare pauperibus, & pauperem fieri: cũ anima miſera efficitur ſuperbior, diuitias cõtemnendo, quàm fuerat poſsidendo?* Non prodeſt nobis noſtra relinquere, niſi relinquamus & nos. Non enim dicit Dominus, Beati pauperes rebus, ſed beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cælorum. De contemptu rerum, quiſque debet eſſe humilior, non ſuperbior: & melius eſſet, vt eas in ſeculo retineret, quam ſic relinqueret, vt inde in monaſterio ſuperbiret. Sicut ergo illa anima eſt beata, quæ ſua propter Dominum diuidit, vt humilietur; ita eſt illa miſera, quæ inde extollitur. Infelix profecto eſt, qui per iter virtutum tendit ad vitia; & vnde præmium habere debuit, inde tormentum incurrit. Omnis quippe ſuperbus, tantum in imo eſt, quantum in altum ſe erigit: tantoque profundius labitur, quanto excelſius eleuatur.

Eccli. 10.

Rhytmi de ſuperbia.

Prou. 4.

Cauendus ſcopulus.

Reſecatis quibuſdam, ad vnanimitatem redit, quam primo commendauit dicens, *Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite: & honorate in vobis Deum inuicẽ, cuius templa facti eſtis.* Vnanimiter viuimus, ſi vnum in Deo animum habeamus, quemadmodum primitiua Eccleſia, cui cor erat vnum & anima vna. Quod ait vnanimiter, pertinet ad voluntatem: quod vero ſubdit, concorditer, pertinet ad bonos mores. Hic eſt rectus ordo viuendi: Primum, vt ſit voluntas vna; deinde concors & vita. Frater qui vult concorditer viuere, prius debet prauos mores deponere, ne ſit peruerſus, inordinatus, indiſciplinatus, ne anxietate ſua ceteros premat. deinde ita debet librare actus ſuos, & totam vitam ſuam, vt concordare poſsit, ſecundum Deum, cum quibus viuit. Sunt ergo nonnulli, qui poſtquam ſeculum relinquũt, proprias voluntates ſequi volunt. Et rurſus ſunt plerique, qui in ſuis actibus appetunt ſecularibus apparere. ideo

Propria voluntas, Vitæ communis peſtis.

dictum eſt. *Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite.* Deinde autem in nobis Deum inuicem honoramus, ſi nos inuicem, propter ipſum, diligamus; ſi præcepta eius ſolicite cuſtodimus, & efficimur ſanctum templum eius, per inhabitationem ſpiritus eius in nobis. Noſtrum eſt, Deum honorare, Dei, eſt nos inhabitare, & illuſtrare per gratiã. *Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, &c. vſque fruerentur.* Melius eſt res ſuas in ſeculo tenere: quam eas ita in monaſterio diſtribuere, vt velint ſe inde extollere. Nam ſi extolluntur, deijciuntur. Quiſque enim in eo, quod bene agit, intumeſcit; eo ipſo, tramite, quo proficit, cadit. bona quippe actio cum elatione, non eleuat, ſed grauat. Beata eſt ergo illa anima, quæ poteſt dicere cum Propheta. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Felix plane eſt, qui nõ habet occultam ſuperbiam in corde, neque apertam in corpore, nec in vultu, nec in habitu, neque in ſermone, neque in opere, neque in ceteris motibus ſuis. Et ſi enim non ambulat in magnis, ideſt ſi ſe non reputat inter magnos, quod nobilis fuerit, aut potens, aut quod diuitias ſuas communi vitæ contulerit, aut quod in aliquo officio ſit vtilis. Et ſi non ambulat in mirabilibus ſuper ſe, vt de religione, & ſanctitate deſuper à Deo ſibi collata, non velit apparere tanquam admirabilis, atque laudabilis: raro tamen inuenitur aliquis, qui ex his aliquam commotionem non habeat. Vt autem iſta omnia ſuperbiæ genera poſſit ſeruus Dei ſuperare, ſemper de ſe debet humiliter ſentire, & non exaltare animam ſuam: ſed in humilitate reprimere, iuxta quod ſcriptum eſt, Quanto maior es, tanto humilia te in omnibus. Valde enim timenda ſunt verba, quæ ſequuntur. *Alia enim quæcunque iniquitas &c.* Auaritia enim non exercetur, niſi in malis operibus: Luxuria non exercetur, niſi in malis operibus: ſimiliter & cetera vitia; ſola ſuperbia etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Ideo Phariſæus perdidit bona ſua, quia ſe egiſſe iactanter pertulit. Auguſt. Sunt quidam, qui de contemptu vanæ gloriæ vanius gloriantur. Similiter ſunt plerique, qui de contemptu diuitiarum vanius extolluntur, de quibus ſubiungitur. *Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poſſidendo?* Ac ſi aperte diceret, Quid prodeſt paupertas cum ſuperbia? Melior eſt diues humilis, quàm ſuperbus pauper. Melior eſt peccator humilis, quàm iuſtus elatus. Debet ergo in omnibus eſſe ſeruus Dei prouidus, & circumſpectus. Primum, ne mala agat; deinde, ne bona negligat: poſtmodum ne in bonis

Opinio ſui cauenda.

Pſalm. 130.

Eccli. 3.

bonis quæ facit, intumeſcat, quia tunc ſunt veraciter bona, quæ agimus, ſi ea ſemper in humilitate cuſtodimus. Et tunc veraciter ſumus pauperes Chriſti. Et, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Vnde aperte ſubiungitur. *Omnes ergo vnanimiter viuite & honorate in vobis Deũ inuicem, cuius templa facti eſtis.* Paupertas quippe & humilitas generant Charitatem, Charitas vero vnitatem nutrit, vnitas vero & concordia efficiunt vos templum Dei. Et tunc veraciter Deum honoramus: quando vnanimiter, & concorditer viuimus. Tunc enim oſtendimus, quia ſumus diſcipuli Chriſti, ſi tenemus vnitatem charitatis Chriſti. Hinc eſt quod Dominus ait. In hoc cgonoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.

Matt. 6.

Io. 13.

VMBERTVS.

QVI vero aliquid habebant in ſeculo, quando ingreßi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune.

Cap. XXII.

Qvidam reperiuntur, qui licet reliquerint ſeculum, tamen adhuc nimis ſeculariter diligunt ſuos, & plus curant res ſuorum etiam ſine pia cauſa, quam monaſterij. Iſti, licet nati ſint in Chriſto, tamen adhuc ligati ſunt cum mundo ex vmbilico, qui eſt carnale vinculũ, quo puer cum matre ligatur. Vnde ei, qui talis eſt, dicit dominus Ezechiel 16. In die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus. Alij ſunt qui ſua deferunt ad monaſteriũ, tamen diffidentes de cõmuni prouiſione, nolunt totum ponere in communi, ſed propter ſenectutem, vel infirmitatem, partem, vel totum ſibi reſeruari procurant, peiores Anania & Saphyra, qui tantum partem reſeruarunt. Actorũ 5. Iſti ſeculum dimittunt & tamen Religioſi non ſunt: immo partim Religioſi, & partim ſeculares. Vnde cuidam tali, qui fuerat ſenator, B. Baſilius dixit. Senator eſſe deſiuiſti, & monachum te non feciſti. Vnde dominus interdum indignatur contra tales. Et quia minus de Deo confidunt, relinquit eos ſibi, nec de eis cogitat in ſuis neceſſitatibus; quouſque eos pœniteat. Exemplum habes de illo, qui congregauit vrnam plenam minis, & tamen putrefactũ pedem ſanare non valuit, niſi tandem tangente angelo. Non fuit talis quidam ſenex leproſus, cui cum quidam obtuliſſet pecuniam propter ſenectutem & infirmitatem, noluit eam accipere dicens. Ecce ſexaginta annos habeo in infirmitate, nec vnquã aliquid mihi defuit, domino prouidente ſemper, & tu, poſt tot annos, veniſti auferre pro-

Tales dicuntur in ſcripturis claudicare vtroque pede. 3. Reg. 18.

Exemplum.

Procuratorem meum. Alij ſunt: qui licet bona, quæ in ſeculo habuerunt, communicent, tamen magis ex neceſsitate, quam ex bona voluntate. Contra quos dicit Apoſtolus. Non ex triſtitia, aut neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. voluntas à Deo penſatur, non dati quantitas. Contra iſta tria vitia dicit Auguſtini Regula, *Qui aliquid habebant &c.*

2. Cor. 9.

CAP. XXIII. Etiam ſcripta noſtra debemus cum aliis communicare.

PENSANDVM eſt hic, quantum teneamur communicare cum alijs res in Religione nobis conceſſas. Quæritur ergo de eo, qui non vult res huiuſmodi, & ſpecialiter ſcripta communicare cum al iis, an is peccet? Reſpondetur. Frater aut habet præceptum tradendi ſcr ipta huiuſmodi aut non. Si ſic, peccat mortaliter, niſi tradat. Si non: aut eſt ei licitum, vtpote quia habet licentiam tradendi, vel eſt conſuetudo, quod etiam ſine licentia tradi poſſunt, aut non. Si non: nō peccat in aliquo. Si autem eſt licitum, aut alter indiget, aut non: Si non, in nullo peccat non trandendo. Si alter indiget, aut ipſe iterum indiget aut non. Si non indiget neq; in præſens, neque in poſterū, tunc iudicandum eſt de illo, ſicut qui pecuniam Domini ſui ligauit in ſudario, Matth. 25. & poteſt peccare mortaliter, plus & minus ſecundum intenſionem dilectionis inordinatæ, quam habet ad huiuſmodi, & ſecundum quantitatem fructus, qui fieret per alium. Si vero indiget ſicut alter: aut indiget plus, vel æque, vel minus. Si plus, vel que, non peccat. Si minus. tunc, tam parua poteſt eſſe indigentia iſtius, & tam magna alterius, vt peccaret non tradendo. Et è conuerſo, tam parum poſſet excedere indigentia alterius indigentiam iſtius, vt non peccaret. et circa hoc docet vnctio. Si vero non indiget in præſens, ſed in poſterum, tunc videndum eſt, an quando indigeret, etiam tunc illis carere poſſet: ſi poſſet, tunc iu dicandum eſt, ſicut ſupra de illo, qui pecuniam tenet ligatā in ſudario. Si non poſſet, tunc diſtinguendum eſt, vt ſupra, quando vterque indiget. Nota quod quidam retrahuntur ab huiuſmodi mutuatione, primo, quia nolunt ſciri, quod quæ interdum dicunt, ea ſumant ex ſcriptis: ſed quaſi eorum, ingenio attribuantur, & hæc vanitas eſt. Alij vero, quia volunt ſibi ſolis eſſe nota, quæ in ſcriptis ſuis habent, & hoc inuidiæ genus eſt. Alij, ex tenacitate auaritiæ: quamuis enim nihil vtantur ſcriptis, tamen adeo diligunt libros ſuos, vt abſcondant eos ſicut coruus denarios, quibus non vtitur. Alij, quia timent ne commaculentur, & præponunt huiuſmodi damnum, vtilitati ſpirituali maiori; & hic defectus charitatis eſt. Si enim debemus animas pro fratribus ponere, quanto magis libros? Alij, quia interdum ſibi ab alijs negantur, & hoc eſt vitium talionis, cum dicat ſcriptura: Non reddentes malum

Quare nonnulli ſua ſcripta communicare nolint.

Rom. 12.

pro

pro malo. Boni tamen ſerui Dei, libenter communicant: interdum timentes, non ſolum vitium, ſed etiam notã proprietatis incurrere, iuxta illud Apoſtoli. Ab omni ſpecie mali abſtinete vos: interdum præcauentes turbationem fraternam, quæ frequenter ex hoc oritur. Prou. 15. Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam: interdũ humiliter cogitantes, quod fructus maior fiat per alios: interdum cupientes ſibi merita cumulare. Si enim traditio potus aquæ frigidæ refrigerantis corpus, non eſt ſine mercede, Matthæi 10. quanto magis traditio ſcripturæ refrigerantis animam, maiorem habet mercedem? interdum ſperantes ſe recepturos melius beneficium ſcientię ab illo, qui dicit, Luc. 6. Date & dabitur vobis. Contra vero cuidam apud ſe aliquid reſeruanti, quod alio tempore diceret fratribus, dictum eſt à Domino, Quamdiu illud ſeruabis, aliud non dabitur tibi.

Bonum eſt cõmunicare ſua.

1. Theſ. 5.

Exemplum.

Qui vero non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Nunquid non licet ei, qui fuit pauper in ſeculo, quęrere neceſſaria in monaſterio? conſtat id licere. ergo videtur mandatum hoc irrationabile. Reſpondetur, quod quidam reperiuntur, qui de paupertate venientes, quærunt in Religione abundantiã. Hieron. ad Eliodorum Epiſcopum. Ditiores ſunt monachi, quam fuerant ſeculares. Alij, non ſolum quærunt abundantiam, ſed etiam delicata. Idem ad Nepotianũ, in perſona talium loquens, dicit, Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio, & cibario pane vẽtrem rugientem ſatiare poteram: nunc ſimilam, & mel faſtidio. Alij non ſolum hoc, ſed etiam honores quærunt. Bernardus. Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi contemptibiles eſſe potuerunt. Ibiq; volunt honorabiles videri, vbi honores ab omnibus contemnuntur. Magna abuſio, vt in loco paupertatis, vbi diuites incurrunt penuriã, pauperes quærant abundantiam: In loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines ruſticani quærant delitias: In loco, vbi viri honorati eligunt abijci, ibi abiecti quærant honorari. Sed maior abuſio, quod interdum qui huiuſmodi ſunt, cum prius de labore viuerent, ibi volunt otioſam vitam ducere, vbi quondam otioſi, fiunt laborioſi, contra dictũ Apoſtoli, Qui non vult operari non manducet. Itẽ interdũ tantã curã habent de medicinalibus, vt vbi alij venerunt vitã perdere, iuxta conſilium Chriſti, Mat. 16. ibi, iuxta conſiliũ Hippocratis, videãtur veniſſe ſaluare. Itẽ interdum, vbi quondã nominati veniunt abſconditi, vt ſit eorũ vita abſcondita cum Chriſto in Deo: ibi ipſi prius ignoti, volunt ſibi nomen acquirere. Bernardus ſuper Miſſus eſt. Qui antea in ſuo oppido

Cap. XXIIII. De iis, qui in Monaſterio cõmoda & honores quærunt.

De affectantibus medicinalia.

oppido, vel vico, vix cogniti fuerunt, modo circumeũtes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias, & principum familiaritates ſunt aſſecuti. Quale autem quæſo eſt, quod à pauperibus, in tali loco, talia quærantur, in quo à diuitibus contraria affectantur. De talibus igitur loquitur B. Auguſtinus in Regula dicens, *Qui vero non habebant*, ſcilicet aliquid: & intelligitur de preterneceſſarijs. Poteſt & aliter dici, ſi intelligatur etiam de neceſſarijs, vt ſit ſenſus, *non ea quærant*, ideſt principaliter non intendant, ideſt, non ad hoc principaliter ſint in monaſterio, vt iſta ibi habeant. Et hoc eſt contra illos, qui ad hoc intrant Religionem, vel ſunt in Religione, vt habeant ibi neceſſaria vitæ, vel alia terrena. Iſti ſunt ſocij eorum, qui ſequebantur Dominum, non propter virtutes, ſed propter panes de quibus eos ſatiabat. Ioan. 6. Item ſunt eorum imitatores, qui ventrem ſuum fecerunt Deum ſuum. qui omne ſeruitium, quod alij faciunt Deo vero, ipſi faciunt propter ventrem. Iſti ſunt, quibus diabolus eruit dextros oculos, id eſt, ſpiritualem intentionẽ, & facti ſunt inepti ad bellum. Iſti piſcantur in ſiniſtra nauigij, & ideo nihil capiunt niſi temporalia. Poſſet etiam tertio modo exponi, *non ea quærant*, ideſt queruloſe petant. Et hoc eſt contra quoſdam, qui quamuis fuerunt in ſeculo pauperes, tamen magis queruloſi reperiuntur in monaſterio, quam illi qui fuerunt diuites. Exemplum in veteri teſtamento. Quamuis enim quidam magni murmurauerunt in deſerto contra Moyſen & Deum, vt Maria, Chore, Dathan, & Abiron, tamen non propter defectum neceſſariorum: populares vero propter hoc murmurauerunt, Num. 21. Qui inſuper alios trahunt ſecũ: & murmurauerunt non quidem, quod in Ægypto dicunt ſe habuiſſe precioſora ſed viliora. Cum enim petunt carnes, tamen non dicunt eas in Ægyto habuiſſe, ſed piſces & quædam alia viliora. propter hoc miſit in eos ignem & ſerpentes ignitos. Vnde Abbas Paſtor. Qui queruloſus eſt, monachus non eſt. Licet autem petitio queruloſa, etiam neceſſariorum prohibeatur, tamen cum charitate prouidendum eſt, eis quantumcunque fuerint in ſeculo pauperes. & ideo ne quis credat hoc non faciendum, ponitur circa hoc mandatum, & dicitur.

Ad Monaſteriũ non eſt veniendum ob vitæ neceſſaria.

Philip. 3.

1. Reg. 11.

Ioan. 21.

De iis, qui de vitæ neceſſariis queruntur.

CAP. XXV.

Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiamſi paupertas eorum, quando foris erant in ſeculo, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Conſuetudo laudabilis eſt vbicunque ſancta viget Religio, quod nulli magna cura ſit ſui: ſed paterna cura de filijs, & fraterna charitas de fratribus cogitet ita ſolicite, vt etiam ipſis tacentibus, aduertat & inquirat de eorũ neceſsitatibus, & pie ſubueniat eis. Et habetur

Nulli debet eſſe magna cura ſui in vitæ neceſſariis.

betur ad hoc argumentum ex iſto, & præcedenti mandato, in quorum altero queruloſa petitio interdicitur, in altero vero charitatiua prouiſio ponitur. Item argumentum eſt hic, quod propter murmur, non eſt quis puniendus in ſubtractione neceſſariorũ, eo quod dicatur. *Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur*. Non tamen dicit cupiditati, ſed infirmitati quod opus eſt. Porro nulli debet deeſſe prouiſio: ſed communiter, non ſolum illis, qui diuites fuerunt in ſeculo, ſed etiam qui pauperes: vt periculum acceptionis perſonarum euitetur, vt certius meritum habeatur, quia cum miniſtrantur diuitibus neceſſaria, poteſt eſſe aliqua cauſa humana mouens, quæ non habet locum in paupere. Item vt quod ſuum eſt eis reddatur, quia bona eccleſiarum, ſunt bona pauperum. Item, vt occaſio ſcandali tam ex parte ſecularium, quam fratrum ſubmoueatur. Item, ne Religio mundo aſsimiletur. Item, vt vera fraternitas in ea reperiatur. Item, ne pauperes, qui frequenter in Religione multum proficiunt, ab ingreſſu Religionis retrahantur. Verum, quia abundantia neceſſariorum quandoque eſt occaſio malitalibus, ad cauendum hoc dicitur. *Non tamen ideo putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt*. Traditis mandatis circa vitia primaria, quæ oriuntur circa cõmunitatẽ. Hic incipit ponere mandata circa vitia ſecundaria, quæ ſunt ad ſuperbiam tendentia. Horum autem quædam reperiuntur in ijs, qui fuerunt in ſeculo pauperes. Alia vero & in ijs, qui fuerunt diuites. De quibus ibi. *Rurſus etiam illi, &c*. Quia vero ſuperbia in paupere deteſtabilior eſt, iuxta illud Eccleſ. 25. Tres ſpecies odit anima mea, quarum vna eſt pauper ſuperbus. Ideo primo proſequitur de huiuſmodi ſuperbiæ deſtructione, determinans circa hæc tria. Primo enim ponit mandata ad deſtruendum quod malum eſt. Secundo, ad informandum circa hoc quod bonum eſt dicens, *ſed ſurſum &c*. Tertio, reddit horum cauſam dicens. *ne incipiant*. Et quia interdum oritur quædam extollentia in huiuſmodi pauperibus, ratione rerum, quas inuenerunt abunde; rerum enim affluentiam ſolet ſequi extollentia; quandoque ratione ſocietatis; ideo ad deſtructionem vtriuſq; ponit mandatum duplex. Primum, cum dicit. *non tamen*. Secundũ, cum dicit, *Nec erigant*.

Acceptio perſonarum in vitæ neceſſar. is cauenda.

CAP. XXVI. De vitanda elatione.

CIRCA primum nota, quod aliqui reperiuntur qui licet ad Religionem venerint, animo ſuſtinendi penuriam: mortificandi carnem: aſſequendi abiectionem; tamen lapſu temporis, mutati in virũ alterum, ſed non virtute dexteræ excelſi, cum in ea inueniunt rerum copiam, carnis delectabilia, honoris gloriam, ſic illecebrantur tali pro-

CAP. XXVII. In Religione propter commoda vitæ multi in peius mutantur.

proſperitate, vt primę charitatis obliti, ea refugiant omnino, quę primo quæſierunt, & cõtraria totis viribus amplexantur. Hinc eſt quod conuentus, in quibus occurrunt aduerſa, horrent & fugiunt: ad illos vero, in quibus inueniunt proſpera ſuſpirant, & ab illis auelli nõ poſſunt. mutationes de locis proſperitatis ad contraria, ſuſtinere nõ poſſunt pro vtilitate animarum, vel neceſsitate ordinis quantacunque. cõtraria vero procurant pro virili: cum in his contra voluntatẽ eorum fit aliquid, inueniũtur minus obedientes; incurrunt murmura & diuerſa iudicia, ſuos iudices iudicantes, & alia mala complura. Cumque in conuentibus ſua deſideria aſſequi non poſſunt, diſcurrunt exterius, tranſeunt libenter ad curias. Et cũ oportunitas occurrerit, facile accipiunt dignitates. Sed heu longe receſſerunt iſti, non ſolum à ſapientia ſanctorum, ſed etiam ſapientium mundi huius. Non ſunt iſti opinionis philoſophorum illorum, qui dixerunt ſummum bonum, paupertatem: Sed potius opinionis illius reprobatiſſimæ, quæ fælicitatem poſuit proſperitatem ſucceſſuum, ſicut tangit philoſophus in 1. Eth. Non ſic fecerunt ſancti patres, de quorum multis legitur in vitis patrum, quod ipſi fugientes honores ſibi exhibitos & alia proſpera in locis ſuis, ſe ad alia transferebãt, renuentes cũ Dauid cõſolationes huius mundi. Non fecit ſic ſanctus Dominicus, qui libentius morabatur Carcaſone, quam Toloſæ. propter hoc, quod plures ibi ſuſtinebat perſecutiones. Gregor. Sancti viri plus proſpera, quam aduerſa formidant. nec mirum, plures enim pereunt in proſperis quam in aduerſis. Pſal. Cadent à latere tuo, ſcilicet ſiniſtro aduerſitatis, mille, & decem millia à dextris tuis, ſcilicet proſperitatis. Gregorius. Cotinuus ſucceſſus temporalium, æternæ reprobationis eſt indicium. Legitur quod Iacob cancellabat manus in filiorum Ioſeph benedictione. Super illum quem inuenit ad ſiniſtram, ponens dexteram & è conuerſo. Quod dicunt ſancti factum fuiſſe in figura futuræ benedictionis in ipſo die nouiſsimo, qui ſuper illos quos inueniet ad ſiniſtram aduerſitatis, ponet dexteram felicitatis æternæ, quos vero ad dexteram proſperitatis ponet ad ſiniſtram infelicitatis æternæ. Sicut patet in diuite & Lazaro. Item quando quis venit ad hoſpitium alterius, & comedit mane ſplendide, non ſolet ei parari cœna magna; Lucæ 6. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, Item inueniuntur aliqui operarij, quibus laute volentibus viuere in die, mutat pater familias mercedem, & tanto minus veſperi recipiunt mercedis, quanto plus receperunt, dum laborarent. Timendum eſt ergo illis, qui multum habere volunt, dum adhuc ſunt in labore, ne parũ inueniant in mer-

Religioſi humana quærentes ethnicis philoſophis peiores.

Religioſo incõmoda iucunda eſſe debent.

Gen. 48.

Luc. 16.

Cauenda Religioſo vitæ huius commoda.

mercede. Et dicatur illi, qui talis eſt, illud Lucæ 6. Recepiſti mercedem tuam. totam ſcilicet, vel partem. Admonendi ſunt etiam, qui corporaliter proſperantur, ne, cum cuncta ad votum ſuppetunt, Deū dantem quęrere negligant, ſi in ijs, quę dantur, animum figant. Quis autem habens hæc proſpera, gloriari poteſt ſe in ijs cor non figere, cum eorum præſentia à ſuperna delectatione retrahatur? Quis igitur eſt, qui his vtatur, vt debet? Multum itaque cauenda eſt ſeruis Dei eorum abundantia, quibus ita difficile eſt bene vti. Ideo ex pietate ſubtrahit diuina prouidentia iſta electis, ne per abuſum in malum eis conuertantur. Gregor. Electis ſuis Deus, aſperum iter facit, ne dum detinentur in via, obliuiſcantur eorum quæ ſunt in patria. Quot em̄ ſunt quibus iſta proſpera auertunt cor à cœleſtibus ad ſe? Itē aduerſitates multos erudiunt, ſed proſperitates multos decipiunt, in eis enim iacet hamus ſub eſca. Gregor. Cum omnis fortuna timenda ſit: magis timēda eſt proſpera, quā aduerſa. illa enim ſęuiendo erudit, iſta blandiendo ſeducit. Licet autem omnibus ſeruis Dei ſit timenda proſperitas, tamen magis illis, qui de paupertate venerunt. mutationes enim ad contraria, morbos facile generant. Iſti enim ſicut exeuntes de inedia carceris, & ſicut vrſus famelicus, plus ſolent excedere in fruendo proſperis. Prouerb. 25. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi. Iſti etiam fortius adhærentes delitijs, fugiunt anguſtias, Sicut canis exuſtus ſemel, plus timet aquam calidam. Inde eſt quod Hieremias rogat regem Sedechiam dicens. Cap. 36. Ne reducas me in domum Ionathæ ne moriar ibi: apud eum enim erat in multa anguſtia, & inedia. Iſti etiam ſolent plus inaniter gloriari cum illis, qui dicunt Zach. 11. Benedictus Dominus, quia facti ſumus diuites, In iſtis etiam plus ſolet ratio abſorberi à proſperis, ſicut aqua facilius abſorbet hominem, qui non eſt in aqua nutritus, quam piſcem Gen. 40. Succedentibus proſperis oblitus eſt interpretis ſui. Iſta abundantia ſolet in iſtis rebellionem inducere. Deut. 32. Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis. Conſtituit eum ſuper excelſam terrā, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra. Et poſt. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Quia ergo in iſtis tam periculoſa eſt proſperitas vitæ, Auguſtinus ipſis extollentiam de huiuſmodi interdicit. Non enim vere debent tales ſe reputare felices, cum eos facile tot mala ſequantur in proſperis.

Religioſis valde pernicioſa ſunt huius vitæ commoda.

CAP XXVIII.

Ex magnorū cōſortio non elatio, ſed gratiarū actio reportanda.

Nec erigāt ceruicē, quia ſociantur eis ad quos foris accedere nōaudebāt. Nota quod vtendū eſt ſocietate diuitum, & magnorū, in bonū. Debemus eis ex hoc, eſſe grati, cōſiderātes quid fecerint nobis. iuxta illud. Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperē, vt collocet

Pſalm. 112.

Religio eem multis opinionē conciliat, quā mundus non potuit.

 cum

eum cum principibus. Item debemus ex hoc moueri ad amorem Religionis,quæ nobis contulit,quod mundus dare non potuit:iuxta illud, Gratia Dei ſum id quod ſum. 1. Cor. 15. Item debemus ex hoc eleuari in ſpem futuræ ſocietatis: Si enim in ſtatu gratiæ aſcendimus ad ſocietatem maiorũ,quanto magis in ſtatu gloriæ, vbi nulla erit perſonarum acceptio. 1. Ioan. 1. Quod vidimus,annunciamus vobis, vt ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas veſtra ſit cum patre,& filio eius Ieſu Chriſto. Sed miſeri quidam, qui tali ſocietate deberent vti in bonum, abutuntur ea ad ſuperbiam: quam deſtruens ſanctus Auguſtinus, tanquam malum, ponit poſtea informationem circa hoc, quod bonum eſt, docens qualiter circa hoc, debeant ſe habere, dicens, *Sed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant.* ſurſum cor habetur: cum ſurſum gratiæ referuntur; cum ſurſum ſuſpiratur: cum de magnitudine pietatis patris cœleſtis ſuper nos recogitatur; cum vſus omnium ſurſum dirigitur: cum ſurſum tanto benefactori nos obligatos recognoſcimus; cum ex hoc, ad illius amorem excitamur, Et ſic ad locum vnde exierunt flumina abundatiæ temporalis, reuertuntur ſecundum, varios modos, Eccleſ. 7. Et hoc eſt, quod dicit, *ſurſum cor habeant*, ſcilicet non in neceſſarijs, quæ inuenerunt poſtmodum. Notandum, quod omnia terrena dicuntur vana. Eccleſ. 1. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas. Non dicit ſuper ſolem, ſed ſub ſole. Hæc autem ſunt terrena, & vana, quæ fragilia, & deficientia faciunt nitentem corruere. Propter quod Ægyptus, ideſt mundus, comparatur baculo arundineo Eſa. 36.

CAP. XXIX. *Auguſtini Regula ratione nititur.*

Ne incipiant monaſteria diuitibus eſſe vtilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Sunt aliqui præceptores, quibus eſt pro ratione voluntas, Non fuit talis Auguſtinus. Ipſe enim tradẽdo mandata,ſubiungit rationẽ, dicens. *Ne incipiant.*

Monaſteria multis ſalutem non afferunt.

Elicitur autem ex hoc verbo, quod aliqui reperiuntur in monaſterijs, quibus non ſunt ipſa monaſteria ad ſalutem. Quomodo enim erunt eis ad ſalutem, quibus non ſunt vtilia: Imo non ſolum aliqui, ſed multi ſunt. Cuius rei tres ſunt cauſæ. Vna generalis, & duæ particulares. Generalis eſt, peccatum mortale quodcunque, hæc enim facit ne proſit Religio ad ſalutem, habitus, vel profeſsio, vel ſocietas, vel opera exteriora bona, vel nomen, vel fama, vel dedicatio ſui Deo. Et ideo dicitur Eccleſ. 30. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ. Sanctum idem eſt,quod mundũ. Hieron. Non Religioſum fuiſſe, ſed religioſe vixiſſe laudabile eſt. Alia cauſa & particularis, eſt fraterna offẽſa, de qua infra. *Qui nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi inde non proijciatur.* Hoc enĩ quod

facit, reprobatur à Deo, quidquid illud ſit. Nec poteſt Deus homini placari, niſi prius frater placetur, Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offer munus tuum. Tertia cauſa, eſt ſuperbia, de qua hic habetur. Dicuntur autem monaſteria inutilia ſuperbis, quia plures vtilitates aufert eis ſuperbia. Vbi nota quod tribus de cauſis ſolent aliqui ingredi Religionem. Vna, vt poſſint ibi melius ſibi cauere à peccatis, à quibus vix ſibi cauere poſſunt in ſtatu ſeculari. Alia, vt ibi iam commiſſa purgentur. Tertia, vt ibi plus merentes, maius, in futuro, lætitiæ præmium conſequantur. Iſtas autem tres vtilitates confert Religio, Eccleſiaſt. Religioſitas cuſtodiet. Ecce primum: Et iuſtificabit cor: Ecce ſecundum. Iucunditatem, atque gaudium dabit, ſcilicet in futuro, Ecce tertium. Superbia autem aufert iſta tria. Superbia enim eſt cauſa aliorum malorum, & propter ipſam multi Religioſi corruerunt in alia multa mala. Eccleſ. 10. Initium omnis peccati, ſuperbia: qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, id eſt vitijs. Gloſ. de ſuperbia naſcuntur hæreſes, ſchiſmata, detractiones, inuidia, verboſitas, iactantia, & huiuſmodi. Item impedit iuſtificationem. Luc. 18. Deſcendit hic, ſcilicet humilis peccator, iuſtificatus ab illo, ſcilicet iuſto ſuperbo. Item priuat bona opera finali mercede. Vnde infra, dicitur. *Superbia bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Quid autem mirum, ſi ſuperbia facit pauperibus inutile clauſtrum, quæ angelicis ſpiritibus fecit inutile cælum, primis parentibus paradiſum? Hinc eſt, quod licet omnis ſuperbia deteſtanda ſit in Religione, tamen plus in pauperibus. Ratio, quia ſicut commendabilior eſt humilitas in perſona excellenti, ita magis eſt reprobanda ſuperbia in perſona abiecta. Et ideo dicitur Eccleſ. 10. Quid ſuperbis terra & cinis? id eſt vilis perſona. Item ſuperbia diuitum habet multam occaſionem. Ipſę enim diuitiæ ſunt magna occaſio ad ſuperbiam, & valde ſunt hæc coniuncta, tanquam adiectiuum & ſubſtantiuum: Prouerb. 8. opes ſuperbiæ. Et Auguſt. dicit. Vermis diuitum, ſuperbia eſt: quia ſicut ex putredine naſcitur vermis, ita ex diuitijs, ſuperbia. Item ad hoc quod diues ſuperbiat, non oportet quod faciat ſibi magnam vim, quia multum habet vnde extollatur: pauper vero non ſic, niſi inflet ſemet ipſum. Sicut dicitur in fabula de bufone, qui videns bouem craſſum in paſcuis inflauit ſe vt ei ſimilis fieret. Sic etiam diabolus qui pauper erat reſpectu Dei, inflauit ſe dicens. Similis ero altiſsimo. Eſa. 14. Cum ergo in omni genere peccatorum, peccatum procuratum grauius

Tria magna vitæ religioſæ cõmoda ſuperbia aufert.

Eccli. 1.

Pauper ſuperbus maxime deteſtabilis.

Diuitiarum comes ſuperbia.

uius ſit, quam non procuratum, vt in luxuria, gula, & ſimilibus, cōſtat quod grauior eſt ſuperbia in pauperibus quam in diuitibus. Tum quia abiectiores ſunt perſonæ; tum quia habent ſuperbiam procuratam; tum quia minus habent vnde ſuperbiant. Et ideo Auguſt. talem ſuperbiam, appropriato nomine vocat inflationem. Inflatio enim pertinet ad res viles, vt eſt veſica & huiuſmodi. Item conſurgit quaſi ex nihilo, ſcilicet ex aere, qui quaſi inane reputatur. Item fit per quandam violentiam. Nota etiam quod res eſt vſitata, diuites ſuperbire, res vero inuſitata, ſuperbia in paupere. Immo intantum eſt paupertati annexa humilitas, vt vnum accipiatur pro alia, etiam à ſaluatore Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu. quia ſecundum gloſsam, paupertas hic vocatur humilitas ſecundum vnum ſenſum. Et ideo quia ſuperbia non ſolet inueniri, in paupere ſicut in diuite, dicit Auguſt. *Ne incipiant monaſteria diuitibus &c.* quia res noua, & inconſueta. Sic igitur patet quod ſuperbia in pauperib⁹ eſt cōtraria Religioni ex hoc, quia facit monaſterium eis inutile. Item eſt graue peccatum, propter quod vocatur inflatio. Item eſt res præter vſum, quod notat cum dicitur, *ne incipiant.* Et ideo conueniens eſt vt ſancta Religio laboret modis omnibus ad ſuperbiam huiuſmodi reprimendam.

Superbia pauperum proprie Inflatio.

Paupertatis & humilitatis affinitas.

CAP. XXX.

Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Sicut in pauperibus venientibus ad congregationem, duplex inuenitur vitium pertinens ad ſuperbiam, vt iam dictum eſt, ita & in diuitibus: vnum, & minus eſt, occaſione rerum; circa quod tradit mandatum infra dicens. *nec extollantur.* aliud, ratione perſonarum, & maius, & circa hoc hic ponit mandatū primo dicens. *Rurſus etiam illi &c.* Nota, quod quidam dicuntur fratres natura, vt omnes homines; quidam fide, vt omnes Chriſtiani, quidam Religionis conformitate, vt Religioſi eiuſdem profeſsionis. Cum ergo nullus ſit contemnendus iuxta illud Malach. 2. Quare deſpicit vnuſquiſque fratrem ſuum; quanto minus ille, in quem concurrunt tres prædictæ cauſæ fraternitatis? Item ſi cōtemnitur in ſocietate peruerſa pauper à diuite, & ignobilis à nobili: non eſt mirum. In ſocietate vero ſancta, omnes vnum debent eſſe in Chriſto. Gal. 3. Non eſt Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina: omnes enim vnum ſumus in Chriſto. Item angelicæ naturæ ſublimitas, pauperes non faſtidit: immo adſtat eis, & miniſtrat, Matth. 18. videte ne contemnatis vnum de puſillis iſtis; dico enim vobis, quoniam angeli eorum

Qui diuites fuerant, ſuperbiā in religione cauere debent.

Christus paupe res dilexit et expreſsit.

rum &c. Rex etiã angelorum factus mortalis, non faſtidiuit ſocieta-tem eorũ: immo iſtos eligit, Iacob. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Itẽ factus etiã immortalis, legitur frequenter apparuiſſe n ſpecie pauperis, vt hortulani, peregrini, & alijs multis modis. Vnde

Exemplum.

3. Martin⁹, diabolo apparenti in ſpecie diuitis, tanquã eſſet Chriſtus, lixit, Chriſtum purpuratũ non noui: Si autem eos faſtidiret, eorum ormã nõ aſſumeret. Quomodo ergo faſtidiendi ſunt à diuitibus illi, quos nec angeli, neq; angelorũ rex faſtidierunt? Patet ergo, quod illi, qui magni fuerunt in ſeculo non debent faſtidire alios qui venerunt x paupertate. Tum quia fratres: tũ quia ſocietas ſancta; tũ quia pau-peres. Magis autem debẽt gloriari de eorum ſocietate, quam de parẽ-

De iis, qui natales ſuos cordi habent.

um diuitũ dignitate. Vbi nota, quod aliqui reperiuntur, qui gloriã-ur, quod ſciantur eſſe generoſi. Contra vero legitur de ſancto Alexio, qui fuit nobiliſsimus Romanorũ: & de multis alijs ſanctis, quod fu-gerunt, vt eorũ nobilitas lateret. Et intantũ latuit, vt in perſona pau-peris eleemoſynam acciperet à ſeruis ſuis. Alij vero ſunt, qui conti-nere ſe nõ poſſunt, quin interdum aliquod verbũ proferãt. per quod e generoſos oſtendant. Contra vero patriarchæ nobiliſsimi Iudęorũ lixerũt corã Pharaone, Viri paſtores ſumus. Gen. 47. Iſti ſi vere Chri-ti ſerui eſſent, non oſtenderent ſe nobiles, ſed potius contrariũ cum Agatha nobiliſsima dicente. Ancilla Chriſti ſum, & ideo ſeruilem erſonã me oſtendo. Sunt iterum alij, qui his non contenti faciunt e maiores quã vere fuerunt in ſeculo. Contra vero Moyſes, negauit e eſſe filium filiæ Pharaonis Heb. 15. quod credi poterat, nolens ſe xtollere ſuper id quod erat. Omnia ergo hęc & ſimilia quæ ſapiunt loriam de dignitate parentum interdicuntur.

CAP. XXXI.

Ex rebus Religioni vel pauperibus datis, cauẽda e'atio.

Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus con-ulerint: nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas monaſterio par-iuntur, quam ſi eis in ſeculo fruerentur. Hic traditur mandatum ad auendam ſuperbiam, quæ oriri ſolet in diuitibus occaſione rerum. Nota, quod diabolus, inimicus totius boni, nititur impedire ne bo-um propoſitum concipiatur: quod cum non poteſt, impedit ne d effectum perducatur: quod cum nequit, perdere elaborat. Apocal. 2. Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, ilium eius deuoraret. Hinc eſt quod multos qui poſteaquam con-emptũ mundi ad effectum perduxerunt, tentat de ſuperbia, vt bonũ am conſũmatum pereat. Eſt autem duplex ſuperbia, ſcilicet quædã

Superbia interior eſt & exterior.

atens in cogitatione Eccleſiaſt. 11. Non te extollas in cogitatio-ne. Alia, apparens exterius in aliquibus actibus exterioribus. Ec-leſiaſt. 13. Qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Volens ergo Beatus Auguſtinus neutram relinqui in diuitibus

dicit

Religio, dicitur & communis vita, & Monaſterium propria tria vo.4.

dicit duo. ſcilicet. *Ne extollantur*, propter primũ: *nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant*, propter ſecundum. Nota, quod in vno vocat Religionem, communem vitam: in alio, monaſterium. Superius autem vocat eam ſanctam ſocietatem. Et ſic per tria nomina deſignantur quæ pertinent ad tria vota. Dicitur enim ſancta ſocietas, contra immunditiam. Communis vita, contra proprietatem. Monaſterium quod eſt monachorum ſtatio, propter obedientiam. Nota etiam quod de bono opere, & præcipue mundi contemptu, non eſt ſuperbiendum: tum quia omnia bona noſtra ſunt deformia. Eſa. 44. Omnes iuſtitiæ noſtræ, tanquam pannus menſtruatæ. Item ſi quid ſunt, à Deo ſunt, nõ à nobis. Eſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis. Item ſunt debitum, non gratuitum Luc. 17. Cum omnia bene feceritis, dicite quoniam ſerui inutiles ſumus: quod facere debuimus, fecimus. Quæ eſt ergo materia ſuperbiendi de aliquibus bonis: cum ita ſint turpia: cum non ſint ab ipſo: cum ſint debitum? Quis enim ſolet de ſolutione debiti ſuperbire. Adhuc de diſperſione omnium ſpecialiter temporalium, quis audeat ſuperbire? Nonne multi philoſophi hoc fecerunt? Nonne innumerabiles hæretici? Nonne & ipſe Iudas, & alij complures, qui omnes à Domino ſunt reprobati? Bene ergo dicitur illis, *qui diuites fuerunt in ſeculo*, quod de collatis monaſterio, nec extollantur in corde, nec ſuperbiant in opere.

Ex bonis operibus ac mundi contemptu nulla ſit elatio.

CAP. XXXII.

Superbia, pernicies bonorũ operum.

Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia vero, etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Quaſi dicat, Bene neceſſarium eſt cauere ab ipſa ſuperbia; quia, contra morem aliorum peccatorum, ſuperbia non eſt ſolum in malis operibus: imo oritur etiam ex bonis, & deſtruit ipſa. vt patet Luc. 18. de Phariſæo iuſto. Et de illo in vitis patrum, qui elatus in cogitatione accepit diabolum in ſpecie mulieris oberrantis. Tangit autem Auguſt. tria, propter quæ ſuperbia prædicta eſt valde timenda Religioſis. Primum eſt, quod inſidiatur. In quo innuitur, quod latet apud eos. Hiero. Superbia in cinere & cilitio latet. Plus autem timendus eſt occultus hoſtis, quam manifeſtus: quia minus poteſt caueri. Secundum eſt, quod inſidiatur bonis operibus; Religioſi ſunt ditiores bonis, quia implent non ſolum præcepta, ſed & conſilia. et inſudant diligentius in congregandis virtutibus & meritis, ita vt eis competat illud 1. Cor. 1. In omnibus diuites facti eſtis in illo. Mercatori quanto ditior eſt, tanto plus timendus eſt latro ſpolians, Tertium eſt, quod dicit, *vt pereant*. Inuidia enim dolet de bono. Accidia differt bonum. Ira ſimulat bonum, quia quod facit videtur eſſe iuſtum, quam-

Aliorum vitiorum, ac ſuperbiæ circa bonũ ratio.

nis

uis iuſti tiam Dei non operetur. Iacob. 1. Luxuriæ deſipit bonũ, propter infectionem palati. auaritia auertit à bono, terrenis ex toto intenta. Gula non curat de bono, dicens illud Eſa. 22. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Venialia maculant bonum. Sed ſuperbia, quod peius eſt, deſtruit omne bonum. Gregor. ſuperbia omnes virtutes deſtruit. Hinc eſt quod Iob. 20. vocatur ventus vrens.

Quid enim prodeſt, diſpergendo, dare pauperibus, & pauperem fieri: cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poſsidendo. Reddita ratione traditi mandati prędicti, rationẽ reddit obſeruationis, quaſi dicat. Hoc mandatum non ſine ratione eſt traditum, & ideo requirit vt obſeruetur. quid enim prodeſt &c. Nota, quod quidam fuerunt qui diſperſerunt, ſed non dederunt, vt multi philoſophi & hæretici, qui in ſignum contemptus mundi per vicos & plateas diſperſerunt pecunias. Quidam vero diſpergunt & dant, ſed non pauperibus, immo mundo, vt vani prodigi. Alij diſpergunt, & dant pauperibus ſed non fiunt pauperes, quia non dant omnia, vt boni eleemoſynarij in ſeculo remanentes, ſimiles illi de quo dicitur, Diſperſit dedit pauperibus. Alij vero diſpergunt, & dant totum pauperibus & fiunt pauperes, quod eſt ſuper omnia alia. Qui enim hoc facit, nihil illi deeſt. Vnde loquens Dominus adoleſcenti, qui mandata ſeruauerat dixit. Adhuc vnũ tibi deeſt. Luc. 18. Innuẽs per hoc, quod ſi illud haberet, quod erat omnia dare pauperibus, & pauperẽ fieri, nihil ei deeſſet. Cui autẽ nihil deeſt, in ſummo eſt. Sed vę talibus, quantũcunq; ſint magni, ſi ex hoc ſuperbiant. Priuantur eñ ex hoc octo vtilitatibus, quæ ſecundũ Euangeliũ ſequi ſolent ex tali diſperſione. Tales eñ, ex hoc non ſolent fieri diſcipuli Dñi, Luc. 14. Omnis ex vobis, qui non renunciauerit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Vnde à contrario ſenſu, qui huiuſmodi renunciat aſſequitur eius eſſe diſcipulus; ſed ſuperbia facit eſſe de familia diaboli. Iob. 40. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Secundo, aſſequi ſolent cumulum perfectionis. Matth. 19. Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: perfectũ autem eſt cui nihil deeſt. Sed ſuperbia, quantumcunque abundet homo, ipſum ex toto annihilat. Eccleſ. 21. Domus, quæ nimis eſt locuples, adnihilabitur ſuperbia. Tertio, aſſequi ſolent ſtudium cœleſtis deſiderij. contemptis enim terrenis cor eleuatur ad cœleſtia, Matth. 13. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Theſaurus ille, cæleſte deſiderium eſt; ager, diſciplina cœleſtis ſtudij. Ex diſtributione

CAP. XXXIII.

Qui male, qui bene, qui optime ſua bona diſtrahant.

Qui ſua omnia bene relinquit, multas vtilitates habet: quas omnes elatio tollit,

ergo

ergo omnium, adquiritur in vita diſciplinata cæleſte deſiderium. Sed ſuperbia deijcit de cælo Lucæ 10. Videbam Sathanã ſicut fulgur de cælo cadentem, ſcilicet propter ſuperbiam: quanto magis à cęleſti deſiderio? Quarto, ſolent prægustare conſolationem quandam internam, ſcilicet gaudij celeſtis. Matth. 10. Nemo eſt qui reliquerit domum, & cet. qui non accipiat centies tantũ. Glos. Omnes qui propter regnum Dei, temporalia ſpernunt, etiam in hac vita regni gaudium prægustant. Sed ſuperbia lætari facit in bonis proprijs Iob. 31. Si lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Oſculari manum, eſt delectari in operibus ſuis. in quo, quia conſolationem habet ſuperbus, priuatur diuina conſolatione. Bern. Delicata eſt diuina conſolatio & non datur admittentibus alienam. Quinto, promittitur eis theſaurus in cęlo. Luc. 18. Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Diſperſerant omnia Apoſtoli, ſed dictum eſt eis. Matt. 18. Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Sexto, promittitur eis honor iudiciarius, Matth. 19. Vos qui ſecuti eſtis me, ſcilicet, omnibus relictis: ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Sed in die illa, ſuperbus erit ſubiectus & non ſupra. Eſa. 2. Dies Domini ſuper omnẽ ſuperbum, & arrogantem & humiliabitur. Septimo, promittitur illis poſſeſsio æternæ vitæ Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum & cet. vitam æternam poſsidebit; ſed ſuperbia dicit ad mortem æternam. Eſa. 14. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Octauo, Chriſtus tali precio comparatur, Matt. 14. Inuenta vna precioſa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam: Glos. ideſt, Chriſtum. Sed ſuperbia aufert eum. Pſal. Et alta à longe cognoſcit. *Pſalm. 137.* Bene ergo dicitur. *Quid prodeſt, diſpergendo, dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poßidendo.* Quia per huiuſmodi ſuperbiam priuatur omni vtilitate, quæ ſequi ſolet ex huiuſmodi diſperſione. Væ igitur animæ, quæ tanto fructu priuatur pro tam inutili, & vana ſuperbia. Væ illi, qui per iter virtutum tendit ad vitium. Væ illi, qui de medicamẽto infirmitatem ſibi conciliat. Gregor. Qui de virtutibus habitis extollitur, quaſi de medicamento infirmatur. Væ illi, qui hic depauperatur, & tamen partem non habebit in regno cælorum: hic luget & ibi non conſolabitur. Væ illi, qui de via cæli ſcilicet anguſta, facit ſibi viam inferni. Quanta confuſio erit, cum diuites ſeculi cum humilitate, videbit cælos aſcendentes: ſe vero cum paupertate ſuperba, in barathrum inferni præcipitari. Et ideo bene vocat Auguſtinus talem animam miſeram. Notanda ſunt remedia contra tale elationem.

Primum ſcilicet,& optimum eſt, conſideratio propriorum defectuũ, quibus ſubiacet homo. Vnde in vitis patrum, dixit quidam ſenex, Quando cogitatio elationis intrauerit, ſcrutare conſcientiã tuam, ſi Domini mandata cuſtodiſti: ſi inimicos diligis: ſi gaudes in aduerſarij glorificatione: ſi contriſtaris in minoratione eiuſdem: ſi recognoſcis te ſeruum inutilem: ſi regnoſcis te plus omnibus peccatorem. Sic faciebat Abbas Moyſes, qui fuit in ſeculo magnus peccator, & poſtea magnæ pœnitentiæ. Cum enim tentabatur de elatione, recurrebat ad peccata ſua, ea recogitãdo. Vnde facta eſt ad eum vox dęmonũ dicens. Viciſti nos: quia cum te exaltamus, tu te humilias. Eccleſ. 11. In die bonorũ, nõ immemor ſis malorum. Secundũ remediũ, conſideratio meliorum. Quid enim reſtat nobis ſuperbiendi occaſio, ſi conſideremus, quam parua ſunt bona noſtra in comparatione illorum, quæ alij innumerabiles fecerunt. Gregor. ſicut incentiuũ ſuperbiæ, eſt reſpectus deteriorum: ita cautela humilitatis eſt conſideratio meliorũ. Tertium eſt, conſideratio incertitudinis valoris operum noſtrorum. Etenim quandoque quod reputamus magnum, nihil eſt in oculis Dei; Gregor. Sordet interdum in oculis iudicis, quod fulget in oculis auctoris. Quamuis autem omnibus ſit neceſſaria humilitas, tamen ſpecialiter valet ad tria. Valet enim in prædicatione ad aliorum conuerſionem. Valet in ſtudio ad intelligentiam ſcripturarum. Valet in operibus bonis ad propriam ſalutem.

Cap. XXXIIII. Remedia contra elationem ex bonis operibus inſurgentem.

Exemplum.

Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite. Viuentibus in congregatione non eſt tantum neceſſaria pronitas animorum, & communitas rerum: de quibus ſupra dictum eſt, ſed etiam concordia actionum, de qua hic ponitur mandatum. Eſt autem duplex actio, ſcilicet intrinſeca, & extrinſeca. In harum vtraque debet eſſe concordia. Et propter primam dicit hic, *vnanimiter*, propter ſecundam, *concorditer.* Nota autem, quod ſex ſunt, quæ multum ſolent conturbare concordiam, & contraria horum ipſam inducere. Primum eſt diuerſitas animorum. Contra quod datum eſt mandatum ſupra cum dictum eſt. *Vnanimes habitetis in domo, & cet.* Secundum eſt proprietas rerum. Meum enim & tuum faciunt diſcordiam. Contra hoc dicitur, *Et non dicatis aliquid proprium.* Tertium eſt acceptio perſonarum in diſtributione communiũ. Contra hoc dictũ eſt, *& diſtribuatur vnicuique, ſicut cuiq; opus fuerit,* Quartũ, ſuorũ incõmunicatio. contra hoc dictum eſt, *Qui aliquid habebant in ſeculo, libenter velint illud eſſe commune.* Quintum eſt, voluntas improba nimis habendi. Contra quod dicitur, *Qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.* Sextum eſt ſuperbia. Superbi enim nõ poſſunt bene concordare. Contra

Cap. XXXV. In vita cõmuni concordia interior, & exterior neceſſaria.

Sex ſunt, quæ valde concordiam turbant, & contrà ſex quæ inuent.

 quam,

quam, tanquam multum abundautem data ſunt mandata multa ab illo loco. *Nec erigant ceruicem & cet.* Gregor. In Religione cõcorditer eſt viuendum, ratione cohabitationis, ratione fraternitatis, ratione Religionis. Sequitur autem triplex fructus ex huiuſmodi concordia. Primus eſt, profectus in bono. Ambroſius ex Salluſtio: Res paruæ concordia creſcunt; res vero, etiam magnæ, diſcordia dilabuntur. Secundus eſt, hoſtium fugatio. 1. Reg. 16. Igitur quandocunq; ſpiritus Dei malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Glos. Diuerſorum ſonorum moderatus, rationabiliſque concentus, Eccleſiæ vnitatem ſignat. Tertius, delectatio regis cæleſtis. Sicut enim melodiæ delectant magnates: ſic iſta concordia regem regum. Eccleſ. 25. In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo: & poſt: concordia fratrum. Nota tamen, quod ſicut harmonia non ſemper conſiſtit in omnimoda æqualitate vocum, ſed in debita proportione earum: ita concordia non requirit ſemper æqualitatem omnino, ſed debitam proportionem inter ſuperiores, & inferiores, in eleuatione & depreſſione conuenienti. Tantum enim ſuperior interdum poſſet eleuari, vel deprimi, vt non concordaret cum inferiori: ſimiliter inferior.

Tres fructus concordis vitæ.

Concordia non omnino æqualitatem, ſed proportionem requirit

CAP. XXXVI. *Et honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.* Ex diſcordia frequenter ſequitur inhonoratio; modo verbis conuitiorum in præſentia; modo infamationum in abſentia: modo factis per iniurias, vel in rebus, vel in perſonis. Ideo dicitur Prouerb. 20. Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus. Bene ergo, poſt mandatum de concordia, ponitur mandatum de honore mutuo, quaſi illud ſequatur. Ab inhonoratione vero mutua valde cauendum eſt in congregatione. Nihil enim eſt; quod homines plus diligere ſoleant, quam honorem ſuum. Et ideo valde offenduntur ex tali iniuria Prouerb. 25. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas cito in iurgio, ne poſtea emendare non poſsis, cum dehoneſtaueris amicum tuum. Item huiuſmodi inhonoratio non ſolum homini fit, ſed ipſi Deo. qui ſumme eſt honorandus. Matth. 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: quod intelligitur in bono, & malo. E conuerſo in honore exhibito homini, honoratur Deus, quod ſic patet. Honorandi ſunt omnes homines indiſtincte, iuxta illud B. Petri, Omnes honorate. Quid vero honoratur in homine quocunque, niſi imago Dei? Honor vero, qui exhibetur imagini, illi cuius eſt imago, potius exhibetur. Item honorandi ſunt Prælati ſpecialiter, iuxta illud Eccleſ. 10. In medio fratrum, rector illorum in honore. Cuius autem eſt honor iſte, niſi cuius miniſtri ſunt? Vnde Maximus in

Concordiã mutuus honor diſcordiam contra inſectationes ſequuntur.

Qui & quare honorandi homines, in quibus Deus honoratur.

in ſermone, Dignitas quæ defertur miniſtris: illi cuius ſunt miniſtri, exhibetur. Item honorandi ſunt deuoti viri ſancti. Eccleſ. 10. Semen honorabitur hoc quod timet Deum: hoc autem fit propter in habitantem ſpiritum Dei in illis: ſicut capſella honoratur, propter reliquias. Bene ergo Auguſt. ponens mandatum de honore mutuo, non dicit honorate vos inuicem, ſed, *Honorate in vobis Deum inuicem* quia in fratre non ipſe, ſed Deus honoratur. Honoratur quoq; Deus ſpecialiter, rebus ſibi conſecratis, vt ſunt oblationes: & temporibus ſibi dicatis, vt ſunt dies feſti: locis etiam ſibi conſecratis, vt eſt templum. Et ſicut honor qui exhibetur templo reputatur honor Dei, qui habitat in templo, quia vnum eſt propter alterum: ita honorare fratrem, eſt honorare Deum in fratre, cuius eſt templum. 1. Cor. 3. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Quod ſpecialiter conuenit viris Religioſis, quia & ipſi ſunt Deo dicati, vt templum, et eius habitatio ſpecialis per gratiam, vt templum eſt ſpecialis domus Dei: & excellentis nobilitatis ædificium, vt templum. Et ideo bene dicit Auguſt. *Cuius templa facti eſtis.* Reuocandum eſt autem ad memoriam, quod Pompeius nunquam fuerit fortunatus, poſtquam templum Hieroſolymitanum fuit à ſuis inhonoratum. Quantum ergo eſt timendum illi, qui non illud materiale, ſed iſtud ſpirituale, & ideo charius, in propria perſona inhonorat? Proinde honorandi ſunt Prælati omnes, tanquam patres; iuxta illud infra, *honore coram vobis prælatus ſit vobis,* præcipue vero boni. 1. ad Timot. 5. Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore habeantur digni. Honorentur ſeniores ætate, ſecundum illud Leuit. 19. Coram cano capite conſurge, & honora perſoná ſenis. Honorentur antiquiores in ordine tanquam primogeniti, qui ſuper alios honorabantur in veteri lege. Vnde Gen. 49. dicitur Ruben primogenito, Non creſcas, ſcilicet ſuper alios. Glos. ſecundum, magiſtrum in hiſtorijs: ideſt, ad honorem primogenituræ non aſcendas. Honorentur æquales Rom. 12. Honore inuicem præuenientes, Honorentur, qui aliquid maius fuerunt in ſeculo, venientes ad nuptias Chriſti: & quanto honoratiores, tanto plus honorentur: ſecundum quod dicitur, Lucæ 14. in parabola de inuitato ad nuptias, in illo verbo. Ne forte honoratior te, & cet. Honorentur ſacerdotes. Propter quod dicitur, Eccleſ. 6. Honorifica ſacerdotes. Honorētur qui ſunt in gradu ordinis ſuperioris Rom. 12. Cui honorem, honorem. Honorentur miſsi à maioribus, præcipue ad aliqua officia ſpiritualia exercenda, vt eſt viſitatio, & huiuſmodi, ad Philip. 2. Et huiuſmodi cum honore habetote. Et loquitur de Epaphrodito, quem ad hoc miſerat Paulus ad eos. Ho-

Exemplum.

norentur conſeſſarij, & ſalutis miniſtri, Eccleſ. 38. Honora medicum: quod ſi verum eſt de medicis corporum, quanto magis de medicis animarum? Honorentur dono ſapientiæ præditi. Sap. 8. Propter hanc, ſcilicet ſapientiam, habebo honorē apud ſeniores. Honorentur ſpecialiter laborantes in docendo, & prædicando. 1. Tim. 5. Maxime qui laborant in verbo, & doctrina, ſcilicet honorentur. Honorentur ſanctitate præcellentes. Credendum eſt enim, quod quilibet habet donū aliquod, licet lateat, quo nos præcellit, propter quod ſunt honorandi. ad Philip. 2. In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.

IN CAP. V. REGVLÆ VGO.

CAP. III. De oratione.

Quid ſit orare ante, in, & poſt tempus.

ORationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis. Ante tempus orare, eſt prouidentia. In tempore conſtituto orare, eſt obedientia. Tempus orandi præterire, eſt negligentia. Tanto crebrior debet eſſe oratio, quanto vtilior. Inſtanter, & ardenter orare debemus. Magna eñ ſunt bona, quæ promittit nobis Deus. Nā oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quę præparauit Deus diligentibus ſe. Non vult bona ſua, quærendi, & inueniendi facilitate vileſcere. Precioſa, & deſiderabilis merces, auidum negociatorem inquirit. Ideo nos Dominus hortatur in Euangelio, dicens: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Non enim ocioſis, tepidis, & negligentibus promittitur regnum Dei: ſed, ſicut dicit ſcriptura, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Amat Deus inſtantiam, & importunitatem in prece. Si magna ſunt bona, non debent eſſe deſideria parua. Cum magnitudine præmiorum, concordare debet magnitudo deſideriorum. Quod ſi ad primas lacrimas non exaudit Dominus; ne ſic quidem, à quærendo, & pulſando, deſiſtendum eſt. Sed tanta potius perſeuerandum inſtantia, tantoque obſtinato clamore frequentandus eſt ſaluator, donec impleat orantis deſiderium. Quod ſi quis noſtrum, conſcientiam ſuam, vel cogitationem ſuam, actione vitiorum, ſorde ſentit inquinatam, miſericordiam redemptoris continuis debet flagitare lamentis, ſanctorumque interceſsiones & auxilia poſtulare. Quod ſi ad exemplum Chananeæ mulieris in orando perſiſtamus, fixique maneamus, aderit gratia redemptoris noſtri, quæ cuncta in nobis errata corrigat; immunda ſanctificet: turbulenta

Orandi vtilitas. *Matth. 7.* *Matt. 11.* *Orandi perſeuerantia.* *Matth. 15.*

urbulenta ſerenet. Fidelis enim, & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra, vt emundet nos ab omni iniquitate, ſi ad illum ſedula nente, & voce clamemus. Et vt ſecrete, & quiete poſsint orare fra-res, ideo ſubiungitur.

In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt: vnde & nomen accepit: vt, ſi etiam forte aliqui, præter horas conſtitutas, & ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agen-lum putauerint. Ideo Dominus noſter vendentes, & ementes iecit de templo, dicens. Domus mea, domus orationis vocabitur; vt loceat, in dominica domo, nihil aliud eſſe agendum, quam oran-lum. Ad hoc enim omnis Eccleſia conſtituitur, vt in ea oretur. Ipſa nim eſt domus Dei, & porta cæli. Ibi peccatores reconciliantur, & uſti ſanctificantur. Ibi explentur diuina myſteria, & tractantur cæ-eſtia ſacramenta. Vnde Salomon ait. Domine ſi conuerſus fuerit oopulus tuus, & orauerit ad ſanctuarium tuum, tu exaudies eos, & limittes peccata eorum. Et ideo ſummopere cauendum eſt, ne aliquid in ſanctuario fiat, quod aut oculos diuinæ maieſtatis offendat, ut ibi orare volentes, impediat.

Bona oratorij, ſeu Eccleſiæ.

3. Reg. 8.

Qualiter autem orare debeamus oſtenditur, cum ſubinfertur. *Pſalmis, & hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profer-ur in voce.* Pſallentiū in Eccleſia mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apoſtoli, pſallam ſpiritu, pſallam & mente. O-randi perſeuerantia, ita ſolum meretur eſſe fructifera, ſi quod ore precamur, hoc mente meditemur. Sæpe namque oramus, & alibi mente intendimus. Nec ipſum quod dicimus recolimus, ſed illam Deus non exaudit orationē quam ipſe qui orat non intendit, quod nſtinctu diaboli ſæpe fieri ſolet. Sciens autem vtilitatē orandi, & nobis inuidens gratiam impetrandi, immittit orantibus, cogitationū tumultus, vt mentem ab oratione diuidat, & fructum orationis tol-lat. Contra cuius militiam, debemus habere mentis conſtantiam: vt quanto plus cogitationum turba nos impugnat, tanto robuſtius mens noſtra in ſui ſtatus rectitudine fixa permaneat. Multum enim iuuat ad orationis puritatē, ſi, in omni loco & tempore, nos ab actibus illicitis temperemus. Si ſemper ab ocioſis ſermonibus auditum pariter temperemus, & linguam. Sed in lege Dei ambulare, & teſtimonia eius aſueſcamus toto corde ſcrutari. Quæçunq; enim ſæpius agere, loqui, audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ad animum, quaſi ad ſolitam, propriamque ſedem recurrere. *Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem ita ſcriptum eſt, vt non cantetis, non cantetur.* Non enim decet vt cantus Eccleſiaſticus fieri debeat ſecun-

In orando, cor voci reſpondeat.

Diſtractioni reſiſtendum.

Orationē multum vitæ puritas iuuat.

Cantus Eccleſiaſticus ex præſcripto maiorum.

ſecundum arbitrium diuerſorum, ſed firmiter ſeruandum eſt ſecundum ſcripta & inſtituta maiorum. Similiter ceteræ conſuetudines Monaſterij cum auctoritate, & diſcretione ordinandæ ſunt. Si quid autem mutari oportet, aut conſtitui, non debet hoc cito fieri, aut leuiter, nec arbitrio tantum duorum vel trium, ſed conuocatis fratribus, ſicut ſanior pars canonicæ congregationis decreuerit, ordinandum eſt.

Eccleſiæ auctoritas ſupra rationem eſt.

Et ſciendum, quia auctoritas Eccleſiaſtica, in omnibus magis imitanda eſt quam ratio: quoniam auctoritas ſemper obedientię & humilitatis eſt, ratio vero nonnunquã pręſumptionis. Hoc autem ſeruandum eſt in ordine, vt ſemper maturitas, aut grauitas teneatur. Nunquid leuitate vſus ſum, ait Apoſtolus, vt apud me ſic eſt & non.

2. Cor. 1.

Honeſtum quippe eſt & religioſum, non facile quidquam, aut leuiter variare.

VMBERTVS.

Cap. XXXVII

Tria opera pænitentiæ, de quibus Auguſt. in Regula.

O*Rationibus inſtate, horis, & temporibus conſtitutis.* Traditis mandatis de pertinentibus ad Religionem, quatenus eſt ſtatus degentium in vnũ in præcedenti capite, tradit Auguſtinus in hoc capite mandata circa pertinentia ad Religionem quatenus eſt ſtatus pænitentiæ. Sunt autem tria, ad quæ reducuntur opera pænitentiæ, ſcilicet oratio, qua erigitur animus in Deum, & qua impugnantur vitia animi. Mortificatio carnis, qua animus inſurgit in corpus ſpiritu, & qua impugnantur vitia carnis. Opus miſericordiæ, quo mouetur animus pie in proximum, & quo impugnantur vitia mundi. Et circa hæc tria, tradit mandata. Circa tertium ibi. *Et ſi his, qui venerunt ex mundo delicati.* Circa ſecundum ibi, *carnem veſtram domate.* Circa primum hic, *Orationibus inſtate.*

Tria in oratione Religioſis vtiliſsima.

Sunt autem tria circa orationem valde competentia Religioſis, ſcilicet inſtantia in frequentando, intentio in cogitando: maturitas in cantando. Circa quæ tradit hic Auguſtinus tria mandata. Circa tertium ibi, *& nolite cantare.* Circa ſecundũ ibi, *Pſalmis & hymnis.* Circa primum hic. Et traduntur duo mandata circa hoc. Vnum pertinẽs ad orationes ordinarias; aliud pertinens ad orationes extraordinarias ibi, *in oratorio nemo aliquid agat.* Ad inſtandum ergo orationibus ordinarijs, tradit mandatum dicens. *Orationibus inſtate.*

Orationibus inſtare, eſt maxime Religioſi.

Nam licet orationi omnibus inſtandum ſit. Rom. 12. tamen ſpecialius hoc competit Religioſis. Illis enim qui ſunt in tentationibus conſtituti, cum ab his ſe non poſſint defendere ſine adiutorio altiſ-

ſimi

ſimi, inuocandum eſt diuinum auxilium inſtanter. Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Item, cum ſecundum Gregorium dona Dei facile amittantur, niſi à largiente cuſtodiantur: quilibet habens aliquod donum Dei, recurrere debet ad largientem vt cuſtodiat: & qui plus habet, plus debet recurrere. Item, in rebus difficilibus præcipue ſolet implorari diuinum auxilium. Cum ergo Religioſi plus impugnentur à tentationibus quam alij, Eccleſ. 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem: & plus habeant de donis cæleſtibus; & habeant opus arduum præ manibus, ſcilicet opus perfectionis ducere ad conſummationem: incumbit eis triplex neceſſitas plus orandi: ſcilicet tentationum aſsiduitas; amittendorum bonorum facilitas: proprij negotij difficultas. Præterea, multum facit ad oportunitatem orandi, occupationum ſubtractio. Propter quod dicitur, Eccleſ. 18. Ne impediaris orare ſemper. ideſt, ne aſſumas tibi ea, quæ impediunt te ab oratione. Item, multum facit ad idem loci commoditas Pſal. Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Item ſancta & deuota ſocietas dicentium verbo & exemplo, Venite, adoremus, & procidamus ante Deum. Item, contemplatiuus obligatur magis ad orandum; cum, ſecundum Bernardum, oratio ſemper ſequatur contemplationẽ. Item, viuentes de eleemoſynis tenentur orare pro benefactoribus, exemplo Pauli dicentis. 2. ad Tim. 1. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigerauit, & cathenam meam non erubuit. Item, ſicut diuites, qui non poſſunt multum orare: ſupplere debent in eleemoſynis: ſic qui non poſſunt dare eleemoſynas, debent hoc in orationibus compenſare. Licet autem Religioſis multum inſtandum ſit orationibus, tamen magis, *Horis & temporibus conſtitutis*, Hoc enim, ſicut dicit Gilbertus ſancti Rufi Abbas, expoſitor huius Regulæ, non eſt ſolum oratio, ſed etiam obedientia. Conſtat autem, quod duplex bonum, melius eſt. Item, horis, & temporibus conſtitutis, conuenit, non ſolum, vnus conuentus, ſed innumera multitudo, per vniuerſum orbem, ad orandum. Cum ergo, ſicut dicit ſcriptura, impoſsibile ſit preces multorum non exaudiri, ſperare debet, quod, etſi non ratione ſui, tamen ratione multitudinis orantis, cui ſe adiungit, debet citius exaudiri. Item, probabile eſt quod ſicut locus deputatus orationi, facit, vt preces citius exaudiantur; ſic etiam tempus ſtatutum à ſpiritu ſancto. Eſaiæ 49. Tempore placito exaudiui te. Sicut & pauper veniens ad eleemoſynam, ſtatuta hora, citius accipit. Quamuis autem omnibus ſeptem horis canonicis nobis inſtandum

Multa Religioſum ad orationem prouocant.

Pſalm. 131.

Oratio certis horis, valde bona.

Matt. 18.

De oratione nocturna, ſeu de matutinis.

ſit orationi, tamẽ ſpecialius in quibusdã horis, ſcilicet Matutinis, prima, & cõpletorio. Sed contra ſunt aliqui, qui vix ſurgunt ad matutinas, ſed occaſionibus fallaciter receptis, quaſi ſemp remanent, quaſi ſufficiat eis, diuinis laudibus intereſſe, ſolũ de die. Non videntur iſti pertinere ad illã beatã turbã innumerabilẽ aſtantẽ ante thronũ Dei, de qua dicitur Apo. 7. Quod non ſolũ die, imo die ac nocte ſeruiunt ei in tẽplo eius. Non ſunt iſti de illis animalibus ſanctis, quę nec die nec nocte requiẽ habent. dicentia Sanctus, ſanctus, ſanctus Dñs Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt Apo. 4. Non ſunt iſti de illis cuſtodibus ſanctæ Eccleſię, qui non ſolũ de die, ſed etiã tota die & tota nocte perpetuo non tacent, ſcilicet laudare nomẽ Dñi. Eſa. 63. Excitatur, qui huiuſmodi eſt, Thren. 2. vbi dicitur. Cõſurge, ideſt cũ alis ſurge: lauda in nocte. Dauid nec occupationib⁹ regijs diurnis, nec nocturnis delitijs vxorũ retrahebat, quin de nocte ſurgeret ad laudes Dei. Nã dicit. Media nocte ſurgebã, ad confitendum tibi. Chriſtus interdum non ſolũ partẽ noctis, ſed etiã totam noctẽ expendebat orando. Luc. 6. Et erat pernoctans in oratione Dei. Paulus & Silas non impediebantur anguſtia carceris, quin media nocte laudarẽt Deũ. Actor. 16. Infelices ſomnolenti illi, qui tantorum exemplo non excitantur ad matutinas. Pręterea, mulieres ſolent ſurgere de nocte pro ſolicitudine dom⁹ ſuæ; Prou. vlt. De nocte ſurrexit, deditq; prædã domeſticis. Itẽ, artifices magna parte noctis vigilant. Studentes ſapientię ſurgunt de nocte. Si ergo ſtudioſi pro ſapientia adquirenda, & artifices pro lucro, mulieres pro cura domus ſuę ſic ſurgunt de nocte, quanto magis oportet ſeruos Dei pro ſeruitio regis æterni ſurgere de nocte? Pręterea tẽpus nocturnum aptius eſt actibus cõtemplationis: quia liberius & quietius ab occupationibus. Ideo dicitur, in Pſal. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. Item, benedictio non ſolum debetur Deo de die, ſed etiam de nocte. Bernard. Non dormitabit neque dormiet, qui impugnat Iſrael, cui reſiſtitur per ſacras vigilias. 1. Machab. 12. Cum ſol occidiſſet, præcepit Ionathas ſuis vigilare, ſcilicet propter aduerſarios, quos audierat nocte ſuperuenturos. Item, ſomnolentos frequenter comitantur carnales tentationes: Has autem reprimunt honeſtæ vigiliæ. Eccleſ. 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes. Item, ſicut Dominus veniebat ad Balaam de nocte Num. 22. ita frequentius in huiuſmodi ſilentij tempore viſitat animam, & immittit cõſolationes internas. Iob. 35. Qui dedit carmina in nocte, ideſt gaudioſas conſolationes. Item, ſurgentes ad matutinas, multipliciter ſe purgant. Surgendum eſt igitur libenter ad matutinas: ne tempus aptiſsimũ orationi amittãt, vt debitum benedictionis Deo plene reddamus. vt impugnatę Eccleſię ſuccurra-

Pſalm. 41.

curram⁹, vt tentationes carnis euadamus, vt meritũ ſatisfactionis nobis adquiramus, vt conſolationum ſanctarũ participes efficiamur, vt corpori in Dei ſeruitio de ſanitate prouideamus.

Cap. XXXVIII. De oratione veſpertina.

Sunt aliqui fugientes completorium; tamen contra eum magna diligentia caueant fratres ne vnquam horã iſtã amittant. & hoc multis de cauſis. Conſtat enim quod hora illa eſt in qua de labore actionum tranſitur ad quietem contemplationis. Propter quod tunc cãtatur, Nunc dimittis ſeruũ tuum Dñe, ſecundũ verbũ tuum in pace. Bonarum auté mentium eſt, libenter huiuſmodi tranſitũ facere: nec occupationes actionũ, vltra diem, prolongare, ſecundũ illud. Exibit homo ad opus ſuũ, ſcilicet, qui ratione vtitur, & ad operationem ſuã vſq; ad veſperam, ſcilicet, & non vltra. Item cum ſit tempus tacendi, & loquendi Eccleſ. 3. Iſta hora eſt in qua incipit ſilentium apud Religioſos, quod omnes boni libentius debent accipere, quàm locutiones; Auguſt. Loquela ſit in neceſsitate, taciturnitas in iucunditate. Ité iſta eſt hora, in qua animalia ſancta, quę per dié vadunt ad exteriora, reuertuntur ad interiora. Vnde & in principio dicitur. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, ſcilicet ab exteriorib⁹ ad interiora. Item, ſecundum moré quorumdã, completorio ſunt adnexæ orationes ſecretæ; quarũ fructũ frequenter amittunt, qui non interſunt. Ité, in illa hora ſunt multa, quæ non fiunt in alijs horis, quæ habent aliquem effectum ſpirituale: ſicut apud quoſdã eſt aſperſio aquę benedictæ: benedictio prælati. Ité, abſentes à cõpletorio, vt plurimũ peius expendũt illud tempus, quã abſentes ab alijs horis diurnis. Ité huiuſmodi abſentes, ſolent alios inquietare, ſuis vigilijs, ſuis clamoribus, & tardo ingreſſu in dormitoriũ, quod valde cauendũ eſt circa ſeruos Dei. Qui eñ ipſos inquietat, ſpiritũ ſanctũ in eis habitanté contriſtat. Ité alios ſcandalizant. Videntes enim eos abſentes à cõpletorio, non facile habent rationé iudicandi, quod abſunt, niſi ex cauſa minus ſufficienti: & ſic in eis ſcandalizantur. Si auté illi, qui ſcandalizat vnũ de puſillis, expedit vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius. Mat. 18. quid de illo ſentiendũ, qui conuentũ ſcandalizat? Ité ſolenniter cõmendam⁹ nos beatæ Virgini in cõpletorio. Conſtat auté quod efficax eſt valde cõmendatio tã ſolemnis, Vnde magiſter Iordanus narrat ſe audiuiſſe à quodã Religioſo, Quod quando fratres dicebant, eia ergo &c. videbat beatã virginé flexis genibus cõmendanté illũ ordinem filio ſuo. Interſint ergo libenter fratres cõpletorio, ꝑpter amoré cõtéplationis: propter amoré ſilentij: propter curã propriæ conſcientiæ: propter fructũ ſecretarũ orationum, propter aſſequendum fructũ aliarũ gratiarũ: proter cautelam téporis non inutiliter expendendi: propter vitandã inquietudiné & ſcandalũ fratrũ. et ꝑpter deuotioné erga beatã

Pſal. 103.

Exemplum.

virginem. Quid autem mirum ſi viri ſpirituales, aduеſperaſcente die, libenter tranſeunt ad quietem :cum etiam aues garritum tunc dimittant & quieſcant. Immo, vt dicit Plinius, tota multitudo apum in aluearі, ad ſonitum vnius circumuolantis, illa hora quieſcit, ſine ſtrepitu, vſque mane, & tunc, ad ſonitum eiuſdem circumuolantis, conſurgunt. Prædicta igitur duo tempora, ſunt apta orationibus ſecretis, quia matutinum præcedit occupationes diurnas. Veſpertinum vero ſequitur: & ita vtrumque liberum eſt ab occupatione. Iſta ſunt illa duo ſacrificia legalia, non carnalia, ſed ſpiritualia, ſcilicet matutinum & veſpertinum, quæ quotidie iubentur offerri. Exod. 29. Orandum eſt ſpecialiter mane & veſperi, vt primordia & vtilia actionum noſtrarum, offerentes ipſi, qui eſt alpha, & omega, principium & finis, debitas primitias inchoationis, & decimas conſummationis, perſoluamus eidem. Item orandum eſt mane, vt in actionibus diurnis oratione dirigamur: & hoc ſonat oratio quæ dicitur in prima. Orandũ eſt veſperi, vt oratione, contra tentationes nocturnas, muniamur: & hoc ſonat oratio quæ dicitur in completorio. Iſtæ autem orationes non mutantur, ſicut orationes, quæ dicuntur in alijs horis, ſecundum diuerſa tempora, quia immutabiliter, his de cauſis, ſemper orare debemus, in his duobus temporibus. Item, orandum eſt mane, propter futura vt bene fiant: veſperi, propter præterita mala vt remittantur.

De oratione matutina.

In prima & cõpletorio quare ſemper eadem oratio.

CAP. XXXIX. *In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit; vt, ſi fortè aliqui, etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendũ putauerint.*

Hîc tradit mandatum circa orationes extraordinarias, quia nõ ſunt neceſsitatis, ſed voluntatis, non tradit mandatũ vt fiant, ſed mandatum ne impediantur. Nota circa expoſitionem huius verbi oratoriũ. quod Dominus vniuerſorum non ſolũ de perſonis retinuit ſibi ad miniſtrandum aliquos ſpecialiter, vt miniſtros Eccleſiæ; ſed etiam de rebus decimas, ad miniſtrorum ſuſtentationem: de temporibus, dies ſolemnes: & de locis, aliqua ſibi ſpecialiter appropriauit, ad ſeruiendum ſibi. Inter quæ vnum eſt oratorium, quod dicitur Eccleſia, ideſt congregatio, ratione eorum, qui ibi conueniunt. Dicitur etiam templum, ratione illius, in cuius nomine conueniunt, ſcilicet Dei: in cælo enim pro templo eſt ipſe Deus, Apoc. 21. Et oratorium, ratione eius, quod vt plurimum, & principaliter ibi fit, quæ eſt Oratio. *Ad quod factum eſt.* Sed dicet quis, quod in tempore gratiæ non debeat eſſe locus aliquis proprius ad orandum. Mulieri enim Samaritanæ quærenti vbi eſſet locus orandi, reſpondit Dominus,

Perſonæ, tempora & loca ſingulariter Deo dicantur.

Pro vſu templorum.

Venit

Venit hora, in qua veri adoratores, adorabunt in ſpiritu; ergo non eſt curandum de loco. Reſpondetur, quod non eſt in loco ponenda talis fiducia, quaſi alibi non poſsit homo à Deo audiri, ſicut faciebant aliqui Iudæi. Sed curandum eſt, ex alijs cauſis de loco. Si enim non eſſet aliquis locus orationibus deputatus, tunc neſciretur num orarent homines, necne; atque ita multi omitterent orare. Item, cum vadit quis ad locum deputatum orationi, plus laborando, plus meretur. Item, ipſe locus ad hoc deputatus ad hoc incitat: ſicut locus deputatus comeſtioni, ad comedendum, & ſimilia. Et ideo licet orationis virtus ſit in ſpiritu, tamen deputatur locus, propter iam dicta.

Nemo aliquid agat. Ex hoc videtur non licere in oratorio prædicare, confeſsiones audire, & ſimilia. Reſpondetur, quod iſta ſpiritualia exercitia, quibus animi eriguntur in Deum, ſecundum quandam nominis extenſionem, vocantur orationes quandoque: quia oratio eſt aſcenſio animi in Deum. Vnde quædam glos. ſuper illud. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi in ieiunio & oratione, dicit. Oratio generalis, non ſolum eſt in verbis, ſed in omnibus, quæ in obſequiũ Dei, & fidei deuotionem gerimus. Sicut ergo nomine ſatisfactionis, quæ eſt ieiunium, comprehenditur omnis carnis afflictio: & nomine eleemoſynæ, omne genus pietatis: ita nomine orationis, omnes actus ſpirituales. An vero aliquando liceat ibi comedere, vel iacere, Reſpondetur, regulariter non licere, ſed ex diſpenſatione ex cauſa. An vero liceat ibi ex diſpenſatione, emere, vel vendere ſicut comedere? Reſpondetur non licere; quia iſta quaſi nunquam, exercentur ſine peccato. Vnde & Dominus cum indignatione eiecit ementes, & vendentes de templo. Ex his colligo, quod actiones ſpirituales regulariter poſſunt ibi fieri, & actiones corporales quæ ſunt neceſsitatis, & ſine peccato, poſſunt ibi fieri ex diſpenſatione. Actiones vero, quæ vix, vel nunquam ſunt ſine peccato, nullatenus debent ibi fieri, niſi forte in grandi neceſsitate.

CAP. XL. In templo etiã alia diuina obſequia obire licet.

Matt. 17. Oratio, omne diuinum obſequium.

Quæ liceat, & quæ non in templo prophana exercere.

Nota, quod in hoc, quod Auguſtinus prohibet impediri illos, qui fortaſsis interdum orare volunt, præter horas conſtitutas, manifeſte commendat huiuſmodi ſecretas orationes: quæ procul dubio ſunt ſignum euidens ſanctitatis, & à viris ſanctis, cum omni diligentia ſectandæ. Huiuſmodi exemplum nobis reliquit ſaluator; qui cum nullo indigeret, toties tamen legitur ſic oraſſe. Itẽ, Apoſtoli miniſterium menſarum, propter hoc reliquerunt, Actorum. 6. Item fere omnes ſancti antiqui. Vnde Paulus Eremita mortuus inuentus eſt adnitens ad arborem, ore, ac manibus in cælum erectis, quaſi

CAP. XLI. Oratio ſecreta & priuata vtiliſsima.

orans. Huiuſmodi exemplum ſpecialiter reliquit cuique Religioni ſuus Inſtitutor, qui frequenter pernoctabat in oratione carens lecto. Huiuſmodi exemplum reliquerunt nobis patres primi, quorum tẽpore Eccleſia erat plena fratribus orãtibus, ante altaria proſtratis. Nã huiusmodi orationes habent aliquas prærogatiuas ſuper orationes ordinarias. Illa eñ quæ ſunt in cõmuni officio, magna ex parte ſunt laudes potius quã petitiones. Laudes vero pertinent magis ad patriã, quæ eſt in plenitudine: ad vitam vero, in qua eſt ſtat⁹ indigentiæ, magis pertinẽt petitiones. Secretæ autẽ orationes magis ſunt petitiones, & ideo magis in præſenti neceſſariæ. Præterea, in cõmuni officio ſunt petitiones certæ, & interdum tales, quibus qui intereſt, non multũ indiget. In orationibus vero ſecretis, petit quilibet, quod ſibi placet. Cuilibet autẽ magis neceſſariũ eſt laborare pro eo, quo magis indiget. Pręterea, orationes cõmunes ſunt ex inſtitutione Eccleſię: ſecretæ ex inſtitutiõe Dei. iuxta illud Mat. 6. Tu vero clauſo oſtio, ora patrẽ tuũ. Et de ſecreto orando, legitur exemplum dediſſe Dominus: de alio vero modo orandi, non. Et ideo ſunt maioris neceſsitatis. Vnde & ad omnes pertinent. Item, ſunt magis mentales, quam vocales. Hoc autẽ

Pſalm. 4. multũ facit ad efficaciã orationis. Pſal. Cum innocarem, ideſt int⁹vocarem, exaudiſti me Deus. Præterea, generant maiorẽ affectionẽ. Poteſt enim ſic orans, plus morari circa ſingula, meditando. Ex huiuſmodi autem moroſis cogitationibus, generantur maiores affectiones deſideriorum ſanctorum, quæ faciunt orationes efficaciores, iuxta illud

Pſalm. 9. Pſal. Deſideriũ cordis eorũ audiuit auris tua. Præterea, ſunt puriores, quia nihil vanitatis eis admiſceri poteſt, ſicut vocalibus, quæ ſunt coram hominibus. Pręterea, magis in promptu poſſunt haberi, quia cõmunes indigent libris interdum, loco, ſocijs, & tempore: in iſtis vero

Pſalm. 41. non item. Pſal. Apud me oratio Deo vitę meę. Item deficientibus verbis verbis corporis, iſtã orationem non oportet deficere; Vnde de B. Martino dicitur. Inuictum ab oratione ſpiritum non relaxbat.

CAP. XLII. Oratio in loco ſacro perutilis. Nato etiam, quod libentius eſt orandum in loco ſacro. Pie enim creditur, quod facilius Domin⁹ exaudit orationes, quæ fiunt in loco ſibi deputato. Item credendum eſt, quod angeli talem locum ſanctũ magis frequentant, qui neceſſarij ſunt orationibus, ad offerendum orationes eorum coram Deo. Probabile etiam eſt quod dęmones, qui libenter impediunt orationes, non audent ita accedere ad locũ ſacrum, Gen. 28. Quam terribilis eſt locus iſte. Item omne oratoriũ eſt conſecratum in honorem alicuius ſancti. Pium eſt autem credere, quod ſanctus, Patronus Eccleſiæ, ſpecialem curam habeat eorum qui illuc conueniunt: ſicut princeps, eorũ, qui conueniunt ad loca ſui dominij. Itẽ ibi vt plurimũ eſt corpus Chriſti; reliquiæ ſanctorũ: ima-

gines

gines crucifixi,& beatę Virginis & ſanctorũ, quę ſenſibiliter introducunt in mentẽ horum memoriã, quæ multum valent ad excitandũ deuotionem. Deuotior autem affect⁹ ſumẽ facit orationem efficacẽ. Auguſt. Dignior ſequetur effectus, quando feruentior pręcedit affectus.

CAP. XLIII. Oratio priuata publicam impedire nõ debet.

Sciendũ etiã, quod licet ad ſeruos Dei deuotos pertineat, ſic libenter orare; tamen, propter huiuſmodi orationes extraordinarias, non debent dimittere ea, quæ ordinarie ſunt facienda: & ideo dicit Auguſt. *ſi eis vacauerit*, innuens, quod cum inſtant aliæ occupationes ordinariæ, non ſunt, propter orationes huiuſmodi, dimittendæ. Qui ẽm propter orationes huiuſmodi, non facit, quod debet, ſecundũ votũ profeſsionis, eſt ſicut vſurarius, qui libentius dat quod nõ debet, quã reddat quod debet: Contra vero, Rom. 13. Reddite omnibus debita. Itẽ inſiſtere orationibus huiuſmodi, relictis cõmunib⁹ occupationibus, ſapit ſingularitatẽ. Hoc eſt autẽ quod multũ nocet in Religione, ſicut fera in vinea. Pſal. ſingularis ferus depaſtus eſt eã, ſcilicet vineam Dñi. *Pſal 79.* Item, iſtæ procedunt ex propria voluntate; illæ autẽ ex aliena ordinatione. Itẽ ille, qui facit, quod alij faciunt, nõ habet vnde de vana gloria tentetur, ſicut ille qui non eſt ſicut ceteri hominũ. *Luc. 18.* Oratio autẽ extraordinaria facilius fermentatur vanitate, ergo min⁹ accepta: quia noluit Dñs in lege vt in aliquo ſacrificio offerretur fermentũ. Item, talis eſt, ſicut ouis ſegregata, quã facilius inuadit lup⁹. vt patet de beato Thoma Apoſt. qui ſegregatus ab alijs, Dñm videre nõ meruit. Sicut Abbas aliquando proponit munera in cõuentu, neq; vult alios habere qui non adſunt cũ alijs: Ita Dñs ſpirituales gratias & cõſolationes.

CAP. XLIIII. Comunes labores non dimittendi propter orandi ſtudiũ.

Sciendũ autẽ, quod nõ ſolũ ſpirituales occupationes, vt lectio, officiũ Eccleſię, & huiuſmodi, nõ ſunt dimittenda, propter huiuſmodi orationes, ſed nec etiam corporales actiones, quę ſunt ad vitæ ſuſtentationẽ neceſſarię, vt ſunt procuratio neceſsitatu, opera officiorũ & ſeruitia varia, pro fratrũ neceſsitatib⁹. Certũ eſt ẽm quod ex his occupationib⁹, ſequitur aliqua vtilitas: de oratione vero ſua, neſcit aliqs, vtrũ ſit tãtę efficacię ante Deũ, vt ſibi & alijs multũ proſit, Certa autẽ bona pręferenda ſunt incertis. Aug. Tene certũ, & dimitte incertũ. Itẽ, pallio huiuſmodi orationũ, quaſi vitæ cõtemplatiuę, frequenter nutritur acedia, & fugiũtur opera laborioſa, cõtra illud Eccle. 7. Ne oderis laborioſa opera. ¶ Attendendũ autẽ, quod licet, in omnib⁹ fratrib⁹, ſit rephenſibile dimittere laborioſa opera, quib⁹ neceſsitatib⁹ fratr ſubueitur, ꝑpter orationes huiuſmodi, tamẽ pl⁹ in fratrib⁹ laycis. Nõ ẽm eſſet laudabile, quod à patre familias vocat⁹ ad laborãdũ operari⁹ in vinea, ꝑpter orationẽ lõgã, quã faceret in Eccleſia, illud dimitteret. Ipſi autẽ fratres layci vocati ſunt ꝑprie ad operãdũ, ſicut clerici ad alia ſpiritualia, Et ideo debẽt iſtud diligẽter exercere. 1. Cor. 7. Vn⁹quiſq; in

CAP XLV. Conuerſi, ſeu layci proprie laborare debent.

vocatione, qua vocatus eſt, in ea permaneat. Item diuiſiones gratiarum ſunt datæ, ad hoc, vt inuicem ſe iuuent ſerui Dei. Sicut ergo clerici miniſtrant eis gratias ſpirituales doctrinæ, & officij, & huiusmodi, quas acceperunt, ita & illi debent eos adiuuare. 1. Petri. 4. Vnusquiſque, ſicut accepit, gratiam in alterutrum, illam adminiſtrantes. Item in corpore vno multa ſunt membra habentia actus, & officia diuerſa, vnumquodque membrum ſeruit pro officio ſuo, & officium alterius non aſſumit. Layci ergo, qui ſunt manus, cuius eſt operari, melius faciunt hoc, ſolicite agendo, quam, ſi aſſumerent oculi officium, contemplationi, vltra modum, vacando. Præterea cogitare debent, quod qui iuuant ſpirituales operarios, ſicut palus ſuſtentans vitem, participes ſunt bonorũ, quæ per eos fiunt. Mat. 10. Qui recipit Prophetã, in nomine Prophetę, mercedẽ Prophetę accipiet. Item ſeculares laborant vehementer, pro vita ſua, quoquomodo habenda in mundo: quãto magis, fratres layci, pro vita glorioſa? Propter hoc igitur laudabilior eſt frater layc⁹, qui ſuccinctè dictis orationib⁹, ad quas tenetur, omittit ſolennitatem, & multitudinem miſſarum, & prolixitatem officij in matutinis, & alio tempore, & occupationes in miſsis priuatis, & orationes extraordinarias, vt plus temporis expendat in corporali labore, quam, qui in his ſe detinens & occupans, minus operatur, tempore operandi: præcipue cum non ſit ſine magno periculo, in Religione ille, qui nec ſeminare ſpiritualia valet, propter imperitiam, nec laborare in temporalibus vult, propropter pigritiam, aut negligentiam.

CAP. XLVI. Quid pſalmus, quid hymnus.

Pſalmis, & hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Licet proprie loquendo omnis pſalmus ſit hymnus, tamen hymnus eſt laus Dei cum cantico, & quandoque reſtringitur ad illos hymnos, qui habent notabiliores cantus: & ideo accipitur hic pro illis, qui in officio diuino habent diſtinctum modum in cantu à pſalmodia, vt ſit ſenſus, *cum oratis Deum*, pſallendo ſiue alio modo, *hoc verſetur & cet.* Vel aliter. Pſalmis, ideſt orationibus ſecretis, & hymnis ideſt orationibus ſonoris, ſcilicet, publicis.

Qua ratione ad attentionẽ cordis obligemur.

An vero obliget hoc mandatum, Reſpondetur, quod Auguſtinus ſicut ſit in canonica ſcriptura, quædã ponit in Regula, quæ non ſunt tam præcepta, quam incitamenta ad bonum, de quorum numero hoc eſt vnum. Vnde virtute Regulæ non obligatur ad hoc aliquis, aliter quam obligetur ex iure diuino. Cordis autem euagatio, in orationibus, aliquando accidit ex infirmitate humana, aliquando ex negligentia, aliquando ex propoſito. Licet autem totum ſit reprehenſibile; tamen tertium magis, quam ſecundum: & ſecundum magis.

Diſtractio tribus ex cauſsis.

magis, quam primum. Item, ſunt quædam cogitationes cuiuſdam neceſsitatis. Sicut cum incumbit aliquid alicui de quo oportuit eum cogitare Sap. 9. Deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Aliæ vanitatis Pſalm. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Aliæ iniquitatis, Sap. 1. Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo. In oratione cauendum eſt à primis: ſed plus à ſecundis, & plus à tertijs. Item, quædam oriuntur ex immiſsione dæmonum; quædam etiam ex culpa præcedenti; vt cum quis ante orationem adeo eſt vagus, vt illa occaſione, occurrant ei oranti, ſicut & ſomnianti, quæ ipſum impediunt. Quædam ex culpa præſenti, vt cum quis, dicendo officium, ſe occupat in alijs. Primum, malum: ſecundum, peius: tertium, peſsimum. Item in orando, occurrunt quandoque cogitationes vtiles, & de pertinentibus ad orationem; vt cum occaſione alicuius verbi occurrẽtis in oratione cogitat quis aliquid vtile ad ſermonem: quandoq; quidẽ vtiles, ſed de impertinenbus: quãdoq; & impertinentes & inutiles: imò quandoq; noxię. Primæ habent aliquam excuſationem: ſecundæ, minorem: tertiæ minimam. Multũ igitur debent omnes, & maxime Religioſi dare operam vt orando verſetur in corde, quod profertur in ore. alias oratio eorum erit ſimiatica. Simia enim interdum labia mouet, ad modum orantis, licet neſciat quid dicat. Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Item, cum quis loquitur proximo ſuo, cogitat in eo quod dicit, & tanto magis, quanto maior eſt cui loquitur. Cum ergo orando loquamur ſummo Deo, quantum cogitare debet quilibet in oratione ſua? Bernard. Cum ad orandum in Eccleſiam intraueris, fluctuantium cogitationum tumultum relinque exterius, vt ſoli Deo vacare poſsis. Item, oratio, cibus eſt cordis. Sicut enim amittit dulcedinem ſapidi boli, qui eum non mandit: ſic dulcedinem ſpiritualem orationum, qui non conterit dentibus intelligentiæ. Bernar. Cibus in ore, Pſalmus in corde ſapit: non negligat anima, illum terere dentibus intelligentiæ, ne, ſi forte integrum glutiat, fruſtretur ſapore palatum, dulciore ſuper mel, & fauum. Item, in oratione petimus, vt Deus nobis intendat, Iuxta illud. Intende mihi, & exaudi me. Quomodo autem eſt probabile, quod hoc faciat ſi nos nobis non intendimus? Bernardus. Quomodo mihi intendet, qui mihi non intendo? Item, quod magis efficax eſt in oratione, eſt ex parte cordis. Auguſtin. potius ad vocem cordis, quam corporis, aures eius. Et Iſidorus, Oratio, cordis eſt, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Qui ergo cor non habet in oratione,

Pſal. 93.

Aliæ tres cauſſæ.

Tria genera diſtrectionum.

Oratio ſimiatica quæ.

Oratio vt cibus.

Pro attentione.

ſubtrahit quod melius eſt in oratione. Quod vt melius fiat, recolligendum eſt cor, cum acceditur ad orandum, Interdum etiam reſpiciendum eſt in libro, vt melius cor applicetur ad ea, quæ dicuntur. Quamuis autem ex infirmitate humana, homo non poſsit habere cor multum in orationibus ſuis, non tamen, propter hoc, tepeſcendum eſt ab oratione, quia pauper licet non ſemper clamet, tamen ſola inſtantia cordis, diu ſedendo ad portam, dominum mouet ad miſericordiam. Et multo magis de miſericordia Dei eſt confidendum. Item, cum à principio orationis fuerit intentio meritoria, totum opus, quod ſequitur, eſt meritorium: licet non ſemper actu cogitetur de illo. Et valet opus orationis, etſi non per modum orationis, tamen per modum meriti.

Propter diſtractionem non ceſſandum ab oratione.

CAP. XLVII.

Cantus Eccleſiaſtici fructus permulti.

Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur. Hic tradit mandatũ circa maturitatem in cantando, vt non aliud quam quod ſcriptum eſt cantetur, cum dicit, *nolite & cet.* Neque aliter, cum dicit. *Quod autem non ita & cet.* Licet hæretici reprehendant cantus vocales Eccleſiæ, tamen Eccleſia non ſine multa ratione ipſos inſtituit. Habet enim huiuſmodi cantus, ſiue iubilus, multos vtiles effectus. Vnus, eſt quod cor liquefacit in affectum ſanctum. Vnde de beato Auguſtino ſcriptũ eſt. Flebat autem vberrime in hymnis & canticis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Alius, quod mentem eleuat. Gregor. Oculos cordis attollit iubilus laudis. Vnde multi rapiuntur in extaſin in huiuſmodi iubilatione. Et ideo poſtquam dictum eſt in Pſal. In Eccleſijs benedicite Deo Domino. Sequitur ibi. Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu. Tertius, quod triſtitiam malam depellit, Glos. ſuper illo verbo, Iacob. 5. Triſtatur aliquis veſtrum: crebra pſalmodiæ dulcedine nociuam triſtitiæ peſtem depellat. Ideo dicit, Dauid. Exultabunt labia mea, ideſt replebor gaudio, quod in labijs apparebit, cum cantauero tibi. Quartus, quod præparat viam cordis Domino ad infuſionem multiformium gratiarum, Gregor. ſuper Ezechielem. Cum vox pſalmodiæ per intentionem cordis agitur, Omnipotenti Domino iter ad cor præparatur. Iſti effectus ſunt in anima. Quintus, quod diabolum fugat. 1. Regum. 16. Dauid tollebat cytharam, & pſallebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Sextus, quod Deum delectat: in Can. Sonet vox tua in auribus meis. Septimus, quod militantem Eccleſiam aſsimilat triumphanti, quæ ſemper iubilat. Bernardus ſuper Cant. Nihil in terris ita proprie repræſentat quendam cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum.

Pſal. 67.

Pſalm. 70.

Cant. 2.

Deum. Octauus, quod inimicos. Eccleſiæ conturbat. 2. Paralipom. 20. Cumq; cepiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias inimicorum in ſemetipſos, & percuſſi ſunt.

CAP. XLVIII. Libri chorales correcti.

PORRO circa libros Eccleſiaſticos bene correctos, & bene legibiles habendos, eſt magna diligentia facienda. Per ipſos enim dirigimur in ea, quæ pertinent ad Deum: per ſcholaſticos vero, in ea, quæ pertinent ad proximum, vt eſt docere, prædicare & huiuſmodi. Magis vero curandum eſt nobis de his quę pertinent ad Deum, quam proximum. Item, huiuſmodi libri ſunt communes, & omnes illis vtuntur; non eſt autem ita de ſcholaſticis. Communia vero præponenda ſunt proprijs. Item, ad iſtos neceſſe habent recurrere ſenes, & qui male vident, & minus prouecti. Item, pertinet ad ornatum Eccleſiæ. Item, ex defectu eorum, fiunt defectus, & errores in officio; vnde plures turbationes & ſcandala oriuntur, quam ex inſufficientia aliorum librorum; quæ valde ſunt cauenda in ſeruitio diuino. Cauendum eſt autem cuilibet, ne aliud vel aliter, quam ſcriptum eſt in libris, cantet, vel legat, ex proprio ſenſu. magis enim ſequenda eſt auctoritas maiorum, quam etiam ratio. quia hoc humilitatem; illud præſumptionem ſapit, ſicut dicit expoſitor Regulæ. Præterea, ſi iſte vult cantare aliud, quam ſcriptum eſt, & ille ſimiliter: fiunt diuiſiones, & turbationes in officio. Item, tolerabilius eſt aliquid minus bene cantari, vel legi, dummodo non ſit error intolerabilis, qui nuſquam inuenitur in libris, quam fieri turbationem in officio: & ideo ſemper eſt faciendum ſecundum libros. Valde etiam curandum eſt cuilibet, vt ſciat quæ ſcripta ſunt de officio. Si enim ſtudetur cum tanta diligenta illis, ad quæ nullus tenetur, quanto magis vbi addiſcunt homines illa, quæ tenentur. Hæc enim eſt ſcientia ſalutaris, ideſt, ad ſalutem pertinens.

Inſtitu a maiorum in cantu ſeruanda.

Religioſo ſit perſpecta publica orandi ratio.

IN CAP. VI. REGVLÆ VGO.

C*Arnem veſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcæ, & potus, quantum valetudo permittit.* Caro quidem concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Sed ne caro poſsit præualere, ſpirituales viri per virtutem ſpiritus eãdem concupiſcentiam debent reprimere: quia quando caro domatur, ſpiritus roboratur. Sed cum adiungitur, *quantum valetudo permittit*, virtus diſcre-

Quare caro domanda.

Gal. 5.

Diſcretio in domando.

diſcretionis commendatur. Pereunt enim ipſa bona, niſi cum diſcretione fiant. Tantum ergo debet quisque carnem ſuam domare per abſtinentiam, quantum valetudo permittit naturæ. Qui carnem ſuam ſupra modum affligit, ciuem ſuum occidit. Si plus, quam oportet alimentis reficit, hoſtem nutrit. Sic ergo nutrienda eſt, vt ſeruiat, ſic domanda, vt non ſuperbiat. In omni abſtinentia hoc ſemper attendendum eſt, vt vitia extinguantur non caro. *Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrogat.* Primum, vitium ex octo principalibus vitijs, eſt gula. Tentatio huius vitij aliquando fit de paruis rebus, & vilibus. Nam primus homo tentatus eſt non de porco, ſed de pomo. Eſau non de gallina, ſed de lenticula. Saluator noſter non de carne, ſed de pane. Sunt autem huius vitij tria genera. Vnum genus eſt, quando cibo, vel potu quis immoderate vtitur. Alterum genus eſt, quando nimis delicatum cibum vel potum quis deſiderat. Tertium genus, quando extra horam cibum, vel potum vult quis ſumere. Extra horam credimus eſſe vſque ad tertiam. Nam vſque ad iſtam horam non decet fratrem comedere, aut bibere niſi ægrotet. Ægrotanti omni hora licet. Infirmis enim non eſt lex poſita. Non ieiunnantibus, nec tamen infirmantibus, rectam horam reficiendi intelligimus ab hora tertia, vſque ad ſextam. Ieiunantibus vero, ab hora nona, vſque ad veſperam: cum Apoſtolus præcipiat, vt omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant. Nec tantum cibo & potu temperate vti oportet, ſed etiam horas conſtitutas obſeruare, ne cui de vita noſtra præbeamus offendiculum. Valde enim indecens eſt, ſi nos reprehenſibiliter viuimus, qui formam recte viuendi alijs demonſtrare debemus.

Gula etiam in vilibus cibis.

Gula tria vitia.

Hora in cibo ſeruanda.

1. Cor. 14.

VMBERTVS.

CAP. XLIX.

C*Arnem veſtram domate ieiunijs & abſtinentia eſcæ, & potus, quantum valetudo permittit.* Hic tradit mandata, circa ſecundum partem pænitentiæ, quæ pertinet ad carnis macerationem. Et circa hanc, dat tria mandata. Primum, pertinet ad potentes, ibi, Carnem veſtram &cet. Secundum, ad impotentes, ibi *Cum autem aliquis &c.* Tertium ad vtrosque, ibi, *cum acceditis.* Et vide quod ſecundum ſurgit ex primo, tertium ex ſecundo. Cum enim dicit, *quantum valetudo permittit.* quia poſſet aliquis dicere. Quid faciendum ergo eſt impotentibus? ſubiungit. *Cum autem aliquis*

quis non poteſt ieiunare. &c et. Et quia in illo dicit, *Non tamen extra horam prandij*: ideo quid in prandio vtriſque ſit agendũ, ſubiungit, *Cum acceditis &c.* Circa primũ vero dans mandatũ, dicit, quid carni faciendũ? quia domanda non extinguenda. & per quę? quia per duo, ſcilicet, per ieiunia, & per abſtinentias duplices, ſcilicet eſcæ, & potus. Quamuis enim ad omnes ſeruos Dei pertineat carnẽ domare, tamen ſpecialiter requiritur hoc à Religioſis. Religioſi enim frequenter prædicant Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, & ad huiuſmodi etiam crucifixionem alios inducere debent. Quanta autem verecundia eſt, huiuſmodi Religioſo ex corpore incraſſato? Item, Religioſi eſt, in concionibus, & confeſsionibus, & conſilijs, ſuadere vel imponere alijs, vt carnem doment. Quid autem prodeſt homini ita eſſe ſolicitum de alijs circa iſta, & pro ſalute ſua digito nolle talia tangere? Ideo dixit Apoſtolus, Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item, Religioſi eſt aliquando iter habere, & inter fæminas, & alia incentiua ad malum eſſe. & ideo ſi corpus eius non fuerit edomitũ, eum facile præcipitabit. Ideo dixit ſancta quædam in vitis patrum, Ieiunium frenum eſt monacho, ad peccatum. Item, Religioſus eſt nuncius miſſus à rege cæleſti: non ſolet autem credi nuncio, niſi oſtendat ſigna, per quæ conſtat ipſum verum eſſe nuncium, & de familia illius, à quo dicit, ſe miſſum. Religioſus ergo debet ſigna Domini ſui portare manifeſte. Hæc autem ſunt carnis maceratio. Gal. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Item, Religioſi eſt per famam ſanctitatis mundũ attrahere ad ſe; quod maxime fit per abſtinentiam, ſicut patet de Ioanne Baptiſta. Item, Religioſi eſt laudes Dei dulcius perſonare; pellis autem pinguis non bene reſonat. Ideo ſicut de pellibus deſiccatis, fiunt tympana, ad bene ſonandum; ſic dulcius reſonat laudes diuinas, Religioſus ſiccus, quam pinguis. Et ideo ſecundum expoſitionem Gregor. dicitur, in Pſal. Laudate Dominum in tympano; quod fit ſcilicet de pelle deſiccata. Item, Religioſi eſt tractare de ſcripturis ſanctis, & ideo debet ſe aptare ad penetrandum ſubtiliter; ad quod multum valet carnis maceratio: quia ſecundum Hieron. pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Danieli enim vſcenti leguminibus & aqua, data eſt intelligentia viſionum. Item Religioſi eſt inducere homines ad vitam Chriſti tenendam; vt ſicut ipſe ambulauit, ita & ipſi ambulent: melius autem docet pingere qui non ſolum verbo, ſed imaginem oſtendendo docet. Ideo Religioſus debet vitam Chriſti non ſolum verbis prædicare, ſed etiam in ſe oſtendere: Sic Paulus 2. Corinth. 4. ait ſemper mortificationem

Carnẽ domare proprium Religioſorum.

Matth. 23.

1. Cor. 9.

Pſalm. 150.

Dan. 1.

CAP. L.

Ieſu in corpore veſtro circum ferentes, vt & vita Chriſti in corporibus veſtris manifeſtetur.

Contra Religioſos, qui extra Monaſterium eſſe cupiũt, ne carnẽ domem.

Sed ſunt quidam miſeri Religioſi, qui non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum carnem ambulantes, & ventris ingluuie ſuperati, vitæ auſteritatem quam aſſumpſerunt voluntarie, poſt experientiam exhorrentes, inconuenientia multa hac occaſione committunt, hoc eſt enim quod interdum eos deturbat de ſtatu clauſtrali: ſicut dicitur, de lupo famelico, quod fames eum de ſilua extrudit: modo, ſi occurrat oportunitas facile tranſeuntes ad dignitates, contempto periculo curæ animarum: modo, ſi hoc non poſſunt, libenter morantes foris, etiam in ſtatu verecundiæ pleno: modo ad aliam Religionem ſe transferentes, non animo auſteriorem vitam ducendi, ſed laxiorem:: modo, quod peius eſt, cum apoſtaſiæ crimine, ad Ægyptum ſæculi, propter eius cibaria, reuertentes; & in his omnibus ventris refectionem quærentes: quam, cum inuenerint, non poſſunt ab ea ſeparari, ſed in ea detenti, nunquam reuertuntur ad clauſtrum: ſicut coruus adhærens cadaueri, non eſt ad arcam reuerſus.

Quibuſdam carcer gratior clauſtro.

Item, hoc eſt, quod remanentibus in clauſtro, quibuſdam facit interdũ, ſic diſplicere illud, vt carcerem. Vidi ergo quendã fratrem de ijs qui foris morantur, qui cum captus fuiſſet à Domino Friderico, & traditus cuidã ciuĩ ad cuſtodiã, laborauerunt fratres vt ſecum poſſet morari: quod cum obtinuiſſent, & aliquot diebus cum eis fuiſſet, videns auſteram vitam ipſorum, magis elegit ire ad carcerẽ, quàm cum eis amplius cõmorari. Item, hoc eſt, quod facit aliquos, quaſi in continuo diſcurſu eſſe; nec poſſunt in clauſtris teneri.

Qualis ſit Religioſus amans cibi, & gulæ.

Cum autem ſunt in conuentibus, in quibus melius tractantur, quam foris, vix poſſunt ad alia negotia, etiam ſancta emitti. Et facti ſunt ſimiles hiſtrionibus, qui ſemper frequentant loca, vbi ſunt conuiuia meliora: contra quos dicitur, Eccleſ. 7. Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. Item, iſti, qui ſic vexantur hac peſte, non poſſunt in oratione quieſcere, aut lectioni inſiſtere, aut huiuſmodi ſpiritualibus vacare. Sed aſſueti domũ obambulare, modo explorant, quid comedere debeant; modo exſpectant, ſi aliquid foris aſportatur: modo ſolẽ reſpiciunt, quando deſcendit, vel aſcendit: modo ſacriſtiam moleſtãt; modo pulſantẽ ad horas, quod tranſierit hora comedendi vexant: modo morantur propè locum hoſpitum, ſi fortè occurrat ibidẽ occaſio, vt inuitentur. Si deſunt aliqua, murmurant, ſicut Iudæi in deſerto. Si reſtrictiones circa carnalia fiant; pro viribus, ſe opponunt. Si datur pænitentia pertinens ad abſtinentiam, aut non faciunt, aut tãtũ differunt, quod ſepeliatur obliuione. In diſpenſationibus ſecum fa-

ciendis

ciendis, ſuper abſtinentijs, neceſsitatem, vel rationem aliquam non attendunt. Prælatos circa hoc faciles, optimos reputant & commendant: rigidos vero in his, intolerabiles dictitant. Si vero infirmitate contingat eos laborare, tantam curam habent carnis in medicinalibus: in recreationibus, & huiuſmodi, vt ab ijs auelli non poſsint. interdum vero, propter huiuſmodi, in vitium proprietatis incidunt, ſemper apud aliquos procurantes habere aliquid, ad quod recurrant, prouidentia diuina eiſdem deficiente. Interdum vero adeo excedunt in cibis, & potib⁹, & medicinis, & cœnis ad multam noctem, vt carnem miſeram, cui fomenta miniſtrare debuerant, deſtruant, more illorum, qui, quos debent balneare, interdum ſuffocant, & extinguunt, Quis his conſideratis non videat, quod Nabuzardan princeps cocorum, ideſt gula, domum Domini, ſcilicet Religionem totam, deſtruit, & incendit. 4. Regum. 26. *Gula, peſtis.*

PROINDE diſciplina abſtinentiarum, ſicut ſtatuta eſt, debet rigide obſeruari à quolibet: & à Prælatis eſt ſuper hoc diligenter vigilandum, ne facile circa hoc aliquid relaxetur. Ad quod præter damna prædicta, ſunt alia multa quæ inducant. Reperitur enim, quod Iudæi cum tanto rigore obſeruant abſtinentias ſuas, vt potius eligant mori, quam contra facere: ſicut patet. 2. Machab. 7. Idem, etiam in hæreticis, & Saracenis inuenitur. Quanta ergo verecundia eſt, quod homines, qui reputantur ſummæ perfectionis inter Chriſtianos, faciles inueniantur, in ſuis obſeruantijs relaxandis? Itē, non inuenitur aliquod peccatum humanum grauius punitum, quàm fractio abſtinentiæ impoſitæ primis parentibus. Quantum ergo ex hoc exemplo timendum eſt illis, qui tam facile debitas abſtinentias frangunt? Ideo dicitur Zach. 13. Adam, exemplū meum, ab adoleſcentia mea. Item, abſtinentia habet multos impugnatores. ipſam enim impugnat caro: item, creaturæ viſu pulchræ, ad veſcendum ſuaues. ipſam impugnat, quod maius eſt, ratio quæ facile contra eam inuenit argumenta. item ſocietas, quæ ſepius, ſua importunitate, ipſam moleſtat. & ideo tanto virtuoſior ſi perdurat, quanto magis impugnatur. Ideo viri virtutum quibus dicitur, viriliter agite, diſtricte eam ſeruant, vt ex hoc fiant in virtutibus glorioſiores, quia quanto pugna grauior, tanto victoria glorioſior. Item, licet caro multa poſsit, tamen interdum ſimulat ſe impotentem, ſicut vulpes quæ in horto ſimulat ſe mortuam, vt poſsit capere gallinam. & ideo non eſt ei paſsim credendum: ſed cauendum ne decipiat, Item, venter eſt ſicut malus Epiſcopus, qui pecuniam quam ſemel accepit, iterum exigit, licet non habeat ius in eam. Et ideo, ſicut

CAP. LI. Pro abſtinentia ſeruanda rationes.

Pſalm. 30.

Caro ſæpe ſimulat debilitatem.

ſicut clerici, propter hoc, reſiſtunt epiſcopo, ſic faciendum eſt ventri, à bono viro: Iob. 3. Vocem exactoris ſcilicet ventris non audit. Item, ſpiritus habet ius in homine, ſimiliter & caro. debet enim homo ſibi ſuam neceſsitatem; ſicut, interdũ duo nobiles habent iura ſua in eodem caſtro. Conſueuerunt autem huiuſmodi nobiles, maximè vbi non bene concordant multum cauere, ne alter adquirat aliquid iuris alterius. Cum ergo caro & ſpiritus ſibi inuicem aduerſentur, quantum debet cauere Spiritus, ne caro adquirat aliquid ſuper eum? certum eſt autem, quod homo nõ debet carni vitam ſecundum voluntatem ſuam, ſed ſolum ſecundum neceſsitatem: Rom. 8. Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Et ideò valde timendum eſt Spiritui, ne vltra neceſsitatem carni aliquid miniſtretur. ne ex hoc, caro iura ſua in homine amplificet ſupra ſpiritum extraordinarie. Item recreationes, quæ præter curſum conſuetum ſuſcipiuntur, ſolent generare infirmitates. Item conſuetudo facit hominem potentiorem, contra vero interruptio conſuetudinis facit minus potentem. Et ideo frangentibus facile abſtinentias, ſemper eſt difficilius, ad conſueta redire. Item, huiuſmodi diſpenſationes interrumpunt, ius, atque vſum dominij, quæ ex conſuetudine continua, adquirit ſpiritus in carnem.

Ius ſpiritus, ne vſurpetur à carne.

Nimium pro corpore nocet corpori.

SCIENDVM quod licet abſtinentiæ diſtricte, ſint obſeruandæ, tamẽ ſemper cauenda eſt in iſtis indiſcretio: & hoc ratione ſocietatis, paupertatis, & officij. Cum enim quis affligit carnem indiſcrete, incurrit interdum infirmitatem; & impotentiam, per quam redditur alijs oneroſus. Prudentis autem eſt ab huiuſmodi cauere, iuxta illud. 2. Cor. 11. Sine onere me vobis ſeruaui & ſeruabo. Item, cum aliquis, hac occaſione, incurrit infirmitatem, oportet plures expenſas pro eo fieri, quod cauendum eſt dilingenter, vbi eſt paupertas. Exemplum in vitis patrum de Eremita, qui factus Epiſcopus plures faciebat abſtinentias in Epiſcopatu, quam ante. Requiſitus quare? Reſpondit, quod cum erat in Eremo, conſeruabat corpus ſuum vt poterat, bono modo, cogitans, quod ſi infirmaretur, non haberet neceſſaria: In Epiſcopatu autem, non timebat hoc, quia in illo paratę erant ſibi conſolationes, in omni infirmitate ſua. Item, prudentis viatoris, qui habet adhuc multorum dierum iter, eſt multa diligentia equum ſuum cuſtodire: multo magis viro qui debet in choro, vel concione, vel alijs huc pertinentibus aſsidue occupari, eſt cauendum ne deficiat ei equus corporis proprij. Si enim deficit equus viatori, poteſt alium quærere, vel, illum relinquendo pedes ire, vel alij cuſtodiendum tradere: hic vero non ſic, quia corpus aliud nemo poteſt ad-

CAP. LII. In pœnis corporis ſit diſcretio.

Exemplum.

adquirere ſibi, nec alij cuſtodiendum committere. Ideo dicebat Pſalm. Fortitudinem meam, ſcilicet vires corporis mei, ad te cuſtodiam. Propter hoc etiam notabiliter dicit Auguſt. carnem domandam, non extinguendã: domandã, ne laſciuiat, vt pullus indomitus: ne rebellet, vt ſeruus malus: ne deſæuiat, vt fera crudelis. Greg. in moralib. Per abſtinentiam vitia ſunt extinguenda, non caro. Et tanto quis ſibi debet præeſſe moderamine, vt & ad culpam caro non ſuperbiat, & tamen ad effectum rectitudinis in opere ſubſiſtat. Hinc eſt quod viri ſancti ſolent interdum illas abſtinentias libenter facere, quæ parum nocent corpori, & tamen multum valent ad virtutem: vt ſunt abſtinentia à fructibus: à contrarijs ſuæ complexioni, non ſolũ propter ſanitatem, ſed etiam propter virtutem; ab herbis & fructibus crudis; à ſalſis aliquibus: à multitudine ferculorum; à cibis ſumptuoſis & curioſe paratis; ab extraordinarijs comeſtionibus: ab omni notabilitate in potu, & ſimilibus multis; per quæ & vitia carnis domantur, nec multum læditur corporis valetudo.

Pſalm. 58. *Caro domanda nõ extinguẽda* *Aquibus cibis vtiliſſime abſtinemus.*

CAP. LIII. *De ſobrio potu.*

QVAMVIS Auguſtinus imponat abſtinentiam eſcæ, & potus: tamen omni Religioſo ſpecialiter cauendum eſt ab omni exceſſu circa potum. Ad quod multa ſunt, quæ inducunt. Saraceni enim, ſecundum legem ſuam perpetuo abſtinent à vino. Rechabitæ in veteri lege, nunquam bibebant vinum. Hieremiæ. 35. Nazaræi à tempore conſecrationis ſuæ non bibebant vinum, vel aliud quod inebriare poſſet. Numer. 5. Cum autem hæc omnia fiant ab eis, propter falſam Religionem, vel figuram noſtræ Religionis: quam reprehenſibile eſt in viris Religioſis exceſſus in vino? Item, ſicut narrant hiſtoriæ, Carolus non bibebat niſi ter in menſa: Ludouicus etiam rex Francorum, in vaſe ex quo bibebat dicitur, habuiſſe ſignum, vſque ad quod erat vinum, reſiduum vero aqua: & erat fere in eadem quantitate, cum vino. Si ergo hoc faciunt ſeculares, quantus pudor eſt, vt Religioſi excedant in potu? Poſſunt autem eſſe multa reprehenſibilia Religioſis circa potum. Vnum, circa quantitatem. Ideo dicit, Apoſtolus Timotheo. Modico vino vtere. Bernardus ad monachos. Si tantum nobis placet auctoritas Apoſtoli de bibendo vino, obſecro, ne tradatis obliuioni, quod dicit, modico vino. Aliud eſt, circa fortitudinem vini. Dicitur, in ſententijs, Vinum ſibi temperet, & ſe vino. quanto magis hoc faciendum eſt Religioſis? Aliud eſt circa varietatem vini. Indecens eſt Religioſis non eſſe contentos vno vino, ſed varietates non paucas vinorum in conuiuio velle. Aliud eſt, circa precioſitatem. Non enim eſt viri Religioſi in hauſtu vini precium ponere; vnde multi pauperes poſſent commode ſuſtentari. Vnde

Sobrietatis exemplum *Vitiũ in quantitate.* *1. Tim 5.* *In varietate.* *In precio.*

In tempore. vox illa Sapientiæ 2. Vino precioſo nos impleamus: non eſt bonorum, ſed hominum peſsimorum. Aliud eſt, circa extraordinarias potationes. Si enim & aſini non adaquantur niſi certis horis, quam
In verbis. indecens eſt Religioſo, tota die bibere modo hic, modo ibi? Aliud circa verba. Sunt enim quidam qui per totam interdum menſam loquuntur de vinis, & præſentibus & abſentibus dicentes, hoc eſt tale, illud eſt tale, Oſeæ 7. Super vinum ruminabant. Aliud eſt, circa
In iudicio. ſubtilitatem iudicandi de vinis. Sunt enim quidam, qui ita ſciunt iudicare ſubtiliter de valore vinorum & conditione, quaſi eſſent magiſtri in illa arte.

CAP. LIIII. Multa immodici vini mala in Religioſis.

SCIENDVM quod vinum, ijs, qui ab vtuntur multa mala ſolet facere; quæ ſunt valde contraria Religionis honeſtati. Religioſos enim ſumme decet continentia, propter votum. Vinum autem incitat ad libidinem. Prou. 20. Luxurioſa res eſt vinum. Item, ipſi ſunt in ſocietate, in qua debent habere cor vnum, & animam vnam cum aliis. Vinum autem facit turbas inter homines Eccleſiaſt. 31. Vinum multum potatum irritationem facit. Item, ipſorum eſt laudibus diuinis inſiſtere; hoc autem facit blaſphemare. Glos. ſuper illud. 1. ad Cor. 10. Siue comeditis ſiue bibitis &c. Si vinolentia te ingurgites, quaſcunque laudes lingua ſonet, vita blaſphemat. Ipſorum eſt
Iac. 1. etiam linguam diſciplinatam habere, alioquin, ſecundum Iacobum, vana eſt eorum Religio. Hoc autem facit fatuè loqui 3. Eſdræ. 3. Omnia operta facit loqui. Ipſorum vita debet eſſe in luctu: Vinum incitat ad vanam lætitiam. Ibidem, Omnem, mentem conuertit in ſecuritatem, & non meminit omnem triſtitiam. Ipſorum eſt contemplationi vacare; vinum obſcurat intellectum naturalem: Glos. ſuper illud Prouerb. 23. Cui ſuffoſsio oculorum? ait, Immoderatus hauſtus vini, interioris oculi, & exterioris ingerit cæcitatem. Impedit quoque ſcientiam adquirendam. Ideo dicit Salomon Eccleſ. 2. Vt animum meum transferrem ad ſapientiam, cogitaui à vino abſtrahere carnem meam. Impedit ſimiliter ſcientiam infundendam. Ideo dicitur, Danielis. 10. Trium hebdomadarum diebus, caro, & vinum non introierunt in os meum, ſcilicet, quando adſpirabam ad reuelationem. Saluator etiam legitur dixiſſe diſci-
Luc. 21. pulis, Attendite ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Sed nunquid tenentur omnes profeſsi hanc Regulam domare carnem, quantum poſſunt? Reſpondetur, quod quædam ſunt in Regula quæ potius ſunt incitamenta ad bonum, quam obligatoria per præceptum: hoc vero eſt eiuſmodi.

CAP. LV.

Notandũ vero, quod natura humana, quę valde fortis fuit in prima con-

condi tione ſui, non eſt adeo debilitata, quin multa poſsit in abſtinentijs. Quod patet in abſtinentijs magnis, & longis, quas ſuſtinent inuiti in carceribus, & quas faciunt aliqui pro ſanitate adquirenda vel conſeruanda & quas fecerunt & faciunt adhuc multi ſancti, non ſolum viri, ſed & mulieres fragilioris naturæ. Si enim tanta ſuſtinent inuiti: ſi tanta ſuſtinent aliqui pro corpore: ſi tanta fragilis natura: quantum poſſent homines, ſi eſſent voluntarij: ſi tantum diligerent animas, vt corpora? Profecto, ſi probarent vires ſuas, inueniret ſe plus poſſe, quam credunt. Se probant homines, quantum poſſunt, in proijciendo lapide: quantum in currendo; quantum in luctando, & ſimilibus: in his autem quæ Dei ſunt, non probant vires ſuas. Bern. Ignoſce, ignoſce Domine, diſsimulamus, tergiuerſamur, & in his quę ad te pertinent, vix eſt qui velit experiri, quid poſsit. Dicunt filij Zebedei Matt. 20. poſſumus, ſcilicet bibere calicem paſsionis: & nos nō poſſumus leuem abſtinentiā ſuſtinere? Dicit Paulus ad Phil. 4. Omnia poſſum in eo qui me confortat: & nos, quibus nunquam deeſt diuinum adiutorium, diffidimus nos pauca poſſe? procul dubio poſſumus multa, ſed nolumus. Hier. Non poſſe dicunt eſſe in cauſa, cum non velle ſit in culpa.

Si velimus, multum poſſumus abſtinere.

CAP. LVI.

Cum autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat. Hîc tradit mandatum ieiunij, quoad impotentes, & eſt ſenſus; Cum aliquis non poteſt ieiunare, non tenetur: tamen ne ſolutio ieiunij cedat in diſſolutionē, non comedat, extra horam prandij: niſi forte ſit non ſolum impotens, ſed etiā infirmus. cum infirmis lex non ſit poſita, quin comedant quandocūq; neceſsitas requirit. Eliciuntur autem ex hoc mandato tria. Primū eſt, quod mitius agendū eſt in ieiunijs cum debilibus, quam cum fortibus. Secundum, quod cauenda eſt extraordinaria comeſtio in clauſtro diligenter à Religioſis: cum etiam debilibus eam inhibeat Auguſtinus. Tertium, quod opera pietatis circa infirmos, præferanda ſunt rigori Religionis: cum eorū comeſtio ſub certà lege nō claudatur. Quæritur circa primū, quando Prælato conſtabit de debilitate fratris? ſi verbo ipſius ſtandū eſt, multis poterit eſſe occaſio mentiendi. Reſpondetur, quod quandiu habetur bona opinio de fratre, quod ſit ſeruus Dei, credendum eſt ei de debilitate, quam dicit, ſe habere: ſi vero præſumptiones malæ habentur de eo, non oportet ſemper credere eius verbo, niſi conſtet per alia argumenta. Quid fiet de illis qui non dicunt debilitatem ſuam? Reſpondetur quod pij Prælati eſt cognoſcere vultum pecoris ſui, vtrum macilentum ſit an pingue, & eſſe ſolicitum non ſolum de anima

Quatenus fratris debilitati credere debet Superior.

ſed etiam de corpore ipſius. Debet etiam fratribus iniungere, vt ſint ſoliciti inuicem aduertere, ſi frater aliquis aliquam neceſsitatem patiatur, & eam ſibi charitatiue indicare, & illorum maxime, qui præ humilitate, & verecundia, ſolent tacere. Quæritur vtrum Prælatus poſsit diſpenſare in ieiunijs Eccleſiæ? Reſpondetur, quantum puto, non poſſe: ſed cum ſit credendum, quod Eccleſia nunquam intendit obligare ad ieiunia impotentes, poteſt iudicare de impotentia ſubditorum, quæ oritur vel ratione iuuentutis; vel ſenectutis; vel complexionis, vel ſimiliũ, & eius declarationem poſſunt ſubditi, cum bona conſcientia, tenere.

Superior non diſpenſat, ſed iudicat in Eccleſiæ ieiunijs

CAP LVII. Extra horas debitas, ne parnis quidem rebus veſcendũ.

CIRCA ſecundum, nota de ijs, qui extra horam prandij comedunt, quales ſunt qui fructus quoſcunque & ſimilia comederent extra menſam, quod eſt cauendum valde viris ſanctis, nec modicum reputandum. Nonne totus mundus damnatus eſt, propter huiuſmodi comeſtionem primorum parentum? Nonne monialis tranſiens per hortum, & comedens lactucam; cum lactuca comedit diabolum, ſicut refert Gregorius in dialogo? Item, Religioſi multum debent reſiſtere tentationi comeſtionis huiuſmodi. Exemplum in vitis patrũ de quodam, qui cum fuiſſet tentatus de comedendo cucumere in horto, ſuſpendit illũ in cella ante oculos, & ſic aſpectu illius ſe cruciabat. Item, quidam Archiepiſcopus, vir magnæ honeſtatis, cum eſſet in menſa, & apportatę fuiſſent ei ficus, quas multum diligebat, accepit vnam volens eam comedere, ante benedictionem, ex obliuione. Cum autem hoc aduertiſſet, depoſuit eam, & dixit gulæ ſuæ. ſoror gula, tu nimis feſtinabas, & ideo dabis has pęnas, vt hodie non comedas ficus: atque ita ex ficubus coram ſe poſitis non comedit.

Exempla tria.

Bona communis menſæ, & mala priuatæ.

Item, qui extra horam comedunt, fugientes communem refectionem fratrum, captant certam horam, vel locum alium, vt aliquid melius habeant. Contra vero viri Religioſi dant operam, vt ſemper comedant cum cõuentu: & hoc vt paſcantur non ſolum corpore, ſed & ſpiritu ex lectione. Vnde infra, *nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures verbum Dei eſuriant.* Item, vt vitent diſſolutiones, quæ ſolent accidere in huiuſmodi, maxime in verbis. propter quæ legitur punitus diues, Lucæ 16. in lingua, vt refrigeret inquit linguam meam. Glos. inter conuiuia, ſicut mos eſt, loquacitati ſtuduit. Item, ne fructum perdant, qui ſequitur ex moderata refectione: de qua Chryſoſt. Nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur; nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio. Huiuſmodi autẽ moderamen, melius ſeruatur in conuentu, quam extra. Item, vt certiores ſint de ſocietate Chriſti. Cum enim Chriſtus ſit vbicunq; duo, vel

vel tres congregati ſunt in nomine eius, Matt. 18. certius eſt ipſum eſſe vbi plures ſunt, & magis ſpecialiter propter ipſum congregati. Item, propter meliorem ſequelam huius refectionis: hanc enim refe-fectionem ſequuntur gratiarum actiones, viſitatio Eccleſię, orationes ſecretæ, meditationes ſanctæ, officiū mortuorum, & ſimilia. Illā autē, locutiones, potationes, & aliæ diſſolutiones, more illorū de quib' dicitur, Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Item, propter ſcandalum vitandum fratrum. Sicut enim ſequentes conuentum, multis ſunt exemplo in bonum: ita comeſtiones extraordinarie, multis ſunt occaſioni iudiciorum multorum, murmuris, & turbationis, quæ ſunt valde timenda, 1. Corint. 8. Si eſca mea ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternū. Propter hæc igitur & alia quædam non ſunt talia cōuiuia extraordinaria ſectanda. Oſeæ. 4. Quaſi vacca laſciuens declinauit Iſrael, quæ ſcilicet ſeparat ſe alijs in paſcuis. & poſt. Dimitte eum, quia ſeparatum eſt conuiuium eius. Sed nunquid nouitij, & alij debiles, qui comedunt ante horam prandij transgrediuntur hoc mandatum? Reſpondetur, nequaquam. dummodo comedant hora, & loco ſtatutis à maioribus: quod enim ſecundum ſtatutum fit, hora debita reputatur. Item, nunquid qui medicinalibus vtitur, vel bibit extra horam prandij, transgreditur hoc mandatum? Reſpondetur, nequaquam. quod patet ex hoc, quod dicit. *alimentorum*, Medicinalia enim & potus, licet interdum nutriant, tamen ſimpliciter non vocantur aiimenta. Nota etiam quod Religioſi non debent os aperire ad cibum ſicut beſtiæ, quæ non obſeruant vices, locum & tempus. Et ideo ad maiorem gulæ refrenationem ſtatutum eſt apud eos, vt non comedant, vel bibant niſi ſedendo, & præcedente benedictione, & apud multos vt duabus manibus bibant.

Quod lege fit, extra horam non fit.

Medicamenta extra horam ſumi poſſunt.

Auiditas & indecentia vitāda.

CAP. LVIII. Pro lenitate et obſequio in ægrotos.

CIRCA tertium nota, quod quidam prætextu Religionis exercent quaſdam auctoritates circa infirmos, in cibis, in ſilentijs & alijs huiusmodi: præferentes huiuſmodi auctoritatem operibus pietatis, & in hoc putantes ſe eſſe Religioſos. Hæc eſt Religio Phariſæorum, maledicta à Domino Matth. 23. Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi, qui decimatis mentam, & anetum, & relinquitis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, miſericordiam &c. hæc non eſt Religio, quam Iacobus definit, dicens. 1. ca. Religio munda & immaculata apud Deum, & patrem, hæc eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: eadem quoque ratione in viſitatione infirmorum. Dicitur in vitis Patrum, quod fuerunt duo fratres, quorum vnus multum ieiunabat, alter deuote ſeruiebat infirmis. Quæſitum autem fuit

à quodam ſene vter eorum eſſet maioris meriti? & dixit ſenex. Si frater ille ieiunans appendat ſe per nares, non poteſt peruenire ad menſurã illius qui ſeruit infirmis. Mandat Dñs Lucæ 6. vt ſimus miſericordes, ſicut & Pater noſter cæleſtis miſericors eſt, ſed miſerationes ei⁹ ſunt ſuper omnia opera eius, ergo & in homine præualeat miſericordia, ſuper opera eius. Non eſt autem maior miſericordia, quam quę exercetur circa infirmos. ibi enim paſcitur eſuriens, potatur ſitiens, veſtis nudo paratur, lect⁹ fatigato, extraneo ſubuenitur circa hoſpitalitatem, viſitatur ligatus vinculis infirmitatis, & tandem exhibentur mortuo officia humanitatis. Et ſic in hoc opere miſericordiæ, omnia opera adimplentur. Præterea, in operibus rigoris Religionis, ſeruitur quandoque Deo, in vno ſenſu, vel membro, vt in abſtinẽtia, in guſtu: in vigilijs, in viſu: in aſpero veſtitu, in tactu: in ſilentio, in lingua: in clauſura, in pedibus. In opere vero pietatis circa infirmos ſeruit ei oculus, vigilando, & interdum horrida videndo: olfactus, fetores ſentiendo: auditus, dura audiendo interdum ab ipſo infirmo: tactus, infirmum tractando: guſtus, propter eos comeſtionem dimittendo: lingua, eos conſolando: pes, pro eis diſcurrendo: immo & totum corpus pro eis diuerſimode adhibendo. Quæ ergo Religio poterit huic comparari, in qua ſic homo ſe ipſum religat, vt Deo, ex toto, ſeruiat in proximo? Huius Religionis ſectandæ dedit nobis exemplum Dominus, qui tam benignum ſe exhibuit infirmis, eos viſitando, dulciter alloquendo, frequenter ſanando: qui Apoſtolos mittendo, de eis inungendis, & ſanandis mandauit.

Pſal. 144.

IN CAP. VII. REGVLÆ VGO.

CAP. IIII. De refectione vtriuſque hominis.

De iis, quorum animus totus in patinis.

CVM accedítis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis, ſecundum conſuetudinem, legitur, ſine tumultu & contentionibus audite; nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbũ. Illi eſuriunt Dei verbũ, qui deſiderant audire. Multi ſacram lectionẽ audiunt, qui tamen ab ipſa lectione vacui recedunt, nullum ibi affectum habent, nullũ ſaporem ſentiunt. Quicquid audiunt, facile amittunt. Iudicium eſt illis audire quod audiunt. Contra vero ſcriptum eſt, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur: ideo ſaturabuntur, quia prius eſurierunt. eſuriẽdo enim homo efficitur, vt poſtmodum ſatietur. Primum ergo præpara-

Mat. 5.

parare debemus cor noſtrum ad eſuriendum, & deſiderandum verbum Dei.aderit diuina gratia, quæ nos intus perfundat,& dulcedine atq; ſapore ſpirituali reficiat,& delectet nos cantare, Quā dulcia faucibus meis eloquia tua Dñe, ſuper mel ori meo: &, Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Non ſolum debemus eſſe participes menſæ corporalis, ſed ſpiritualis; nec tantum ſumere cibum corporis, ſed animæ. Et quanto melior eſt anima, quam corpus, tanto amplius nos delectare debent alimenta animæ, quam corporis. Quoties nobis diuina ſcriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia eſca ſpiritualis eſt, quæ à Deo nobis mittitur ad reficienda corda noſtra, ne deficiamus in via, & ad roborandos nos contra tentationes diaboli & pericula huius ſeculi. Talem cibum nos oportet inceſſanter eſurire, atque in mente iugiter retinere: vt poſsimus dicere cum Propheta. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Qui in corde ſuo ſacrum eloquium abſcondit, vitalis ei cibus animæ eſt: qui à morte, id eſt à peccato animæ defendit, & inſuper ad vitam æternam perducit.

Lectio menſæ perutilis.

Pſalm. 118.

Ibidem.

Ibidem.

VMBERTVS.

CAP. LVIII.

CVM acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis, ſecundum conſuetudinem, legitur, ſine tumultu & contentione audite: nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei. Hîc ponit mandatum quod pertinet tam ad impotentes, quam ad potentes. Nota quod in Concilio Toletano ſtatutum fuit, vt in conuiuio ſacerdotali ſemper habeatur lectio de ſcripturis diuinis diſt. 44. c. pro reuerentia. Huius autem ſtatuti triplex poteſt eſſe cauſa. Prima, vt ibi non ſolum homo exterior, ſed etiam interior paſceretur verbo Dei. Contra vero dicitur, Iob. 24. de iniquo, Paſcit ſterilem, quæ non parit, ſcilicet carnem: & viduæ non benefacit, ſcilicet animæ, quæ, in præſenti, ſolatio viri ſui, ſcilicet Chriſti, caret. Secunda, vt anima intenta diuinæ lectioni, & per hoc, retracta à delectatione ciborum, per hoc, magis peccata caueat, quæ ex huiuſmodi delectationibus naſci ſolent. Contra vero in epiſtola Iudæ, de quibuſdam dicitur, Animales, ſpiritum non habentes. quia ſicut animalia, quæ ſunt ſine ratione, ex tota concupiſcentia effundunt ſe ſuper eſcam, ita & ipſi. Vnde de ipſis præmittitur in eadem epiſtola, Hi ſunt, in epulis ſuis, maculæ conuiuantes ſine timore. Tertia, vt per hoc euitentur nociua verba, quæ ſolent in conuiuijs oriri,

Lectio menſæ, plane Religioſa.

Tres cauſæ lectionis menſæ.

pro-

propter quę diues legitur punitus in lingua. Hieronymus, Cōuiuia, tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis abſentium nulla vita mordetur, nullus ex illuſione reprehenditur, nec in eis negotiorum ſecularium inanes fabulę audiuntur. Huiuſmodi ſtatutū olim ſeruatum fuit, cum clerici ſimul comedebant, & adhuc ſeruatur, apud aliquos, qui ſic comedunt. Sed quia pauci ſunt tales, apud omnes fere exoleuit. A Religioſis hoc perfectius eſt obſeruandum. Epiſcopi interdum lectionem habent in parte conuiuij, ſed Religioſi debent habere per totum. Ideo dicit Auguſtinus, *donec vnde ſurgatis*. Item, apud eos tantus tumultus eſt, quod lectio vix poteſt audiri, ſed apud Religioſos ſeruatur ſilentium, vt lectio quietius audiatur. Et ideo dicit, *nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei.* Et nota, quod vbi ſunt viri ſpirituales, & maxime Religioſi in aliquo conuiuio, vbi non eſt lectio, conuenit eos ſemper aliqua ædificatoria dicere ante finem conuiuij, vt nunquam cibus carnalis ſit abſque ſpirituali. Hinc eſt quod candelabrum, quod ſignificat lumen ſcripturæ, erat in menſa panum in tabernaculo, & in templo: & tabulæ teſtamenti erant in arca cum manna. Heb. 9. Hinc eſt, quod Gulielmus Epiſcopus Pariſienſis, in menſa ſua, verbis ædificatorijs ſolebat affluere: & dicebat, ſe nolle alium lectorem, in menſa ſua. Huiuſmodi exemplum reliquit nobis ſaluator, qui, ex quo prędicare cœpit, non legitur in cōuiuio fuiſſe, in quo nō dixerit aliqua ædificatoria. Nam comedit cum Phariſæo, & ibi dixit, Simon habeo aliquid tibi dicere, Lucæ 7. Item, fecit Leui ei conuiuium in domo ſua, & Phariſæis murmurantibus, quia cum peccatoribus manducabat, dixit. Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus, Matth. 9. Item intrauit in domum cuiuſdam principis manducare panem: & intendens, quomodo primos accubitus eligerent inuitati, dixit ad eos, Cum inuitatus fueris ad nuptias non recumbas in primo loco, Luc. 14. Item, comedit cum Zachæo, & ibi dixit, Hodie huic domui ſalus facta eſt, Lucæ 19. Item, facta eſt ei cœna in Bethania, & ibi orta murmuratione, de vnguenti effuſione ſuper eum, multa dixit ædificatoria in excuſationem & laudem Mariæ, Ioan. 12. Item, cœnauit cum diſcipulis, & ibi multa dixit ædificatoria. Luc. 22. & Ioan. 13 Item, poſt reſurrectionē, comedit cum diſcipulis offerentibus ei partem piſcis aſsi, & fauum mellis, & dixit eis, Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum vobis. Lucæ vlt. Item, in die aſcenſionis, conueſcens, præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, &cet. Actorum. 1.

Qualis lectio menſæ apud Religioſos.

Vbi non eſt lectio ſit ſermo bonus.

Exemplum.

Chriſti ſermo bonus in mēſis.

In Cap. VIII. Regvlæ Vgo.

QVI infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos aliqua conſuetudo fecit eſſe fortiores. Ac ſi aperte dicat: fortiores non debent contriſtari, ſi infirmos vident miſericordius tractari; immo quia fortiores ſunt, in ſe debent abſtinentiæ ſeruare rigorem, & aliorũ imbellicitatem æquanimiter portare per cõpaſsionem. *Nec illos ditiores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.* Melius eſt enim abſtinere, quam plus ſumere. Nam illud eſt virtutis, hoc infirmitatis. Gratulari quiſque ſibi debet, qui dono gratiæ diuinæ tam ſanus eſt, & validus, vt poſsit ſibi ſufficere communis aliorum cibus, & potus: qui nihil delicatum quærit nihil ſuperfluum. quanto enim quiſque minus appetit, quanto arctius viuit: tanto beatior exiſtit. Arcta enim & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam. Gaudeat igitur qui poteſt parce viuere, propter Chriſtum. Parca enim vita occidit vitia, libidinem extinguit: virtutes nutrit: animum roborat: mentem ad cœleſtia ſubleuat. *Et, ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorumue datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus non datur, &c. vſque non potuerunt.* Quare hoc debent cogitare? ſcilicet, vt ex ratione cognoſcant, quia iuſtum eſt, vt hi qui plus deſcenderint, plus accipiant. Et, cum hoc iuſtum eſſe cognouerint, non velint omnes accipere, quod paucos vident accipere. Tolerandi enim ſunt qui minus poſſunt. Et hoc eſt quod ſubiungit. *Nec debent omnes velle, quod paucos viderint amplius accipere: non quia honorantur, ſed quia tolerantur: ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi quantum poſſunt fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati.* Valde quippe deteſtabile eſt, vt ibi fiat pauper delicatus, vbi fieri appetit diues laborioſus, id eſt abſtinens. Quod tamen ſæpe videmus fieri in pluribus, vel contingere. Multi enim, quanto nobiliores, & delicatiores fuerint in ſæculo, tanto poſtmodũ abiectius, & diſtrictius viuunt in monaſterio. Et plerique, quanto abiectiores & pauperiores fuerunt: tanto plus deinde in monaſterio extollentiam, & delicatam vitam quærunt. Sed, ſicut diximus, valde deteſtabile & peruerſum eſt ibi pauperem delitias quærere, vbi diues, pro amore Dei, abſti-

Religioſus paucis contentus ſit.

Matth. 7.

Delitiæ Religioſo deteſtabiles ſunt.

nendo nititur laborare. Ille ſeruit ventri: iſte ſpiritui: ille per latam, & ſpacioſam viam tendit ad pœnam: iſte per arctam, & anguſtam viam, tendit ad gloriam.

CAP. V. De infirmis procurandis. *Sane, quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur, ita & poſt ægritudinem, ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur, etiamſi de humillima ſeculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo.* Sed quædam ægritudines ſunt, in quibus, ſi cibus ſumitur, non iuuant ſed grauant: & tunc neceſſe habent ægrotantes minus accipere, ne grauentur. expoſita autem ægritudine, ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur. Et in hac recreatione fratrum, non debet eſſe acceptio perſonarum: non debet contemni humillima paupertas, in his quæ poſtulat humana neceſsitas: cũ hoc eis tribuat recens ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. *Miſericordia neceſſaria. Mat. 5.* Qui enim miſericors eſt in alium, Deus, miſericors eſt in illum. Vnde ipſe ait, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beatus quoq; Ioannes dicit. *1. Ioan. 3.* Qui viderit fratrem ſuum neceſsitatẽ habere, & clauſerit ab illo viſcera ſua, quomodo charitas Dei manet in eo? Si ergo Charitatẽ Dei volumus habere, debemus in fratribus noſtris miſericordiæ opera exercere. Quod cum agimus, procul dubio ei ſeruimus, qui electis ſuis dicturus eſt in iudicio, *Matth. 25.* Infirmus fui & viſitaſtis me: eſuriui, & dediſtis mihi manducare, & cetera his ſimilia. Quibus merces inde impenditur, cum dicitur, Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Cum ergo fratribus noſtris propter Deum ſeruimus, ipſum regnum cælorum requirimus. Et ſi opera ſunt tranſitoria, merces tamen manet æterna. *Sed cum vires priſtinas repararuerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam.* Felix conſuetudo eſt, carnalia deſideria, quæ militantant aduerſus animam, abſcindere: Felix conſuetudo, corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere. *Quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent. nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſsitas leuarat infirmos.* *Cauenda gula.* Ad leuandam infirmitatem, neceſſarium eſt carnis curam agere: quæ videlicet caro, poſtquam vegetata fuerit, oportet eandem curam carnis reſecare; ne famulos Dei teneat cibi voluptas: nec ſeruiant gulæ, qui debent animę deſeruire. Quanto minus indigent: tanto amplius decet, ne cibi eos voluptas teneat: ne gulæ initiũ, animæ virtutes tollat. Nullus palmã ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo prius, per afflictam ventris concupiſcentiam, carnis incentiua deuicerit. Neq; per conflictum ſpiritualis certaminis aſſurgitur, ſi non prius inter noſmetipſos hoſtis poſitus gulæ videlicet appetitus

titus edomatur. quia ſi nō prius ea quæ nobis viciniora ſunt proſternimus, inaniter ad ea quæ ſunt impugnanda tranſim⁹. Multi ordinē certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & ad ſpiritualia bella conſurgunt. Qui etiam aliquando multa, quæ magnæ fortitudinis ſunt, faciunt. Sed dominante gulæ vitio per carnis illecebram, omnia quæ fortiter egerunt perdunt; &, dum venter non reſtringitur; per carnis concupiſcentiam, ſimul vitæ virtutes obruuntur. Hoc ſignat, quod muros Hieruſalem princeps cocorum deſtruxit. quia virtutes animæ, dum non reſtringitur venter, pereunt. Ex Ægypto populus adductus, in Eremo occubuit: quia deſpecto manna, cibos carnium petijt. Primogenitorum gloriam Eſau amiſit, quia magno æſtu deſiderij, vilem cibum, ideſt lenticulam, concupiuit. Neque enim cibus, ſed appetitus in vitio eſt. Vnde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abiectiores non ſine reatu conſcientię deguſtamus. Ea itaque ſumenda ſunt, quæ naturæ neceſsitas quærit, & non ea quæ edendi libido ſuggerit. *Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores.* Ex fortitudine parcitatis, deprimuntur vitia carnis: ex mortificatione vitiorum, procedit pullulatio virtutum. Ipſæ ſunt veræ diuitiæ, quibus ditantur animæ continentium. Vnde & ſubditur. *Melius eſt minus egere, quam plus habere.* Melius eſt aliquid egeſtatis, propter Dominum, ſuſtinere, quam ſuperabundanter habere. Nam egeſtas, quæ propter Dominum eſt, generat humilitatē, quæ eſt initium omniū bonorum. Abundantia vero, parit ſuperbiam, quæ eſt initium omnium malorum. Seruus ergo Dei, vt voluntatem, atque appetitum carnis poſsit reprimere, ſemper debet ad minus tendere, vt ipſorum alimentorum & veſtimentorum minus velit habere, etiam quam neceſſe ſit. Adiutorem quippe habemus internæ intentionis hunc hominem, quem exterius geſtamus: etſi ipſi inſunt motus laſciuiæ, ipſi tamen etiam affectus ſuppetunt operationis bonæ. Vnde neceſſe eſt vt interior homo noſter, æquus quidam arbiter præſideat inter ſe, & eum, quem exterius geſtat: quatenus ei homo ſuus exterior, & ſemper ad debitum miniſterium ſeruire ſufficiat, & nunquam ſuperbiæ libera ceruice contradicat.

4. Reg 25. *Exod. 16.* *Gen. 25.* *Egere ſatius eſt, quam abūdare.* *Conſcientia ſit iudex neceſsitatis.*

VMBERTVS.

QVI infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri, eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Traditis mādatis circa CAP. LX.

 duo

duo, quæ pertinent ad duas partes pœnitentiæ. tradit hic circa quædam, quæ pertinent ad tertiam, quæ eſt circa opera miſericordiæ. Quia vero non eſt eius intentio, tradere circa hæc omnia plenarie: ſed ſolum quæ, vt plurimum, Religioſis ſunt magis neceſſaria: tradit hic mandata, circa abuſus, qui apud eos oriri ſolent circa commiſerationem, quæ fit vel circa ægrotos, vt hic: vel circa delicatos: ibi. *Etſi eis, qui venerunt &c.*: vel circa recreandos poſt infirmitatem, ibi. *Quemadmodum autem ægrotantes.* Et nota, quod aliqui ſolent moleſte ferre, quoad voluntatem: & iniuſtum reputant, quoad rationem, quando quibusdam valetudinarijs fit aliqua miſericordia in victu. Contra quem abuſum ponit hic mandatum. Item, ſolent iſti reputare, tales eſſe melioris conditionis: &, contra hunc abuſum, ponit aliud mandatum, dicens. *Nec illos feliciores putent.* Circa primum nota, quod infirmi ex priſtina conſuetudine, dicuntur illi, qui

Valetudinarij ſingulariter curandi.

frequenter ſolent ægrotare. Iſtis autem ſiue actu ægrotent, ſiue non, eſt facienda aliqua miſericordia in victu, modo in valetudinario, modo in hoſpitio, interdum etiam in conuentu: dummodo eorum infirmitas ſit manifeſta: & hoc eſt aliter tractare in victu. Quod autem ſic faciendum ſit patet: Dominus enim aliter tractauit in victu humanam naturam in ſtatu firmitatis: aliter in ſtatu infirmitatis. In primo enim ſtatu, conceſsit ei victum fructus arboris tantum. In ſecundo vero, conceſsit panem, & herbas, & carnes, poſt diluuium. Præterea, Ars medicinæ hoc præcipit: ipſa autem ordinata eſt à Deo.

Rom. 13.

ergo qui huic reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Item, nonne Apoſtolus præcepit Timotheo, vt vteretur vino, propter frequentes infir-

1. Tim. 5.

mitates? quod non legitur alijs præcepiſſe, qui non habebant huiuſmodi infirmitates: porro qui hoc moleſte ferunt, infirmantur de

Contra improbantes ſingularem valetudinariorũ curam.

aliorum medicina. Item, ſunt deteriores Iuda. qui murmurauit. in effuſione vnguenti, ſuper Chriſtum ſanum. Ipſi autem murmurant de effuſione miſericordiæ, ſuper ipſum infirmum. Item, magnæ immiſericordiæ eſt non facere miſericordiam: maioris eſt eam non diligere; ſed maximæ eam non ferre. quantæ ergo immiſericordiæ ſunt homines, qui etiam factam ab alijs moleſte ferunt? Sunt autem, quod grauius eſt, quidam, qui hoc iniuſtum iudicant, æſtimantes, quod quia omnia communia ſunt inter fratres, omnia debent diuidi æqualiter. quod ſi verum eſt, ergo iniuſte feciſſent Apoſtoli, quod diuidebant communia, ſicut cuique opus erat. Item, eadem ratione omnis homo ageret iniuſte, qui maiorem curam haberet membri infirmi, quam ſani, & magis expenderet pro eo. Item, ſecundum hoc, iniuſte ageret pater familias, partem domus debiliorem reficiendo.

quæ omnia, quia falſa ſunt, patet quod hoc non debet iniuſtum videri.

Nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi: ſed potius ſibi gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Hîc ponit mandatum ſecundum, circa abuſum ſecundum. Vbi nota, quod infirmi, licet plus ſumant, non ſunt feliciores reputandi, quam ſani. Primo, quia maiorẽ habent indigentiam, quod non eſt felicitatis, ſed miſeriæ. Secundo, quia frequenter, quod ſumunt, cum magna verecundia ſumunt, & anguſtia. Tertio, quia illa, quæ ſumunt, licet meliora, non eos tantum delectant, vt ſanos minus bona. Quarto, quia, cùm his omnibus, habent multas affectiones, quæ eos vexant. Quinto, quia priuantur multis conſolationibus ſpiritualibus, quas habẽnt ſani, in lectionibus, in officijs Eccleſiæ, in ſtudijs, & huiusmodi. Sexto, quia oportet eos, etiam inuitos, alios, in multis portare, vt ipſi portentur: quæ omnia potius habent miſeriam, quàm felicitatem. Porro qui ſani ſunt & fortiores in Religione, habent multam materiam gaudendi in Domino, & ei gratias agendi. Status enim infirmitatis, eſt multis occaſio murmuris & impatientiæ, & acediæ, & aliorum peccatorum, à quibus ſani, ſunt liberi. Item, ſun tliberi à multa ſeruitute, qua ſunt infirmi ſubiecti Prælatis, & officialibus, occaſione ſuæ neceſsitatis. Item, libentius in omni conuentu habentur, & quæruntur. Item, onera ordinis ſunt eis leuiora. Item, habent vnde plus lucrari poſsint in meritis, quanto potentiores ſunt ad plura. Item, iucundiorem, & in pluribus conſolationibus, & ſine tædio, vitam ducunt. per quæ patet ratio huius mandati. CAP. LXI. *Miſeriæ valetudinariorum.*

Et, ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorumue datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus, non datur; cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſeculari uita, illi ad iſtam deſcenderint, quamuis uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem nequiuerint. Duo ſunt abuſus, qui contingunt interdum occaſione miſericordiæ, quæ fit delicatis, apud alios, quibus hæc non fiunt. Vnus eſt, quia non conſiderant rationem huius, & contra hunc ponitur iſtud mandatum, Secundus, quia volunt idem fieri ſibi, contra quem ponitur ſequens mandatum, *nec debent velle.* Circa primum nota, quod in Religione eſt facienda aliqua miſericordia illis, qui fuerunt in ſeculo delicati. Primo, ne, ex nimia duricia, pedem referant, vel ſe ingreſſos pæniteat. Secundo, ne infirmitatem incurrentes, perpetuo ſibi, & alijs graues fiant. Tertio, vt iucũdius Domino ſeruiant. Quarto, ne ſeculares hoc audientes, Religionẽ horreant, Quinto, ne in Re- CAP. LXII. *In Religione habenda ratio delicatiorum.*

ligione, omnibus odibilis ruſticitas, inueniatur. Sexto, ne Religio irrationabilior ſit natura, quæ homini nobiliori, & teneriori delicatióra miniſtrat. Septimo, ne carcer Domini, crudelior ſit carcere tyrannorum. Quis enim tyrrannus, vel etiam Saracenus, nobilibus, & delicatis incarceratis apud ſe, non facit maiorem miſericordiam, quam alijs? Octauo, vt ex hoc ad meliora prouocentur. Nobilis enim animus magis prouocatur ad bonum per miſericordiam, & gratiam, quã per duritiam. Sed ſciendum, quod quædam ſunt gratiæ, quæ vergunt in diſſolutioné, vt eſt nimia libertas loquẽdi: quędã in periculũ, vt eſt nimia frequẽtatio propinquorũ, & ſimilia, quę nõ ſunt neceſsitatis. Quia vero, circa iſta, nõ expedit fieri miſericordiã, ſicut circa illa, quę ſunt neceſsitatis, ideo nominat tria, circa quę fit miſericordia, ſcilicet alimenta veſtimenta, operiméta; quę etiam ſunt neceſsitatis. Circa iſta vero cauendũ eſt ab exceſſu nimio. Primo, ne Religio pereat. Secundo, ne alij iuſte ſcandalizentur. Tertio, vt ipſi, quibus fit miſericordia, ab exceſſu ſeculari, per medium temperantiæ, paulatim tranſeant ad Religionis frugalitatem. Et ideo notabiliter dicit, aliquid alimentorum; quod ſonat modicum. Attendendum, quod interdũ ſolent aliqui ſubditi murmurare contra facientes miſericordiam, cũ neſciant cauſam facti. Ideo dicit, pater familias Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere? Solent etiam quandoque ſcandalizari, contra recipientes, cum neſciant neceſsitates eorum: ideo Dominus Phariſæis ſcandalizatis contra diſcipulos confricantes ſpicas in ſabbato, reſpondendo oſtendit eorum neceſsitatem: ſicut Dauid ſimili neceſsitate comedit panes quos non licebat Matt. 12. Solent iterum quandoque ſe præferre alijs in corde ſuo, cum ipſi non vtantur talibus. Sed comparatio ſtatus ad ſtatum in ſeculo, tollit huiuſmodi ſuperbiam. Exemplum in vitis patrum de monacho Ægyptio duræ vitæ, qui fuerat ruſticus in ſeculo; qui cum viſitaſſet Arſenium, qui delicatius viuebat, primo ſcandalizatus in eo, cum intellexiſſet quãtum fuerat in ſeculo delicatus, dixit, Væ mihi, quia tu de delitijs veniſti ad duram vitam, ego autem de dura vita veni ad delitias. Bene ergo dicit, *cogitare debent quibus non datur &c.* vt videlicet cogitantes rationem facti, contra facientes huiuſmodi miſericordiam non murmurent: attendentes vero neceſsitatem recipientium, non ſcandalizentur: ſuum vero ſtatum ſecularem, illorum ſtatui comparantes, illis ſe in Religione non præferant.

In quibus rebus nulla ratio habenda.

Exceſſus in traſtando cauendus.

Tractatio quorundam ſingularis ferenda.

Exemplum.

CAP. LXIII.

Nec debent velle omnes, quod paucos viderint amplius: non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere: ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi quantum poſſunt fiunt diuites laborioſi, fiant pau-

peres delicati. Hic tradit mandatum circa abuſum ſecundum, dicens duo. Vnum, in quo eſt ſubſtantia mandati, cum addit. *ne contingat.* Et nota quod non dicit: *non velint omnes &c cet.* quia tanquam prudens, in ſuis mandatis declinat pericula. Quod autem pertinet ad recreationem carnis, valde eſt difficile: & ideo vt non inijciat laqueũ ad peccandum: non dicit, *non velint.* Dicit autem, *non debent velle,* vt magis moueantur ad hoc quod dicit. plus enim mouere ſolet ratio inſerta in mandato, quam ſolum mandatum. hoc per ſe eſt debitum & rationabile. Et vero non debent omnes velle accipere, quod vident non multos ſed paucos accipere. quia diſpenſatio quæ ſolet fieri paucis, nō eſt redigenda in ius commune. Sed heu, hęc non cohibēt quosdā, qui in ſeculo in tenui ſtatu fuerunt, quin in Religione velint viuere, delicate. vbi, qui magni fuerunt in ſeculo, aſperis ſunt contenti. Dicitur Danielis 1. quod ipſe, & ſocij eius, qui erant de genere regio, in curia regis, contemptis cibis regijs, & vino, de quo ipſe bibebat: contenti erant leguminibus, & aqua. Et iſti de genere ruſticano, contemptis vilibus, volunt nutriri cibis & vino regalibus, in domo Chriſti? Item, dicitur, Eſaiæ 11. Leo, quaſi bos, comedet paleas: quod eſt dictum de tempore aduentus Chriſti. Et ſecundum Hieronymum, ad litteram nunquam impletum eſt, vel implebitur: ſed ideo dicitur, quia nobiles, ſicut leo, in illo tempore, ſic humiliati ſunt, vt eſſent contenti cibis ruſticanis, ſicut bos, per quem, ruſticus deſignatur. Sed nota, quod vir Dei, ſpiritu plenus, vocat hanc culpam, non ſolum peruerſitatem, ſed peruerſitatem deteſtandam, & bene. Sunt enim tria, quæ Dominus ſpecialiter deteſtatur. Primum eſt, ſuperbia. Vnde Amos 6. Deteſtor ego ſuperbiam Iacob. Secundum eſt, crudelitas. Prou. 8. Labia mea deteſtabuntur impium, ideſt illum qui eſt ſine pietate. Tertium eſt, ſeminatio diſcordiæ inter fratres. Prouerb. 6. Et ſeptimum deteſtatur anima eius illum, ſcilicet, qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Sane nō eſt ſine ſuperbia nec ſine crudelitate incōpaſsionis, nec ſine occaſione diſcordię inter fratres, cum pauperes volunt ęquari illis, qui fuerunt diuites, in recreationibus. Et ideo vere eſt huiuſmodi peruerſitas deteſtanda.

Contra volentes delicate tractari.

Sane, quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur; ita, poſt ægritudinem, ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur, etiamſi de humillima paupertate uenerint: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. CAP. LXIIII.

Traditis mandatis circa abuſum, qui ſolet oriri circa miſericordiam, quæ fit infirmis vel delicatis; tradit hic mandata, circa ea quæ oriuntur, circa recreandos poſt infirmitatem, quę ſunt duo, vnum ex parte.

Prælatorum

Prælatorum, quando quæ debent, non faciunt. Aliud circa recipientes, cum conceſsis abutuntur. Circa primum ponit hic mandatum: circa ſecundum, infra, cum dicit, *ſed cum vires &c.* Nota ex prædictis, quod hactenus ſunt mandata tradita contra abuſus videntium miſericordiam fieri. Hic autem contra abuſum facientium. in ſequenti vero clauſula, circa abuſum recipientium. Nota autem hic primo, circa illud, quod dicit, *minus accipere, ne grauentur.* quod exceſſus in quantitate cibi, vel potus grauat, quoad corpus, quoad animam, & quoad famam. quoad corpus, quia aufert quietem ſomni. Eccleſ. 3. Saturitas diuitis non ſinit eum dormire. Item, generat infirmitatem, quia ſecundum Senecam, multa fercula, multos morbos fecerunt. Eccleſ. 37. In multis eſcis, erit infirmitas. Item, addit graues dolores. Iob. 20. Cum ſatiatus fuerit, arctabitur: & omnis dolor irruet ſuper eum. de his tribus habetur. Eccleſ. 31. vbi dicitur, Vigilia, & cholera, & tortura, viro infrunito: ideſt homini qui eſt ſine frugalitate, quæ eſt parcitas in victu. Si autem hæc facit huiuſmodi exceſsus, etiam in ſano, quanto magis in infirmo? Item, grauat quoad animam: quia obtundit aciem cordis, ſicut dicitur, in libro collationum. Hieron. Nihil adeo obſtruit intelligentiam, ſicut commeſſatio, & ebrietas. E contra dicitur, Danielis 1. quod pueris abſtinentibus data eſt amplior intelligentia. Item, confundit memoriam, vt non recordetur agendorum; Oſeæ 13. Saturati, obliti mei. Item, incitat carnalem concupiſcentiam. Hieremiæ 5. Saturaui eos, & mœchati ſunt. Propter hæc omnia dixit Dominus diſcipulis Lucæ 21. Attendite ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Item, grauat quoad famam. Dicuntur enim iſti ſimiles Sodomitis, de quibus dicitur, Ezechiel. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis. Et nota, ſicut tangitur in libro collat. dicitur panis, quia ſaturitas, etiam in cibis vilibus eſt cauenda. Item, ſolent dici canes, qui tantum comedunt, vt oporteat eos vomere. Eſaiæ. 56. Canes impudentiſsimi, neſcierunt ſaturitatem. Ad hæc cauenda inſtruit nos natura: quæ dedit homini minus os, ſecundum ſui corporis quantitatem, quam alijs animalibus. Inſtruit etiam medicina. Vnde cum quæſitum fuiſſet à Galeno, quid eſt perfecta medicina? dixit, abſtinentia. Et idem cum quæſitum fuiſſet ab eo, quare parum comederet? reſpondit, vt viuam. Inſtruit etiam ſanctorum doctrina. Vnde non immerito iraſcitur Dominus contrarium facientibus, ſecundum illud Pſalm. Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis. Et poſt. adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.

Exceſſus in cibo, ac potu, nocet corpori, animæ, famæ.

Pſalm. 77.

Se-

Secundo nota circa illud, *ſic tractandi ſunt &c.* quia ſunt quidam Prælati qui, circa recreationes faciendas debilibus inueniuntur interdum duri nimis. De quibus dicitur, Ezechiel. 33. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis. Sunt autem tria, quæ ſolent ab hoc retrahere. Primum, eſt ſpecies Religionis. Sub prætextu enim Religionis, tractant fratres dure interdum: ſed deberent cogitare, quod Religio munda & immaculata apud Deũ (cuius iudicio magis ſtandum eſt) hæc eſt Iacob. 1. Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum; quod eſt opus miſericordiæ, ergo, eadem ratione, in omni opere miſericordiæ eſt vera Religio. Secundum, eſt tenacitas auaritiæ, ſub ſpecie paupertatis, quam allegant. Sed deberent cogitare, quod ſi eſſent largi diſpenſatores, ſecundum ſui Domini voluntatem, Dominus, qui diues eſt, largius eis neceſſaria miniſtraret. Conſueuit enim Dominus diſpenſatori miniſtrare expenſas, poſtquam omnia expendit. Et ideo dicitur, Luc. 6. Date, & dabitur vobis. Tertium, eſt duritia cordis. ſunt enim quidam qui indurantur in ſuos, quaſi non ſint ſui, vt ſtruthio: faciles ad duritiam, ſed duri ad miſericordiam. Sed deberent attendere quod in ſcripturis Prælati vocantur matres. Bernardus ad Prælatos. Diſcite vos matres eſſe, non dominos; vt, more matrum, in ſubditos pia geſtetis viſcera. Sic faciebat Paulus qui dicit, 1. Theſ. 2. Facti ſumus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Sic etiam docebat Timotheum, dicens, Exerce te ad pietatem. Ceſſantibus igitur cauſsis prædictis minus bonis, ſic tractandi ſunt debiles, in refectionibus, quoad cibum: in ceſſatione, ne laboribus grauentur: in diſpenſationibus, circa Religionis rigorẽ, vt citius genua debilia roborentur, & roborati per recreationes cõgruas, ad Religionẽ, pro qua videntur huiuſmodi Prælati zelare, citius reuertantur. ne expenſas, quas timẽt, ex diuturnitate languoris, oporteat adaugeri: & vt ipſi pro opere pietatis cõſequantur promiſsionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Notandum eſt, quod ſunt quidam Prælati, qui huiuſmodi recreationes faciunt minus indigentibus, propter aliquem eorum gradum; de humilioribus vero quibusdam, magis indigentibus, non curant: Bernard. Vidimus multos, qui, quod eſt craſſum aſſumentes, quod eſt debile proijciunt: quod valde cauendum eſt. Primo, ne vitium acceptionis perſonarum in domo Dei inueniatur. Si enim non eſt deferendum pauperi in iudicio iuſtitiæ contra diuitem ſicut habetur, Exod. 23. multo minus deferendum eſt diuiti contra pauperem, vel puſillum in operibus miſericordiæ. Secundo, ne iuſtitia lædatur. Si enim tanta eſt vis pietatis, vt in neceſsitate, aliena faciat propria: quanto magis iu-

CAP. LXV. De Prælatis dure valetudinarios tractantibus.

1. Tim. 4.

In tractando, ſolius neceſsitatis ratio habenda.

ſtum eſt vt communia, fratri indigenti communicentur. Non eſt igitur hoc, ſolum miſericordia, ſed debitum. Propter quod dicitur Eccleſiaſt. 4. de opere pietatis, Et redde debitum tuum. Tertio, vt maius meritum habeatur. Cum enim quod fit minimis ſuis, Deus factum ſibi reputet: quanto quis maior eſt: tanto magis fieri ſibi reputat, & tanto habet acceptius, & tanto magis remunerat. Et ideo notabiliter dicitur, Mat. 25. non ſolum de minimis, ſed de minoribus: Quamdiu, inquit, non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Ad cauendũ igitur perſonarũ acceptionem, ad conſeruationẽ iuſtitiæ, ad meritorum augmentũ, pie tractandi ſunt fratres, in huiuſmodi recreationibus; etiamſi de humillima ſeculi paupertate venerint: tanquam hoc illis fiat ratione infirmitatis procedentis de nouo, quod diuitibus fit interdum, ratione conſuetudinis antiquæ, quá in ſeculo habuerunt. Et eſt argumentum ex hoc quod condeſcendendũ eſt aliquibus in aliqua ratione conſuetudinis præcedentis. Vnde dicitur, quod B. Bernardus cuidam monacho, qui multũ timebat frigus, in capite, conceſsit, contra morem ordinis, vt portaret caputium ſicut in ſeculo conſueuerat. Quod cum feciſſet aliquot diebus, & ſemel exiſtens in choro, videret alios monachos, ſenes, & iuuenes extractis caputijs in frigore cantantes viriliter, cõpunctus in ſemetipſo, extractum de capite pileolum proiecit in medium chorum, & poſtea nunquam voluit portare. Item, dicitur de quodá Abbate ſancto, quod quibuſdá iuuenibus monachis tentatis de carnibus anſerum, quas in ſeculo libenter comedebant, conceſsit vt clanculo paratas comederent. Quod cum facerent, in ipſa menſa confuſi in ſeipſis, ſurrexerunt, & intrantes clauſtrum, pulſato cymbalo, intrauerunt refectorium, & fabas cum alijs comederunt. Item, dicitur de quodam alio viro magnæ religionis, & famæ, quod cuidam ſubdito ſuo, qui inciderat in triſtitiam, conceſsit ſaltare in aliquo loco occulto, ſicut in ſeculo optime facere conſueuerat: quæ res dicitur eidem profuiſſe, & quoad corpus, & quoad animam, Hæc igitur & ſimilia, etſi non ſint trahenda in exemplum, tamen ſi fiant interdum & raro à viris ſanctis credendum eſt quod fiant illo inſpirante, qui populo ſuo ſuſpiranti ad ollas carnium conſuetas, dedit contra morem vaſtæ ſolitudinis, carnes abundanter in deſerto.

Matth. 25. — *Condeſcendendum interdum aliis.* — *Exemplum.* — *Exemplum.* — *Exemplum.*

CAP. LXVI.

Sed, cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſsitas leuarat infirmos. Duo ſunt abuſus, qui interdum reperiuntur in illis, quibus recreationes miſericorditer impenduntur. Vnus, quod poſt

ſuf-

ſufficientem recreationem, non facile redeunt ad conuentum. contra quem ponitur iſtud mandatum. Alter, quod felices æſtimant illos, qui diuites fuerunt. quibus, vt eis videtur, talia facilius impenduntur: contra quem ponitur ſequens mandatum, ſcilicet, *Illos æſtiment &c.* Sed nota circa illud, quod hic dicitur, quod natura ad hoc, quolibet anno, reparat vim terræ in vere, vt reſumptis viribus ferat fructum conſuetum, Item, ad hoc datur annona copioſius equo, vt fortior effectus, melius faciat iter ſuum. Et ad hoc diuiſit Deus tempus, in tempus quietis, ſcilicet noctem, & tempus laboris, ſcilicet diem, vt, ſomno refectis artubus in nocte, de die exeat homo ad opus ſuum. Sic & ſerui Dei, reparatis viribus per recreationes, debent redire ad labores conſuetos, quod eſt Deum diligere ex totis viribus, ſicut habetur Deutro. 6. cum ſcilicet ex eius amore, in eius ſeruitium, expendimus vires noſtras. Bene ergo dicit, vir ſanctus. *Sed, cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam.* ſcilicet ad vitam conuentualem, modo conſueto, ſequendo chorum, refectorium, capitulum, ſcholas, collationes, & alia, quæ ſolent à conuentualibus exerceri. Multa enim mala ſolent prouenire interdum illis, qui ſe ſubtrahunt à ſequendo conuentum. Vnum eſt, reſtinctio ſpiritus. Vnde Bernardus cuidam monacho tentato de ſolitudine, dixit: Carbo ardet cum alijs ardentibus: ſeparatus vero cito refrigeſcit, immo & nigreſcit, & reddit fumum. Similiter & titio ardens clare cum alijs, ſegregatus hæc eadem incurrit: ita monachus ſegregatus à conuentu, facile frigeſcet à feruore in corde, & denigratur conuerſatione, & reddit fumum malæ famæ. Aliud eſt, indignatio regis æterni. Omnis enim congregatio facta eſt quaſi exercitus quidam Domini. iuxta illud Cant. 6. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Solent autem multum indignari reges contra ſuos qui non ſequuntur exercitum ſuum. Quomodo ergo non indignabitur Rex Regum, & Dominus Dominantium, contra tales? Indignabitur profecto nec leuiter. Ideo in huius figuram Dauid indignatur contra Miſphiboſeth, licet claudum, dicens ei. 2. Reg. 19. Quare non veniſti mecum Miſphiboſeth, ſcilicet cum alijs, qui erant mecum in exercitu meo? & abſtulit ei meditatem poſſeſsionum ſuarum: ſecundum morem Principum, qui punire ſolent, à ſuo exercitu abſentes. Aliud eſt, periculum latronũ. Solet enim peregrinus ſeparans ſe à ſocijs, facilius incidere in latrones. Ideo peregrini pergentes Romã, cum tranſeunt per loca bellis infeſta, ſolent exſpectare magnã ſocietatẽ: & illã pręcipue, in qua eſt Magiſtratus, vel aliquis magnus ductor: ita & Religioſus, ſe ſemper debet cõiungere multitudini cõuenuent⁹, pręcipue cũ Dñs ſit ſemper in eo,

Damna eorum qui communẽ fratrum vitã non ducunt.

tanquam in bona congregatione. Zach. 8. In diebus illis apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes, Ibimus vobiſcum; audiuimus quoniam Deus vobiſcum eſt. Aliud eſt, nota infidelitatis. Cum enim Dominus mittat Religioſis tanquam operarijs, in vinea ſua laborantibus, quicquid boni habet: quomodo poteſt ſe excuſare ab infidelitate ille operarius, Religioſus ſcilicet, qui vult comedere omnia bona, quæ mittuntur, modo in valetudinario, modo in cæna, modo cum fratribus hoſpitibus: & nihil ſuſtinere laboris in conuentu? eſt hic ſicut veſpertilio, qui dicitur bibere oleum lampadum in Eccleſia, & nihil laborat in cantando. Contra vero. Iob 2. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem cur non ſuſtineamus? vt ſcilicet ſimus participes laboris, ſicut conſolationis. Aliud malum eſt, errare in inuijs. ouis enim ſegregata à grege, facile vadit per multa inuia, ſicut iſti per multas diſſolutiones, & irreligioſitatem, & inſolentiam. 1. Petri 2. Eratis ſicut oues errantes, ſcilicet cum non eratis in ouili Eccleſiæ. Aliud eſt, excluſio à portu cæleſti. ſicut ſolet accidere peregrino ſtulto eunti vltra mare: qui cum nauis applicat ad aliquem Portũ, ſolet egredi ad terram, recreationis ergo: interim flante vento, alij proficiſcuntur ad portum, ipſe vero in littore remanet. Et ideo dicitur contra de diſcipulis Domini, quaſi de ſapientibus Matt. 8. Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius; nolentes ſcilicet in littore remanere. Patet ex his, quod incurrunt ſex mala: reſtinctionem ſpiritus, & hoc quoad ſe: indignationem regis æterni, et hoc quoad Deum: periculum latronum; & hoc quoad ſocios: nimium erroris, & hoc quoad viam: carentiam portus; & hoc quoad patriam. Item, notandum, quod vita conuentualis habet ſex prærogatiuas, quas multum diligere debent ſerui Dei; Prima, eſt in meliori occupatione. extra conuentum enim frequenter occupantur in aliquibus minus bonis. In conuentu vero eſt quaſi continua occupatio in aliquo bono: & de hoc valde curandum eſt viro bono. Vnde Hieronymus, ſemper aliquid boni operis facito &c. Secunda eſt in maiori ſecuritate. Securior eſt enim quis ab hoſte ſuo, cum eſt inter ſocios ſuos, quam cũ eſt extra. Et ideo Cain non interfecit fratrem ſuum quando erat cum patre in domo cum ſuis; ſed eductum, in agro, ſicut habetur Gen. 4. Tertia eſt in maiori ordinatione: omnia enim magis ordinate fiunt in conuentu. Si autem omnibus fidelibus curandum eſt de huiuſmodi ordinatione, ſecundum illud, 1. Cor. 14. Omnia ſecundum ordinem fiant in vobis: quanto magis, illi qui viuunt in ordine, & ordinem ſunt profeſſi? Quarta, eſt in maiori virtute, quicquid enim fit in conuentu, fit

Vitæ communis fratrum prærogatiuæ.

non

non ſecundum propriam voluntatem, ſed alterius: quod virtutis maioris eſt, quam ſi ſecundum propriam voluntatem fieret, cum illa nunc trahat huc, nunc illuc. Seneca, Hoc ſolum virtuti adijces, quod propriæ voluntati detraxeris. Quinta, eſt in vniformitate maiori. vita enim conuentualis eſt vniformis, ſicut motus cælorum. boni autem viri debent ſe libenter conformare cælis, & ideo dicuntur frequenter in ſcriptura cæli. Et valet multum huiuſmodi vniformitas vitæ, quia varietas turbationem inducit, & corporis, & animæ. vniformitas vero quietem, & pacem: Pſalm. In pace, in idipſum dormiam, & requieſcam: hoc eſt, quo magis incumbam in idipſum, eo magis ero in quiete & pace. Sexta, eſt in oratione maioris humilitatis. Affectator enim ſingularitatis, etiam in bono, habet occaſionem illam ſuperbiæ, de qua dixit Phariſæus Luc. 18. Non ſum ſicut ceteri hominum. In ſocietate vero cum nihil faciat quis, niſi quod alij, non eſt occaſio huiuſmodi ſuperbiæ. Quid autem magis cauendum viro ſancto, quam ſuperbia? Tob. 4. Superbiam in tuo ſenſu, ideſt mente, nunquam dominari permittas. In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Sic ergo patet quantæ prærogatiuæ ſit vita conuentualis. Item, conſiderandum, quod conuentum ſanctæ conuerſationis, ſemper ſequitur ille magnus Abbas cui fecimus profeſsionem, & obedientiam dicendo, facio profeſsionem, & promitto obedientiam Deo: quantumcunq; ſint ibi pauci. Matt. 18. Vbi eñ ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Item, ſecundũ Regulã Euangelij, Quicunq; humiliores ſunt, & minores apparent, ſunt apud Deũ maiores. iſti vero ſunt, qui ſolent melius ſequi conuentũ. Item, in huiuſmodi conuentu frequenter fit collatio gratiarum, & conſolationũ ſpiritualium. Vnde Apoſtoli congregati receperunt ſpiritum ſanctũ. Item, ibi dat benedictionem non hebdomodarius, vel Abbas, vel Epiſcopus: ſed maior his, videlicet ſummus Pontifex. Pſalm. Illic enim, ſcilicet vbi habitant fratres in vnum, mandauit Dominus benedictionem. Item, ſtatutum eſt Apoſtolicum, vt nullus ſubtrahat ſe ab iſto conuentu; ad Heb. 10. Non deſerentes collectionem veſtram, ideſt, ſocietatem ſimul collectam, ſecundum glos. Item, ſubtrahentes ſe, ſolent grauia damna pati. Saul recedens à cuneo Prophetarum, amittebat gratiam Prophetalem. 1. Reg. 19. Thomas abſens à choro Apoſtolorum priuatus eſt viſione Dominica, Ioan. 20. Iudas exiens à ſocietate Apoſtolica, colligatus eſt cum inimicis Chriſti, & factus eſt eius proditor. Mat. 26. Cum igitur præſentia Abbatis in conuentu: exemplum maiorum, cum ipſi conuentum ſequuutur; collationes bonæ; benedictio magnæ

Pſalm. 4.

Eccli. 10.

Chriſtus maxime in cõmuni conuictu.

Pſalm. 132.

magnæ perſonæ; ſtatutum graue; punitio acris ſe ſubtrahentium, ſoleant mouere multum monachum ad ſequendum conuentum; quam peruerſus eſt Religioſus, quem ad ſequendum hunc conuentum, non mouet præſentia Dei, nec aſsiſtentia bonorum, nec collationes gratiarum, nec benedictio Dei, nec tam grauis punitio tranſgreſſorum? Miſerabilis igitur eſt conſuetudo illa, de qua Heb. 10. Sicut conſuetudinis eſt quibusdā: ſcilicet deſerere collectionem, id eſt ſimul collectos. Et contra, beata conſuetudo illorum, qui libenter ſequuntur vbiq; conuentum: cū ſicut ſupra dictum eſt tot mala proueniant ſe ſubtrahentibus; tot bona ſint in vita conuentuali, & tot rationes mouentes ad ſequendum. & ideo bene vir ſanctus vocat iſtam conſuetudinem feliciorem: non per comparationem quod contraria ſit felix, ſed per oppoſitionem, quia illa ſit miſerabilis valde; iſta vero valde felix. Porro iſta beata conſuetudo, etſi omnes deceat, tamen magis illos qui minus indigent: in quo reprehenduntur illi ſpecialiter, qui, præter neceſsitatem, morantur in recreationibus. Iſti ſunt ſicut lurcones, qui recipiuntur in diuitibus hoſpitalibus, cauſa infirmitatis: at poſtquam ſanati ſunt, fingunt ſe adhuc infirmos, & ibidem morantur, propter bonos lectos, & alia commoda. Sed contra dicit Dominus Marc. 2. Paralytico ſanato, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam: quod idem alijs infirmis faciendum eſt. Item, horum corpus, eſt ſicut aſinus: qui habens in ſtabulo pabulum bonum, & paleas ad quieſcendū; mane, cum eſt tempus, quo vadat ad onera conſueta, fingit ſe claudum. Sed cum pungitur virga & cōpellitur, inuenitur fortis. Et ſic faciendum eſt tali corpori. Eccleſ. 30. Cibaria, & virga, & onus aſino. Non dicit ſolum cibaria, ſed poſt cibaria, virgam, compellentem ad onus. Item, horum caro eſt, ſicut feles Monaſterij, quæ in refectorio ſolet victitare cruſtis: ſed poſtquam conſueuit ire ad valetudinarium, & ibi inuenit bolos, & reliquias carnium, nunquam vult redire ad refectorium: ſed ſemper frequentat valetudinarium, quantumcunque clametur, & extrudatur; niſi in vno caſu, ſcilicet quando nihil datur ei ibidem: tunc enim redit ad refectorium. Et ſic ſubtrahenda ſunt huiuſmodi carnis delectabilia, vt reuertatur ad conſueta. Exemplum de filio prodigo Luc. 15. qui, poſtquam defuerunt delitiæ, redijt ad panes mercenariorum in domo patris. Quam indecens igitur eſt, vt famulus Dei ſit tanquam lurco, vel aſinus fictus, vel feles? Ideo bene dicit, *Quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent.* Tamē interdū contingit, quod illi qui fuerunt valde ſpirituales, & contemplatiui: poſtmodum voluptate ciborum illecti, fiunt ita

Contra cupientes commoda carnis, & valetudinarium, ſine neceſsitate.

Quales ſint amantiores carnis.

Commoda carnis ſæpe ſpiritū aut extinguūt aut eneruant.

ita carnales, vt vix poſsint auelli ab huiuſmodi cibis. Exemplum de aquila. quæ (ſicut dicitur in libro collationum) cum volat in altiſsimis, ſubito interdum ſe deijcit ſuper cadauer: & ita fortiter adhæret, vt vix auelli poſsit ab eo. ita & iſti. Et ideo confundit eos Apoſtolus Galat. 3. Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu ceperitis, nunc carne conſummemini. Dicitur in fabulis, quod vrſus ideo habet paruas aures, & paruam caudam; quia, cum vellent eum introducere ad locũ mellis, vt comederet, valde renitebatur intrare: vt trahi debuerit per aures, quas habebat longas: quæ in manibus trahentium diruptæ, & decurtatæ ſunt. Cum vero ingreſſus, inueniſſet mel, & nimis auide deuoraret; cum vellent eum retrahere per caudam, quam habebat longam, ita fortiter adhæſit melli, vt in retrahendo, dirupta ſit cauda, & facta parua. O quot ſunt, & fuerunt, qui cum magna difficultate, introducti primo ad recreationem, vix poſtmodum poſſunt auelli à melle dulcedinis illius. Contra quos dicitur, Prouerb. 25. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi. quaſi dicat, non nimis, ſed moderate. Dicitur iterum, Quod fuit quidam philoſophus valde integer, & audax in dicenda veritate. Cum autem multum, & audacter loqueretur de Rege ſuo, & aula eius quæ erat valde carnalis: Rex ſapienter, & non per potentiam, volens ſibi prouidere, vſus conſilio prudentum, vocauit eum ad aulam ſuam, vt eſſet in ſua menſa & ſibi aſsiſteret in conſilijs. Cum autem, licet quodammodo coactus, conſenſiſſet, lapſu temporis, paulatim ceperunt ei adeo placere delitiæ aulæ, & ſolatia carnalia, vt amiſerit cor dicendi aliquid contra regem, & aulam eius: atque ita rex & ſui, à lingua illa liberati plane ſunt Quis autem, neſciat, quod multi zelatores auſteritatis, qui ſolebant dure loqui contra huiuſmodi carnales, peiores eis poſt effecti, in hoc habenas laxarunt, poſtquam in ipſis ſimilia contigerunt? ex delectatione enim guſtata irretiuntur: & talia, vt ante, iam loqui non audent. Sicut de cane dicitur, qui proiecto ei pane à latrone, ceſſat latrare. Ideo dicitur Eccleſiaſt 20. de xenijs (quæ poſſunt hic vocari commoda recreationum collata à Prælatis & Officialibus, & alijs his vtentibus) quod quaſi mutus in ore auertit correctiones. Cum igitur voluptas cibariorum viros ſpirituales, efficiat carnales; & carnalia quæ prius fugiebant, faciat nimis ſequi; & os apertum ad huiuſmodi, claudat à reprehenſione aliorum ſalubri: bene dicit vir ſanctus, *nec cibi eos voluptas teneat iam vegetatos.* Tenet profecto quandoque, etiam viros bonos,

Exemplum. Exemplum. Exemplum.

Exemplum. bonos, in vinculis, huiuſmodi voluptas. Vidi ego quendam bonum Religioſum, qui cum fuiſſet in valetudinario aliquanto tempore, & appropinquaret dies, quo oportebat eum redire ad conuentum, aduertens quid agebatur, in anima ſua dixit cum quodam ſolatio, quod ita ſibi videbatur difficile, relicto valetudinario, intrare conuentum, ſicut fuit ſibi difficile, à principio, relicto ſeculo intrare Ordinem. Et ideo valde cauendum eſt, etiam viris ſanctis ab huiuſmodi.

CAP. LXVII. *Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.* Quidam experti ſolatia recreationum apud ſe, magnificant illos, qui diuites fuerunt: quibus, vt eis videtur, hæc frequentius impenduntur. Et hic eſt abuſus ſecundus prædictus, contra quem ponitur mandatum hoc. Non enim diuites, propter hoc, debent reputari melioris conditionis; ſed potius, qui fortes ſunt ad ſuſtinendam parcitatem, debent ditiores æſtimari. & ponitur in hoc mandato, primo, ſubſtantia mandati: ibi, *Illos æſtiment.* Secundo, cauſſa mandati: ibi, *Melius enim eſt.* Et notandum quod duo ſunt genera diuitiarum; corporales videlicet, & ſpirituales: de quibus habetur 1. Cor. 8. Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues; vt, eius inopia, diuites eſſemus. gloſ. in ſpiritualibus. Non enim ad hoc fuit pauper Ieſus, vt eſſemus diuites in temporalibus. Conſiſtunt autem iſtæ diuitiæ ſpirituales in virtutibus. Eccleſ. 44. Diuites in virtutibus, & in operibus eorum. 1. Tim. 6. Præcipe diuitibus huius ſeculi, diuites fieri in operibus bonis: quæ duo, vno nomine, poſſunt dici iuſtitia generalis, quæ conſiſtit & in virtutibus, & in operibus earum meritorijs. Et attende quanta differentia eſt inter iſta duo genera diuitiarum. dicitur Prouerb. 17. Quid prodeſt homini ſtulto habere diuitias, cum ſapientiam emere non poſsit? Ergo propter diuitias corporales, non poteſt haberi ſapientia: ergo multo minus iuſtitia, quæ melior eſt. Ergo nec regnum cęlorum quod eſt maius: ſed pro quolibet opere iuſtitiæ meritorio, quantumcunq; modico, haberi poteſt regnum cælorum: ergo melius incōparabiliter omnibus diuitijs mundi, eſt iuſtitia. Sicut ergo incomparabiliter aureus denarius excedit denariū plumbeū valore, ita & diuitiæ ſpirituales corporales. quia per illas nō poteſt haberi niſi quid vile, ſcilicet tēporale aliquod: per iſtas vero poteſt haberi precioſum regnum cęlorum. Item, ſolent diuitię temporales interdū prodeſſe poſſeſſori ſuo ad hoc, vt ſi forte ex aliqua offenſa cadat in manus domini ad pœnam mortis, per illas liberetur. At non ſic erit in die magnæ neceſsitatis. Non enim tunc diuitiæ ſubuenient; iuſtitia vero ſubueniet. Prouerb. 11. Non proderunt diuitiæ in die

Pro diuitiis ſpiritualibus multa.

vltionis:

vltionis: iuſtitia vero liberabit à morte. Item, diuitiæ corporales non poſſunt transferri ad aliud ſæculum. Iob. 37. Diues, cum dormierit, nihil ſecum affert. Opera vero iuſtitiæ illius deferuntur. Apocal. 14. Opera enim illorũ, ſcilicet bonorum, ſequuntur illos. Differunt ergo ſicut præbenda, quam habet aliquis in aliqua Eccleſia, extra quam nihil ei valet, & præbenda, quam habet quis, vbicunque moretur, quæ reputatur melioris conditionis. Item, corporales diuitias, multi volunt habere, & non poſſunt. Propter quod dicitur Prou. 23. Ne erigas oculos ad opes quas habere non potes, ſcilicet corporales, quæ vix haberi poſſunt. Contra vero ſpirituales facile habere poſſunt quicunque volunt. Eccleſ. 15. Ante hominem bonum & malum; ad quod voluerit, extendat manum. Ergo quicunque vult, poteſt habere bonum, in quo conſiſtunt diuitiæ ſpirituales. Item, iſtæ poſſunt perire inuito domino Eccleſ. 5. pereunt in afflictione peſsima: cum ſcilicet vel auferuntur ab alijs, vel morte; vel mutata fortuna euaneſcunt. Si non inuito poſſeſſore hoc eueniret, non relinqueretur afflictio. Sed quia inuite hoc fit; relinquunt peſsimam afflictionem. Spirituales vero nõ poſſunt auferri à nolente: ideo dicitur Oſeæ. 8. proiecit Iſrael bonum. Non enim bonũ poteſt amitti niſi proijciatur ab homine, ſecundũ illud, quod dicit philoſophia Boetij. Talia tibi arma contuleramus, ſcilicet virtutes, quę niſi prior abieciſſes, inuicta te firmitate tuerentur. Item, iſtæ habent annexã multam amaritudinem. Naũ. 3. Cuius diuitiæ mare, ſcilicet amaritudo. Eſt enim labor in adquirendo; timor in cuſtodiendo: dolor in amittendo; anxietas in dando: anguſtia, cum in expendendo minorantur: miſeria in vita, cum non expenduntur. Quid autem ſunt iſta omnia niſi amaritudines, illæ vero iucunditates? Pſal. In cuſtodiendis *Pſalm.* 18.
illis retributio multa. gloſ. In cuſtodiendis dicit, non pro cuſtodiendis: quia in præſenti, gaudium habent, & iucunditatem; quæ tanta eſt, quod dici non poteſt. Item, iſtæ ſunt interdum nociuæ dominis ſuis. Eccleſ. 5. Diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. in malum ſcilicet culpæ. Eccleſ. 11. Si fueris diues non eris immunis à peccato. & malum quoad præſens. 1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli. qui ducens eos illaqueatos ad ſeculum, ponit in ſtatu, in quo incurrent pœnam damnationis. Matth. 19. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum. & pœnam ſenſus, iuxta illud Iacob. 5. Et manducabit carnes veſtras tanquam ignis: ſcilicet aurum & argentum. Et hæc duo quoad futurum. Verum è contrario, nihil in vita vtilius eſt hominibus diuitijs ſpiritualibus,

ſcilicet virtutibus. ſicut dicitur, de quatuor cardinalibus, Sap. 8. Cũ ergo diuitiæ ſpirituales, ſicut ex his patet, plus valeant ad adquirendum magna, & ſucurrant in die magnæ neceſsitatis, & portari poſſint quocunque, & facilius adquirantur, & difficilius amittantur, & habeant ſecum annexam iocunditatem, & ſummam conferant vtilitatem, quæ omnia deſunt corporalibus; patet quod excellentiores ſunt incomparabiliter iſtæ illis. Et ideo vocantur à ſapiente opes ſupernæ. Glos. Quidquid donorum fidelibus cælitus datur, cunctis mundi opibus excellentius eſt. Sane iſtis diuitijs multum abundant illi, qui fortes ſunt ad ſuſtinendam parcitatem: habent enim meritum abſtinentiæ: & hoc pertinet ad temperantiã: item meritum patientiæ, ſuſtinendo quod eſt carni moleſtum; & hoc pertinet ad fortitudinem. item, meritum obedientiæ, ſequendo communia ſtatuta; & hoc pertinet ad iuſtitiam, ſicut ſpecies eius. item meritum prudentiæ ſpiritus: quæ eſt contraria prudentiæ carnis, & ipſam debet elidere, carnem peſſundando, & hoc pertinet ad prudentiam. item habet meritum fidei. Quid enim niſi fides Chriſti moueret eũ eligere cum bonis in parcitate viuere? Heb. 11. Fide Moyſes elegit affligi cum populo Chriſti. Item meritum ſpei. Viri enim ſancti exponunt corpus in præſenti, propter ſpem percipiendi melius in reſurrectione. Sicut miles exponit equum in ſeruitio regis liberaliter, ſperans quod ſi amittat eum, reſtituetur ſibi à rege. 2. Machab. 7. dixit vnus de ſeptem fratribus, reſpiciens membra quæ exponebat martyrio propter leges Dei; Hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me recepturum ſpero. Item, meritum charitatis, quia propter Deũ hic ſuſtinetur. Pſal. Propter te mortificamur tota die. ideſt propter amorem tuum. Cum igitur fortes in ſuſtinenda parcitate habeant merita quatuor cardinalium, & trium theologicarum virtutum, vt patet ex his; valde ſunt diuites diuitijs ſpiritualibus. quæ quãto alijs præualent, tanto chariores diuitiæ reputandæ. ſicut diuitiæ in auro, ſunt veriores quam in ære. Et ideo bene dicit, vir ſanctus, *quod tales ditiores ſunt æſtimandi, quã quicunq; alij propter diuitias corporales.*

Prouerb. 8.

Paucis cõtenti, ſunt aliis ditiores.

Pſal. 43.

CAP. LXVIII.

QVOD autem intelligat de diuitijs ſpiritualibus, patet per hoc quod ſubiungit. *Melius eſt enim.* Melius eſt, reſpicit ea quæ ſunt virtutis. Et eſt ſenſus: melius eſt minus egere &c. hoc eſt, melioris conditionis eſt ille, qui minus eget & minus habet. v. g. Melioris conditionis eſt ſanus, qui minus eget medicinalibus, & minus habet quam infirmus, qui plus eget eis & plus habet. & patiens frigoris qui minus habet veſtium & minus eget quam impatiens, qui plus eget veſtibus & plus habet: & ſic in ſimilibus. Sic natura humana melior fuit ante

ante peccatum, quando minus eguit huiuſmodi, & minus habuit; quam poſt peccatum, quando plus eget & plus habet. Et ſicut ager, qui minus eget fimo ad fructum ſuum faciendum, & minus ibi ponitur, melior eſt illo qui plus eget & in eum plus apportatur. & honeſta noſtra membra, quibus ſecundum Apoſtolum minorem honorem circumdamus, quia minus egent, meliora reputantur inhoneſtis, quibus maiorem honorem circumdamus, quia magis egent: ſic quoque melioris conditionis, eſt qui minus eget, quam qui plus egens, plus habet. Huius autem eſt ratio multiplex. Prima, quia talis plus habens, quanto plura habet, tanto de pluribus debet reddere rationem, Luc. 12. Cui plus committitur, ab eo plus exigitur. Secunda, quia quanto plus oportet ei miniſtrare, tanto magis eſt alijs oneroſus: quod valde cauendum eſt ſeruo Dei. 2. Cor. 11. In omnibus ſeruaui vobis me ſine onere, & ſeruabo. Tertia, quia minus acceptus eſt Domino ſuo: ſicut operarius qui, præter mercedem veſperi reddendam, quanto plura requirit in procuratione diurna, tanto magis eſt tædioſus domino, et minus acceptus. Ideo Hiram rex Tyri Salomoni petenti famulos ſuos in ſuum ſeruitium & promittenti dare quod vellet, volens ei complacere, non petijt pro eis ſuperflua, ſed tãtum neceſſaria. Et tu, inquit, præbebis neceſſaria. non dicit, ſuperflua. 3. Reg. 5. Quarta, quia eſt in maiori ſolicitudine quotidiana pro ſuis, ſcilicet neceſsitatibus. Hoc autem non modicæ eſt miſeriæ. Ideo Lucæ 10. præfertur pars Mariæ ſine ſolicitudine, parti Marthæ, quæ erat ſolicita circa plura. Quinta, quia oportet talem, quaſi in ſeruitutem redigi eorum, à quibus oportet eum huiuſmodi abundantiã recipere; ſicut accipiens mutuo, ſeruus eſt fœneratoris, propter ſuã neceſsitatem, Prou. 22. quod valde contrarium eſt libertati, in qua debent viuere ſub gratia conſtituti. Ideo dicit Apoſtolus. 1. Cor. 7. Nolite fieri ſerui hominum. Sexta, quia minus paratus eſt ad obedientiam; ſicut diuites qui indigent multis equis & multis neceſſarijs in via, non ita cito poſſunt ſe mouere, ſicut pauper qui nõ habet niſi perſonam ſuam. Semper autem Dei ſeruus debet eſſe paratus: ſicut de angelo dicitur Tobiæ 5. Et quaſi ad ambulandum paratus. Lucæ 11. Et vos eſtote parati. Cum ergo huiuſmodi plus habentes, de pluribus habeant reddere rationem & magis ſint oneroſi ſocijs, & minus accepti Domino in ſuo ſeruitio, & in anguſtia ſolicitudinis, & in ſeruitute maiori, & minus parati ad obedientiæ executionem, bene dicuntur, minus egentes & minus habentes, melioris conditionis quã iſti. Et hoc eſt quod dicitur. *Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.*

1. Cor. 12

Beatior qui pauciora requirit.

IN CAP. IX. REGVLÆ VGO.

CAP. VI. De habitu exteriori & interiori.

B. Auguſtini veſtis de qua Poſsid. cap. 22. vitæ B. Aug.

Matth. 11.

Qualis veſtis clericorum.

Pſalm. 44.

Cant. 4.

Rom. 12.

NON *ſit notabilis habitus veſter: nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* Fecit iſte vir ſanctus, quod docuit. ſcriptum eſt enim, quia veſtimenta eius & calceamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, ſed ex moderato & competenti habitu erant. Ipſe quoque de ſe legitur dixiſſe. Fateor, quia de precioſa veſte erubeſco. Non decet hanc profeſsionem; nec decet hanc admonitionem; non decet hæc membra; non decet hos canos. Hinc Dominus in Euangelio. Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Mollia dicuntur veſtimenta, eo quod mollem efficiunt animum. Mollibus veſtimentis Regia delectatur domus. Aſperis & humilibus Chriſti delectatur Eccleſia. Talia debent eſſe veſtimenta clericorum, in quibus nihil notari poſsit nouitatis: nihil quod pertineat ad ſuperbiam, & inanem gloriam. Non tenera veſtis ſacerdotem: ſed munditia mentis ornat clericum. Ornemus ergo nos ſpiritualibus ornamentis; ſcilicet caſtitate, humilitate, māſuetudine, obedientia, patientia, charitate. Hæc ſunt indumenta quibus anima poteſt cæleſti Imperatori placere. nō enim exteriorem, ſed interiorem pulchritudinem requirit inuiſibilis ſponſus. Sicut ſcriptū eſt. Omnis gloria eius filię regis ab intus. Noſtrę ergo diuitię, noſtra pulchritudo; boni mores: & beata illa anima cui dicitur in canticis; Quam pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Studeamus ergo inuiſibili Domino placere, non veſtibus, ſed moribus, vt impleatur in nobis quod per Apoſtolum præcipitur. Nolite conformari huic ſæculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri: etſi enim exterior noſter homo corrumpitur, interior tamen renouatur de die in diem.

VMBERTVS.

CAP. LXIX. Tertium capitulum totius Regulæ.

NON *ſit notabilis habitus veſter: nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* Hic incipit tertium capitulum ſecundum quoſdam; quod eſt de pertinentibus ad Religionem quatenus eſt ſtatus honeſtatis excellentis. Ad huiuſmodi vero honeſtatem pertinet honeſtas in habitu, de qua hic. Honeſtas in ſocietate, de qua ibi, *quando proceditis &c.* Honeſtas in moribus, ibi, *in inceſſu.* Et

Et ſuper omnia, inhoneſtatis correctio, ibi, *quando ſimiliter eſtis*. Porro circa honeſtatem habitus tradit hæc duo mandata. Vnum contra exteriorem notabilitatem: aliud contra interiorem affectionem, ex qua cauſatur. Primo, ibi. *Ne affectetis.* Circa primum vero, notandum; quod habitus in Religioſo poteſt eſſe notabilis, ex ſeptem; ſcilicet ex precioſitate. 1. Tim. 2. de mulieribus. Non in veſte precioſa. quanto magis hoc ſeruandum in viro Religioſo, paupertatem profeſſo? Exemplum de Auguſtino, qui de ſe dicit. Fateor, de veſte precioſa erubeſco. non enim decet hanc profeſsionem. Item, ex mollicie, quia non decet viros pœnitentiæ huiuſmodi mollicies. Mat. 11. Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. vbi ſcilicet non eſt locus pœnitentiæ. Innuit per hoc viciſsim, quod vbi eſt locus pœnitentiæ, non debet huiuſmodi habitus inueniri. Item, ex pulchritudine, quia ſapit ſuperbiam. 1. ad Tim. 5. Habentes quibus tegamur, his contenti ſimus. Nota, quod dicit, tegamur. Glos. ſuper Matth. 3. Ioannes habebat veſtimentum de pilis &c. Seruus Dei, ait, non debet habere veſtimentum ad decorem, ſed tantum ad tegendam nuditatem. Si autem hæc decent hominem Chriſtianum, quanto magis Religioſum? Item, ex inſinuatione; ſicut quando eſt alterius coloris, vel formæ, vel quantitatis, vel in alio modo quocunque diſsimilis veſtibus, quæ communiter ab alijs ſocijs deferuntur. Hæc eſt veſtis peregrina, de qua dicitur Sophon. 1. Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. Et eſt argumentum, quod non debent parcere Viſitatores in tali caſu cuicunque, qui talem inducit deformitatem. Item, ex ſecularitate, quod eſt quando calcei, vel manicæ ſunt nimis ſtrictæ; vel aliter, aliqua laſciuia, vel curioſitate veſtis quæcunque in aliquo notanda. Sicut enim veſtis aliquantulum Religioſa in ſeculari, oſtendit ipſum habere animum Religioſum; ita in religioſo veſtis ſecularis, oſtendit ipſum habere animum ſecularem. Eccleſ. 20. amictus hominis enunciat de illo. Item, ex ſuperfluitate, videlicet, cum quis habet pileos ſuperfluos, vel tunicas, vel alia quæcunque, præter neceſsitatem iuſtam. Cum quidam Religioſus fatigatus ex itinere quieſceret in via, quidam paruus puer accedens, & ſedens iuxta eum: & videns in eo tres tunicas gradatim apparentes & caputium & cappam deſuper, incepit computare, vnum, duo, tria, quatuor, quinque. Et quaſi ſcandalizatus, dixit tale, vel ſimile verbum. Vt quid vos habetis tot tunicas, cum ego non habeam niſi vnam? Si autem puer ſic fuit ſcandalizatus; quis dubitat multos in huiuſmodi, malum exemplum accipere? Ideo Dominus volens cauere ab huiuſmodi ſcandalo, diſcipulis dixit Mat. 10.

Veſtis notabilis eſt ex ſeptem cauſis.

Exemplum.

Neque duas tunicas habeatis. Et dicit, Hieron. duas, neceſſariam, & ſuperfluam. Ex quo patet quod ſuperfluitas eſt interdicta diſcipulis Domini. Item, ex nimia compoſitione, cui nimis aliquando intendunt. Aliqui autem in parando caputio, aut in ligandis calceis,

Pſal. 143. & ſimilibus, quod eſt muliebre. Pſal. Filiæ eorũ compoſitæ. Contra vero dicitur Exod. 22. Non induetur vir veſte muliebri. Tantũ autẽ dedecet huiuſmodi ſolicitudo compoſitionis virum Religioſum, quantũ indecens reputatur in ſcripturis viros fieri effęminatos. Patet igitur quod habit⁹ viri Religioſi nõ debet eſſe notabilis vel in pretio; vel in mollicie; vel in decore: vel in peregrinitate inuſitata; vel in aliqua curioſitate ſeculari; vel in ſuperfluitate; vel in nimia cõpoſitione.

CAP LXX. Concionatorẽ maxime decet veſtis vilis.

SI vero ſit concionator, ſuper omnia decet eum vilitas in habitu. Quod ſcilicet patet ſuper illo verbo Zach. 13. Non operietur pallio ſaccineo, dicit, glos. Mos erat Prophetis indui ſacco cum populum ad pœnitentiam prouocabant. Item, Matth. 3. dicitur de eximio prædicatore pœnitentiæ, Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam, circa lumbos ſuos. Item, Apocal. 11. dicitur de Enoch & Helia. Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Si ergo primi prædicatores pœnitentiæ ſcilicet Prophetæ in veteri lege, & medius inter legẽ & Euangeliũ ſanctus Ioannes; & vltimi in fine venturi, ſcilicet Enoch & Helias; qui omnes fuerunt de genere Iudæorũ, non curantiũ abiectionem Chriſti, tam vilibus veſtib⁹ vſi ſunt, vel vtentur, ad mouendũ efficacius ad pœnitentiam, quanto magis cõpetit prędicatori euangelicę paupertatis, & qui ſpecialiter eſt ad prędicandũ pęnitentiã deputat⁹ vilitas veſtis? Item, dicit glos. ſuper illo verbo Matt. 3. Erat Ioannes veſtitus pilis camelorũ: veſtis cõueniens prędicatori. Et bene dicit cõueniens. Fili⁹ eñ Dei, cũ voluit prædicare in mundo, induit valde vilẽ veſtem, ſcilicet carnẽ humanam. Zach. 7. Et Ieſus erat indutus ſordidis veſtibus. Quod exponitur ſuper Ioannẽ de veſtibus noſtræ mortalitatis; cum

Phil. 2. inuent⁹ eſt habitu vt homo. Prędicatoris vero eſt ſuper omnes ipſum imitari, & maxime in his quæ prędicationi cõgruunt. Itẽ, prędicatoris eſt debellare mundi gloriã. Hæc autem pro magna parte cõſiſtit in veſtibus precioſis. Quomodo autẽ poteſt gloriã mundi contemptibilem reddere ille, cuius toto corpore huiuſmodi gloria relucet? Cõtigit Pariſijs, vt quidam Magiſter Theologiæ, ſęcularis prædicaret in

Exemplum. vniuerſitate, indut⁹ optima veſte, vel cappa noua in principio hyemis. Cum autẽ tenuiter inprimeret verba ſua in cordibus auditorũ: quidam fatuus, qui erat in medio ſcholariũ ſurrexit & dixit, Tace tu; illa veſtis precioſa quã habes, nõ permittit te audacter dicere veritatẽ. quę res fecit ei mirabilẽ confuſionẽ, Nonne & ipſe Apoſtolus hanc eandẽ

con-

confuſionē facit facientibus contra ſuā prædicatiōnē; cū dicit Rō. 3. Qui prædicas non furandum, furaris &c. quod habet locum in omni ſimili. Debent ergo qui debent mundi prędicare contemptū, cauere, ne in ſuo habitu appareat aliquid, quod gloriam mundi prætendat. Item, vilitas veſtis ſignum fuit quondā veri Prophetæ. vnde Zach. 13. Non operientur pallio ſaccineo, vt mētiantur: quod exponitur de falſis Prophetis, qui volentes videri veri Prophetę operiebant ſe ſaccis, ſicut veri. Ergo coopertura ſacci fuit ſignū veri Prophetę & à Deo miſſi, multo magis nunc eſt ſignum veri nuntij Dei, cum & ipſi Apoſtoli miſsi à Chriſto non fuerint ſicut ſolennes nuncij mundi, in gloria veſtium, ſed in multa paupertate apparuerunt in hoc mundo. Prædicator vero multum debet curare vt habeat ſigna per quæ appareat verus nuncius Dei, vt ei melius credatur. & ideo conuenit ei veſtis vilis. Item, prædicatori multum eſt curanda bona fama: quia ipſa attrahit mundum ad eum. Huiuſmodi autē veſtis reddit hominē in ſanctitate valde famoſum; quia ſecundum Senecam. Argumentum bonæ voluntatis eſt grabatus & pannus durus: cum non ex neceſsitate, ſed ex voluntate hoc pati quis ſuſtineat. Attrahit etiam per veſtis duritiam prædicator multos. Matt. 3. Ipſe Ioannes habebat veſtimētum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. & ſequitur. Tunc exibat ad eū Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanē. Item, prædicatoris eſt exemplo oſtendere, quod dicit verbo: cum ergo vt plurimum debeat prædicare pænitentiam, debet eam oſtendere in ſe. Apocal. 11. Prophetabunt amicti ſaccis. glos. prædicantes pænitentiam, & exemplo oſtendentes. Non autem ita pænitentia apparet prædicatoris, in ieiunijs vel orationibus, vel afflictionibus quibuscunque, quia huiuſmodi non fiunt in publico, ſicut in veſtibus; quæ ſemper ſunt in aperto. Et ideo conuenit, vt veſtis eius vilitas, pænitentialem prætendat. Propterea dicit, glos. Matth. 3. de pilis camelorum. Qui pænitentiam prædicat, habitum pænitentiæ prætendat. Item, ad prædicatorem pertinet non ſolum verbis, ſed factis docere. Sicut Chriſtus omni ſua actione docuit. Et Prophetę olim factis ſuis docebant; vt patet Ezech. 12. in vaſorū trāſmigratione. Et ideo dicitur Ioannes vox, quia nō ſolū verbo, ſed tot⁹ *Ioan. 1.* clamabat; ſicut quælibet pars vocis eſt vox. Porro vilitas veſtis multa docet. Docet ēm quod ſicut ipſa, quæ eſt exterius, eſt vilis, ita omnia exteriora ſunt vilia. Itē, docet quod nunc nō eſt tēpus feſtiuū, quādo ſolent fieri veſtes precioſę; ſed feriale ad laborandū; quādo ſolent viliores deferri. Itē, docet quod nunc ſumus in via. Etenim viliores veſtes deferuntur etiam à diuitibus in via: quam quando in domo ſunt.

Item,

Item, docet quod debemus eſſe famuli Domino ſeruientes. viliores enim veſtes deferuntur ab his. Item, docet quod habemus nunc cauſam luctus. Pro luctu enim ſolent viliores veſtes deferri. Item, *Ion. 3.* docet quod debemus nunc intendere placationi diuinæ. Sicut Niniuitæ veſtes viles aſſumentes. Et alia ſane multa ſalubria docet veſtis huiuſmodi. Cum igitur vilitas in veſtibus Chriſto aſsimilet in ſui prædicatione: & valeat ad mundi gloriam debellandam; & ſignum det de veritate nuntij cæleſtis, & valeat ad famam & exemplum pænitentiæ; & doctrinam ſanctorum multiplicem; quæ omnia ſunt omni concionatori valde neceſſaria; patet quod concionatori cõuenit vilitas veſtium. Et quanto veſtis eſt magis exterior, & plus videtur, vt ſunt cappæ, tanto magis eſt in illis vilitas obſeruanda.

CAP. LXXI. Quia vero veſtium prædicta notabilitas exterior procedere ſolet ex affectu interiori, ſibi placendo. ſequitur mandatum contra *Studium placendi veſtibus eſt meretriciũ.* hoc quod dicitur. *Nec affectetis veſtibus placere.* Bene autem dicitur viro Religioſo, ne affectet placere veſtibus. Hoc enim eſt meretricum. Vnde Cyprianus ad mulieres. Fugiant virgines, & pudicæ cultus & habitus, impudicarum inſignia meretricum. Si autem mulieres bonæ debent hoc fugere, quanto magis viri ſancti? Non eſt ſiquidem eis huiuſmodi placentia imitanda, ſed potius deploranda. *Exemplum.* Exemplum de quodam ſancto, qui cum vidiſſet quandam meretricem, dixit. Ignoſce mihi omnipotens Deus. quia iſta meretrix taliter ſe pro mundo compoſuit; & ego tibi Domine placere propoſui, & ſimilia per meam negligentiam non impleui. Et in vitis patrum dicitur quod cum Abbas Pambo deſcendens Alexandriam, vidiſſet *Exemplum.* quandam mulierem meretricem, fleuit. & cum interrogatus fuiſſet quare fleret, dixit: duæ res me mouent: vna, perditio illius: alia, quia non habeo tale ſtudium placendi Deo, ſicut iſta turpibus hominibus. Non ergo debent quærere viri ſancti placere ornamento ve- *Quomodo liceat velle hominibus placere.* ſtium, ſed ornamento morum. Propter quod ſubdit, *ſed moribus*, Sed nunquid velle placere moribus licitum eſt, cum dicat Apoſtolus Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem? Reſpondetur. Sicut appetitus excellentiæ, ſi ibi ſiſtatur, eſt ſemper peccatum; ſi autem appetatur excellentia propter Deum, vt quia, ſcilicet, maiorem fructum, poteſt quis ita facere, vel ſimilia: non eſt peccatum. Sic & voluntas placendi hominibus; ſi ſit in hoc ſtudio vltimus finis, eſt ſemper peccatum: ſi vero dirigatur ad meliorem finem, poteſt eſſe ſine peccato. Vnde gloſ. ſuper prædictum locum. Apoſtolus non ſe hominibus placere, recte dicebat: quia eo ipſo, quod illis placebat, vt Deo placeret vtebatur. Et ideo dicitur Epheſ. 6. Non ad

ad oculũ ſeruientes quaſi hominibus placentes: ſed ſicut ſerui Christi. Qui enim intendit placere hominibus ꝓpter Chriſtum, tali ſtudio ſeruit Chriſto. Item, tale placendi ſtudium aliquando adeo ardens eſt, vt propter illud faciat aliquis aliquid quod diſplicet Chriſto. Actor. 12. Videns Herodes quod placeret Iudæis: interfectio ſcilicet Iacobi; appoſuit vt apprehenderet & Petrum. Huiuſmodi intentio facit tale ſtudium culpabile. Vnde in eodem, ſuper illo verbo, An quæro hominibus placere? dicit glos. Sicut quando litteras accepi à ſacerdotibus, ad occidendos Chriſtianos; non quaſi adhuc hominibus placere velim, vt olim; quia ſic Chriſti ſeruus non eſſem. Et ideo dicitur ad Rom. 15. Vnusquiſque proximo ſuo placeat in bono. quod dicitur ad differentiam illorum, quos tale ſtudium ducit ad malum. Duplici igitur ex cauſſa poteſt eſſe huiuſmodi placendi ſtudium culpabile. Vel ex parte finis: cum ponitur vltimus finis in eo: vel ex parte intenſionis ſeu ardoris; cum adeo vehemens eſt, vt inducat ad aliquid, quod Deo diſpliceat. Aliter vero poteſt quis placere Deo, & ſecure velle placere hominibus, ſcilicet propter Deũ & in bonum. Et ſic faciebat Paulus 1. ad Cor. 10. Per omnia omnibus placeo. de quo maxime concionatori curandum eſt. Neceſſarium enim eſt ei non parum, vt libenter videatur, quocunque declinat: & vt libenter audiatur; & vt facile ſua doctrina executioni mandetur; & vt facile ſibi adquieſcatur in ſuis conſilijs; & vt correctiones illius patienter ſuſtineantur; & vt in ſuis neceſsitatibus, ſi indigeat, deuote ſubueniatur eidem. Quis autem hæc, vel eorum aliquid, exhibuit hominibus, ſibi diſplicentibus? Proinde, non ſolum bonis, ſed etiam malis: non ſolum amicis, ſed etiam aduerſarijs: non ſolum domeſticis, ſed etiam extraneis: immo & omnibus, exemplo Apoſtoli, laborandum eſt prædicatori, propter Deum placere: alioquin parum proficiet apud eos, ad quos mittitur, ſi diſpliceat. Sicut ſecundum Gregor. parum apud Deum proficit, cum, is qui diſplicet, mittitur ad intercedendum. Porro ad huiuſmodi placendi ſtudium adquirendum valent multa. Primum eſt, vt caueatur a cuiusque offenſione. Vnde 2. ad Cor. 10. cum dixiſſet Apoſtolus. Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ: ſtatim ſubiungit: ſicut & ego per omnia omnibus placeo. Vnde glos. Per omnia omnibus placere, eſt ſine ſcandalo cuiusquam agere. Scandalum vero idem eſt quod offenſio. Secundum eſt, vt aliorum vtilitati opera impendatur. Vnde ibidem Apoſtolus, cum dixiſſet. per omnia omnibus placeo: ſubdit immediate. Non quærens quod mihi vtile, ſed quod multis. Glos. per omnia omnibus placere, eſt agere ad profe-

Gal. 1.

Concionator debet licite placere hominibus.

Quæ parent Concionatori hominum gratiam.

ctum aliorum. Tertium eſt, vt pro quolibet, libenter, quod petit fiat. Tit. 2. Super illo verbo. Seruos dominis ſuis in omnibus placentes, non contradicentes. dicit glos. hoc modo poterunt placere, ſi non murmurauerint, cum domini eos aliquid iuſſerint. Si autem faciunt ſine murmure, ſiue libenter, quod mandat dominus: id facit ſeruum placere ſuo maiori cui tenetur: quis dubitet, quin hoc multo magis faciat quemlibet placere alij, cui minus tenetur? Quartum eſt, vt infirmitates aliorum pariter portentur. Rom. 15. Debemus imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placree. non quod nobis placea, t ſemper decernere, ſed quod fratri. Inde ſit per hoc, vt valde placeat, cuicunque fratri & proximo, cum infirmitas eius patienter fertur. Quintum eſt, cum quis aliorum moribus ſe conformat. Naturale eſt enim, vt complaceat ſibi quilibet in ſuo ſimili. Propter quod dicitur, Prouerb. 3. Pater in filio complacet ſibi, quaſi in ſua imagine. Et ideo non eſt mirum ſi Paulus placebat omnibus, qui omnia omnibus factus, ſe omnibus conformabat. Sextum eſt, vt nihil potentia, ſeu duritia; ſed ratione, vel benignitate, apud omnes agatur: Et ideo in vita Clementis dicitur de eo, quod ita morum ornamento pollebat, vt Iudæis & gentibus, & Chriſtianis placeret. Et ſubditur ratio in hunc modum; Diligebant eum gentiles, quia non execrando, ſed rationem reddendo, oſtendebat ex libris eorum, vnde nati eſſent, & qualiter defeciſſent. Iudæorum vero gratia vtebatur, ex eo quod legem eorum ſacratiſsimam memorabat, primumque eos locum habituros, ſi ſuæ legis ſacramenta ſeruarent. A Chriſtianis vero diligebatur: quia ſingularum regionum inopes, ſcriptos habebat nominatim, & eis prouidebat. Ex quibus patet, quod ratio, & benignitas, eum placere omnibus faciebat. Cum igitur hæc valeant ad huiuſmodi placendi ſtudium adquirendum, quod neceſſarium eſt ſeruo Dei, præſertim concionatori, debet is dare operam huiuſmodi exercere. Quod ſi forte faciens quod in ſe eſt, non placeat aliquibus; iam eſt illorum vitium, non ipſius. Dauid enim quamuis diceretur aſpectu deſiderabilis; & eſſet acceptus in conſpectu regis Achis: tamen ſatrapis non placebat, propter eorum inuidiam, ſicut dicitur, 1. Reg. 39.

1. Cor. 9.

S. Clemens omnibus placebat.

IN

IN CAP. X. ET XI. REGVLÆ VGO.

QVando proceditis, ſimul ambulate: cum veneritis, quo itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum: ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Sancta ergo perfectorum Eccleſia, non ſolum floret honore Religionis, ſed etiam honeſtatis decore pollet. ſicut ſcriptum eſt; Flores mei fructus honoris & honeſtatis. Religioſum quippe, & honeſtum eſt, vt ſicut ſimul habitant fratres, ita quoque ſimul ambulent, & ſimul ſtent. Et Apoſtolus præcepit vt omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant. Poteſt quoque in hac corporali coniunctione, aliquid ſpirituale intelligi. Sanctorum quoque ſocietas, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata deſcribitur. Caſtrorum namque acies, cum ad bellum ſe præparat, prius ſe coniungere, atque ordinare feſtinat; ne ab hoſtibus interrumpi, aut penetrari valeat. Sic nimirum noſtra ſpiritualis acies, quæ bene coniuncta, & ordinata ſimul ſtare præcipitur, contra diabolum quotidie munitur ad bellum; vt videlicet, ex ſua coniunctione, terreat antiquum hoſtem, qui in ſeruis Dei nihil tam timet, quam concordiæ vnitatem. Sed valde notandum eſt quod dicitur. *In omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum: ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* Sic viuere debent canonici, vt à nemine iuſte valeant reprehendi. valde enim incongruum eſt, vt ipſi reprehenſibiliter viuant, quorum ordo exigit vt ceteris formam ſanctitatis oſtendant. Nam ad eos hæc ſententia pertinet, qua dicitur, Eſtote ſancti, ſicut & ego ſanctus ſum, dicit Dominus. vere ſancti eſſe debemus, qui nomen & habitum Religionis & ſanctitatis ſuſcepimus, qui diuino cultui ſimus mancipati, ſacriſque altaribus Chriſti conſecrati, et diuinis myſterijs ordinati. Ergo ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Non præcipit Apoſtolus, tantum vt ita ſimus: ſed ſic nos exiſtimet, inquit, homo. Non enim ſufficit nobis vita ſancta, niſi ſit & fama bona. Nam vita bona nobis neceſſaria propter nos: fama vero bona propter alios. Vnde rurſus ait Apoſtolus. Oportet nos ab his, qui foris ſunt, habere bonum teſtimonium. Sic ergo debemus viuere vt vita concordet cum

Religioſum omnino eſt, ſociũ habere itineris.

Eccli. 14.

1. Cor. 14.

Cant. 6.

Decorum maxime Religioſos decet.

Leu. 11.

1. Cor. 4.

Fama Religioſo neceſſaria.

1. Tim. 3.

cum nomine: & profeſſio teneatur in opere: vt ſi ſanctus eſt ordo, ſancta ſit conuerſatio: & ſicut bene de nobis dicitur, teſtimonio bonæ actionis comprobetur. Tunc enim Religioſe viuimus, ſi illicitos motus ſub diſciplina coercemus. Si membra & ſenſus noſtros ſtudeamus reſtringere, vt non poſſint laſciuiæ, & leuitati deſeruire: vt aſpectus noſter ſit ſimplex & humilis: ne fixe aſpiciat oculus, quod illicite concupiſcat animus: vt noſter auditus ſit purus, & diſcretus; ea quæ ſuperflua ſunt & vana reſpuens; ea quæ Dei ſunt, gratanter ſuſcipiens: vt ſermo noſter ſit ſale conditus; ocioſa, & nociua deteſtans; bona & vtilia commendans: vt ſit in corde munditia; in vultu pudicitia; in inceſſu grauitas; ſtatus, cum reuerentia; motus, cum maturitate; habitus, cum Religione; quatenus vbique reſplendeat ſanctitas: ſuperemineat honeſtas: ſeruetur humilitas.

Religioſi mores, quales.

IN CAP. X. REGVLÆ VMBERTVS.

CAP. LXXII.

QVando proceditis, ſimul ambulate. cum veneritis quo itis, ſimul ſtate. Quoniam multũ decet viros Religioſos, & ſanctos honeſte ambulare ad eos qui foris ſunt, ſicut dicitur. 1. Theſ. 4. Ideo hic ponitur mandatum circa honeſtatem, quę prouenit ex ſocietate in ambulando. Et nota, quod quamuis ire cum ſocio pertineat ad Religioſi cuiuslibet honeſtatem: tamẽ ſpecialiter pertinet hoc ad diſcipulos Domini, propter eius negotium, diſcurrentes per mundum. Hinc eſt, quod Dominus miſit in Ægyptum, pro ſuis negotijs Moyſen, non ſolum, ſed illi adiunxit Aaron, Exod. 4. Venerunt ſimul Moyſes & Aaron, & congregauerunt cunctos ſeniores filiorũ Iſrael. Et poſt, frequenter dicitur, quod ſimul intrabant ad Pharaonẽ, & ſimul loquebantur, & ſimul reſpondebant eidem. Hinc eſt etiam, quod Chriſtus diſcipulos ſuos miſit binos & binos, ſicut dicitur, Luc. 10. Hinc eſt iterum, quod ſpiritus ſanctus Paulũ vel Barnabam quantumcunque eſſent ſufficientes, ſolos non aſſumpſit ad opus ſuum, ſed ſimul aſſociatos. Segregate, inquit ſpiritus ſanctus, Paulũ & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Actor. 13. Nunquid item collegium Apoſtolorum, quod erat Hieroſolymis, cum audiuiſſet, quod recepit Samaria verbum Dei, miſit ſolum Petrum, vel ſolum Ioannem, quorum vterque vir tantus fuit? Non vtique ſeorſum, ſed ſimul miſerunt, inquit, Petrum & Ioannem, Actor. 8. Item, nun-

Pro ſocietate in itinere, multa.

nunquid reſeruatur ſolus Enoch, aut ſolus Helias ad veniendum in fine mundi contra Antichriſtum, & ad ſubueniendũ electis? nequaquam; ſed ſimul venient; ſicut patet, Apocal. 11. Item, Ioſue non vnum ſolum, ſed duos exploratores miſit ad terram aduerſariorum. Ioſue. 2. Item, nunquid Tobias mittere voluit filiũ ſuum ſine ſocio ad terram longinquam, pro pecunia repetenda? Nonne Deo ordinante ipſi datus eſt angelus in ſocium in ſpecie viri Tob. 5. Proinde, quantumcunq; ſint viri ſpirituales, vel etiam ſapientes, nunquã debent ſoli ambulare, vel ſoli ſtare, vbicũq; declinent. In cuius figuram, in tabernaculo, non erat vnus ſolus cherubin ſed duo, mutuis ſe vultibus reſpicientes Exod. 15. Ad ſciendum autem quantum conferat huiuſmodi ſocietas ad honeſtatem. Notandum quod diabolus citius inuadit, vel procurat inuadi tentatione rei inhoneſtæ, ſolum, quam aſſociatũ; ſicut latro inuadit peregrinum, ſolum facilius, quam cum ſocio exiſtentem. Gen. 39. Accidit autem vt quadam die intraret Ioſeph domũ, & operis quidpiam abſque arbitris faceret. Et illa, ſcilicet vxor Phutipharis, apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret, dormi mecum. Nunquid meretrix illa, laqueus diaboli, impetiſſet eum de turpitudine, ſi ſecum habuiſſet ſocium? non arbitror. Item, cum eſt aliquis ſolus, facilius conſentit turpi tentationi: quia multa ſunt turpia, à quibus non abſtinent homines propter Deum: à quib' propter homines, abſtinent. Vnde Eccleſ. 23. dixit fornicarius. Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me. Quem vereor? Et ideo facilius conſentit in peccatum. Vnde de quodam monacho dicitur, quod cum manſiſſet ſexaginta annos in clauſtro, virgo & innocens: vltimo anno miſſus ſolus pro negotijs Abbatiæ, incurrit in tentationem, & conſentiens, amiſit virginitatem; & eodem anno mortuus eſt. Item, ſi contingat aliquem cadere in peccatum, & habeat ſocium, qui hoc aduertat; feſtinat ſocius eum eleuare: ſi autem neſciat, nihilominus inſpirante Deo, ipſe peccator, interdum ad eum recurrit: & confitendo, eius auxilio, nititur reſurgere, qui, ſi ſolus fuerit, nec habeat ad quem recurrat, vel qui ei manum porrigat; diutius moratur in peccato; ſicut qui cadit in lutum, nec habet adiutorem. Et ideo dicitur Eccleſ. 4. Væ ſoli, quia, ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Cum igitur ſicut patet ex his: ſocietas profit ad hoc, ne tam cito tentetur quis de aliqua inhoneſtate: vel tentatus non ita facile conſentiat: vel cadens citius reſurgat: conſtat quod multum valet ſocietas, quantum ad illam partem honeſtatis, quæ eſt declinare à malo: Item, bonorum ſociorum eſt, ſe inuicem incitare ad bonum. Sicut peregri-

Solius animus, ac præſertim pudicitia, periclitatur.

Exemplum.

Commoda habentis ſocium.

ni ſolent, ſe incitare in via: vel mane ad ſurgendum; vel ad fortiter ambulandum, & ſimilia. Exemplum Auguſtini: qui lecta vita S. Antonij, dixit ſocio ſuo Alipio. Quid agimus? quid eſt hoc? Surgunt indocti? & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis ſine corde, ecce vbi verſamur in carne, & ſanguine. Et paſtores dicunt ad inuicem, Luce 2. Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt. Item, cum omnis homo habeat defectus, vbi ſunt duo ſocij, ſupplet frequenter vnus defectum alterius. Sicut Aaron defectum Moyſi in loquendo. & ipſe Moyſes pro eo apud Deum. Vnde Exod. 4. dicit Dominus Moyſi, Ipſe loquatur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent: & ſic in multis alijs ſe inuicem iuuabant. Item, Dominus non ſolum eſt in Domo, vbi duo, vel tres ſunt congregati in nomine eius, ſed etiam in via ſimul ambulantibus ſe adiungit, Luce 24. Et ecce duo ex illis ibant ipſa die, &cet. Et poſt. Et factum eſt dum fabularenrur, & ſecum quærerent; & ipſe Ieſus appropinquans; ibat cum illis. Quis autem dubitet quin Dominus ſit cum illis, quibus eſt in adiutorium omnis boni. Patet ex his quod ſocietas valet ad incitationem in bonum: ad complementum boni, alterius opitulatione: ad habendum adiutorium diuinum in bonum. quæ omnia valent ad partem illius honeſtatis, quæ in bono faciendo conſiſtit. Verum diſcipulos Domini diſcurrentes per mundum, non ſolum decet honeſtas, ſecundum duas differentias prædictas, ſed etiam aliquid aliud, pertinens ad honeſtatem, qualis in primis eſt claritas opinionis, quæ multum facit ad pulchritudinem honeſtatis. Sapient. 4. O quam pulchra eſt caſta generatio, cum claritate. id eſt, cum adeo clare & liquide conſtat de caſtitate, quod nulla ſiniſtra ſuſpicione offuſcatur. Ad hoc autem multum valet ſocietas. Citius enim oritur ſiniſtra ſuſpitio contra ambulantem, vel manentem ſolitarie, quam contra eum, qui ſocium habet. Et ideo dicit S. Bernardus ad Eugenium; Bonos contubernales habeas; qui vitæ & honeſtatis tuæ cuſtodes ſint & teſtes. Aliud eſt, ſtatus dignus honore. Vnde Dominus conqueritur de Iudæis Ioan. 8. quod ſe miſſum à patre non honorabant: Et vos, inquit, inhonoraſtis me. Maiori autem honore videtur dignus qui habet ſocium, ſicut conſueuerunt ire viri honeſti: quàm qui ſolus vadit; ſicut conſueuerũt abiecti ire. Aliud eſt, aliorũ de ſe fides. Qui enim vadit ad negotia domini, ſi non creditur ei, adhibet teſtem, ſocium ſuum. Eſt igitur talibus neceſſarium, vt habeant per quod credatur eis; hoc autem eſt ſocietas.

Exemplum.

Matt. 18.

Societas ad famam facit.

tas. Quia in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. Matth. 18. Cum igitur ſocietas famulos Dei faciat claræ famæ, & ponat in ſtatu digno honore, & faciat eis fidem: hæc omnia ſunt eis valde neceſſaria, cum alijs ſupradictis. vnde dicitur eis, *quando proceditis, ſimul ambulate: cum veneritis quo itis, ſimul ſtate.* Et debent Profeſſi Regulæ D. Auguſtini cauere, ne in via, vel hoſpitijs, ſe, qualicunq; occaſione, diuidant, etiam propter fructum animarum; niſi propter neceſſitatem ineuitabilem; quia melius eſt eis aliorum vtilitatem negligere, quam cum damno proprio, mandatum ſuæ profeſsionis præterire.

IN CAP. XI. REGULÆ UMBERTUS.

IN inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiusquam offendat aſpectum: ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Quædam eſt honeſtas, quæ oritur ex re extrinſeca & rationis experte, vt eſt habitus: quæ quidem magna eſt. quædã vero, quæ oritur ex re extrinſeca, ſed rationis participe; vt eſt ſocietas: quæ eſt maior. Quædam, quæ oritur ex re intrinſeca, & cum ratione coniuncta vt diſciplina in actibus: & hæc eſt maxima. Traditis ergo mandatis circa duo prima ordinate, tradit hîc mandatum tertium. Et primo in generali: ſecundo in particulari. ibi, *Oculi veſtri &c.* Et notandum, quod ſecundum Vgonem de S. Victore, Diſciplina, eſt conſeruatio honeſtatis, cui parum eſt malum non facere: ſed ſtudet etiam, in ijs, quæ agit, per omnia, irreprehẽſibilis apparere. Et ideo tradit hîc mandatum, continens duo: ſcilicet quid circa hoc cauendum, vbi dicit, *In inceſſu.* & quid agendũ vbi dicit, *ſed quod veſtram deceat ſanctitatẽ.* Et quia aliquando in ambulando; aliquando in quieſcendo; aliquando circa habitum exteriorem; aliquando circa geſtus ſiue motus corporis extrinſecos, talia fiunt à quibuſdam, quæ oculos multorum offendunt; ponit mandatum circa hæc quatuor. vt ſic diſciplinate ſe habeat ſeruus Dei in his omnibus, & irreprehẽſibiliter; vt nullus in aliquo iſtorũ quatuor offendat cuiuſquã aſpectũ, ſcilicet in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris: hoc eſt geſtibus &cet. Notandum vero, quod in inceſſu ſolent reprehenſibilia reperiri. Sunt enim quidã, qui nimis feſtine incedũt, adeo vt interdum præcipitent ſemetipſos. Iſti ſunt ſimiles illi Iehu ſanguinario, de quo dicitur 4. Reg. 9. præceps enim graditur. Hoc autem

Cap. LXXIII.

Vitia inceſſus.

tem non eſt ſine offenſa videntium. Prouerb. 19. Qui feſtinus eſt pedibus, offendit; non ſolum interdum cadendo, ſed & oculos intuentium; maxime ſi Religioſus ſit præceps. Alij ita lente, & pedetentim incedunt: ſicut ſolent incedere, qui numerant pedes. Quid autem mirum, ſi hoc in viro reprehenſibile ſit; cum etiam in mulieribus delicatis filiabus Sion hoc Dominus reprehendat, dicens, Eſai. 3. Et pedibus ſuis compoſito gradu incedebant. quod dicitur in reprehenſionem earum. Item contra, Ezechiel. 1. de ſanctis animalibus dicitur. planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli. Bos enim valde lente incedit: ſed vitulus non tam lente: ſed quia iſte debet eſſe modus in viro ſancto, vt nec nimis cito, nec nimis lente incedat: ſed modo mediocri, quæ eſt maturitas: ſicut tangitur in gloſ. ſuper iſtum locum. Alij ſunt qui ita incaute incedunt ſine vlla animaduerſione vt modo offendant ad lapidem; modò ponant pedem in luto; modo impingant in alios; modo corruant in via; modo non teneant viam bonam. Et hoc eſt ambulare ſecundum modum cæcorum. Sophoniæ. 1. Ambulabant, vt cæci. contra vero dicitur prouerbio: 4. Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Ad hoc enim ſpecialiter dati ſunt oculi, vt dirigant greſſus. Alij ſunt, qui incedunt collo extento, vt filiæ Sion: ceruice erecta, ut cerui: pectore prominente, vt gallus: cum commotione ſcapularum, & brachiorum ventilatione, quaſi remigantes. cum cubitorū apertione, ſe per ventrem tenendo, vt domicelli; & alios irreuerenter præcedendo. quæ omnia ſunt ſuperbiæ ſigna: & valde dedecent virum Religioſum. Ideo contrà dicit Apoſtolus ad Epheſ. 4. Obſecro vos, vt ambuletis cum omni humilitate. Alij ſunt, qui incedendo ſemper videntur triſtes; neminem ſalutantes: nemini affabilem ſe oſtendentes; nunquam alium recreantes; nullum, in aliquo, verbis bonis ædificantes: ſed quaſi in amaro ſilentio tota die

Pſal. 42. pergētes. Super quo ſeipſum Dauid reprehendit dicens. Quare triſtis incedo? Contra vero dicitur, Actor. 8. de Eunucho baptizato, Ibat per viam ſuam gaudens. Si autem filij Iſrael ibant in Hieruſalē gau-

Pſalm. 121. dentes, iuxta illud, In domum Domini lætantes ibimus: quantum gaudendum eſt omni ſeruo Deo, in omni via ſua, cum ſit ei via

Leuitas cauen-da in via. ad cælum? Alij ſunt, qui, cum deberent in via, ſe in pſalmis vel orationibus dicendis, vel in ſacris meditationibus, vel collocutionibus vtilibus occupare; effundunt ſe in leuitatibus, & non ſine offenſa

Exemplum. intuentium. Accidit, vt quidam Religioſus, cum concionatus fuiſſet laudabiliter in quadam parochia, facto prandio recedens, cum eſſet iuxta villam, ceperit ſe leuitati dare cum ſocio: ſicut fit interdū

ab

ab aliquibus;qui modo percutiunt ſocium;modo faciunt eũ cadere;
modo extrahunt ei capucium,& ſimilia. Sequebatur autem eos quædam vetula,quæ fuerat in concione(quod illi non aduertebant)quæ cepit aliquoties dicere, Domine, nonne ille es, qui hodie concionem habuit? Cum autem audirent vocem; reſpicientes, viderunt vetulam; & quæſiuerunt quid dixiſſet. At illa dixit ei,qui concionatus fuerat; Domine, ego quærebam num eſſes ille, qui hodie concionatus eſt. At ille; Et quare dubitas; cum ego ſim vere ille, qui concionem habui. At illa, Domine, nos habemus quendam ſacerdotem iuuenem, qui valde appoſitè cantat miſſam: ſed interdum, illa die, qua celebrauit, diſcurrit per domos;& cum inuenerit iuuenculas, ponit manum ſuper illas & ludit cum illis. Et cum dicitur ei: Quid eſt hoc, quod facis? nonne celebraſti hodie? Reſpondit & dicit. Ego non ſum ille,qui celebrauit:ſed ego ſum quidã iuuenis & ludo. Ideo domine, ego quoque putaui,quod non eſſes ille,qui concionem hodie habuit, exemplo ſacerdotis noſtri. Valde enim aliter te habes in his inhoneſtis ludis,quam hodie in ſermone. Quanta confuſio fuerit in illo religioſo ſuper hoc; & quantum ſcandalum vetulæ; qui legit intelligat, & caueat à ſimilibus: ſaltem exemplo mulieris illius, quæ dicit Tobiæ 3. Nunquam cum ludentibus me miſcui; neq; cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Sunt alij tam mobiles, vt conſiſtere ſecum non valeant; ſed nunc ibi, nunc alibi ſubito compareant; ſemper diſcurrentes, nunquam quieſcentes. Iſti ſunt ſimiles illi, de quo dicitur Hieremiæ 14. Qui dilexit mouere pedes ſuos.& non quieuit, & domino non placuit. Et hos vocat B. Benedictus girouagos. contra vero dixit Dominus Apoſtolis, vt quieſcerent, ſaltem quouſq; abundantiam Spiritus ſancti haberent, qui eos exterius indueret. Sedete, inquit, in ciuitate quouſq; induamini virtute ex alto. Luc: vltimo. Sunt alij, qui vadunt non ſolum leuiter, ſed inutiliter; nihil boni temporalis vel ſpiritualis in tota via facientes. ſed contra dicitur Apoſtolis. Eatis, & fructũ afferatis. Sunt alij, *Ioan. 15.*
qui non ſolum infructuoſe, ſed & damnoſe; facientes interdum vias *Hoc eſt militũ*
nouas, frangentes ſepes; conculcantes ſata, & ſimilia quędam; cum damno pauperum, & ſcandalo plurimorum. at contra dicunt filij Iſrael regi Edom. Num. 20. Non ibimus per agros; nec per vineas; nec bibemus aquas de puteis tuis; ſed gradiemur publica via; nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinantes. Cum igitur hæc prædicta multorum intuentium oculos ſoleant offendere, curandum eſt non modicum ſeruis Dei, & illis præcipue, qui multum habent di- *1. Cor. 4.*
ſcurrere,& ſpectaculum facti ſunt mundo & hominibus, vt ſint dies

P clara

clara, & illuminata doctrina apud omnes: ita vt omnia notent, vt ſic honeſte ambulent, quaſi in die, & tam diſciplinate, vt in incedendo non appareant notabiles, vel nimia feſtinatione; vel nimia tardi tate; vel incuria; vel in aliqua ſuperbia: vel incongrua triſtitia; vel leuitate diſſoluta; vel facilitate diſcurrendi; vel diſcurſu infructuoſo; vel, quod grauius eſt, damnoſo.

Cap. LXXIIII. Circa ſtatum ſciendum eſt, quod non accipitur ſtatus ſolum, prout dicitur à ſtando, ſecundum quod dicitur aliquis erectus ſtare; ſed prout opponitur motui ambulandi. ſecundum quod, dicitur ſtare, quicunq; non mouetur eundo. Circa ſtatum vero ſic acceptum, multa ſunt reprehenſibilia. *Vitia manſionis ſeu quietis.* Vnum eſt, cum quis non poteſt ſecum ſtare; ſed ſemper cum alijs. nam, ſecundum Senecam, Signum eſt bonæ mentis, ſecum conſiſtere. Et idem dicit. Quoties inter homines fui, minus homo redij. Ideo dicitur Exod. 16. Vnuſquiſq; maneat apud ſe. Aliud eſt, cum quis, etiamſi conſiſtat ſecum, tamen eſt ocioſus ab actione: Matth. 20. Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Ideo dicitur de B. Gregorio; quod quamuis infirmaretur grauiter, propter abſtinentiam, & orationes; tamen aut ſemper orabat; aut legebat; aut ſcribebat; aut dictabat: quod etiam de multis alijs ſanctis reperitur. Aliud eſt, cum quis vacat ab exterioribus actionibus; quia non ſemper poteſt illis aliquis occupari. & tamen non exercetur interius mens eius contemplationibus. Ad hoc enim ſabbato vacabatur ab operibus corporalibus, vt liberius mens poſſet contemplationi diuinæ intendere. *Pſalm. 45.* Vnde Pſal. Vacate & videte. *Salutaris doctrina de meditatione.* Proinde vir ſanctus quieſcens, & non occupatus exterius, debet contemplationi intendere, vel ſpeculationi. ſicut ſpeculator quieſcens in ſpecula: qui modo ante; modo retro; modo ſupra; modo à dextris, modo à ſiniſtris, ſubtiliter ſuum obtutum dirigit: Eſaiæ 21. Super ſpecula domini ego ſum ſtans. Et bene dicit domini; quia ad ea quæ Dei ſunt, & non ad alia debet eſſe contemplatio viri ſancti. Reprehenſibile ergò eſt in viro ſancto, quieſcente: vel cum ſecum ſtare nō poteſt: vel cū ſtans ſecū, eſt ocioſus ab opere: vel ceſſans ab opere: ſpeculationi nō vacat; vt modò ſuprà, celeſtia; modò infra, infernalia; modò ante, futura; modò retro, præterita; modò à dexteris, proſpera; modò à ſiniſtris, aduerſa non contēpletur. *Conſuetudo cum fœminis fugienda.* Porro in cōmorando cum alijs ſunt multi reprehenſibiles. Sunt enim quidam, qui nimis libenter commorantur inter mulieres; quod non eſt ſine nota & offenſa videntium. *Exemplum.* Legitur, quod, cum quidam iuuenis coram Pythagora diceret, ſe libentius inter mulieres, quam inter philoſophos

ſophos verſari: dixit Pythagoras; Et ſues libentius in luto, quam in aqua pura verſantur. Item Zach. 12. Familiæ domus Dauid ſeorſum; & mulieres eorum ſeorſum. familiæ domus Nathan ſeorſum; & mulieres eorum ſeorſum. familiæ domus Leui ſeorſum; & mulieres eorum ſeorſum. familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. omnes reliquæ familiæ ſeorſum; & mulieres eorum ſeorſum. Item, dicitur quod propter hoc, Ioſeph, & Maria amiſerunt puerum Ieſum: quia erat conſuetudo quod viri & mulieres ibant ſeorſum, & putabant vterq;, quod eſſet tanquam puer in alterutra turma. Si ergo philoſophi ſic deteſtantur conuerſationem mulierum: ſi Iudæi tantam diſtinctionem inter hos faciebant: ſi etiam parentes Domini Ieſu, ipſum propter hoc neglexerant; quantum cauendum eſt viro ſancto, & propter periculum, & propter famam, ne libens commoretur inter mulieres? Ideo dicitur Eccleſ. 42. In medio mulierum noli commorari. Sunt alij, qui libentius morantur inter leues, quàm inter bonos, contra doctrinam Senecæ dicentis. Inter illos commorare, qui te meliorem facturi ſunt. Eccleſ. 37. cum viro ſancto aſsiduus eſto. Sunt alij qui libentius morantur inter magnates, quam inter conſimiles: at contra. Eccleſ. 13. dicitur. Aduocatus à potente, diſcede. Si autem ei qui aduocat eſt diſcedenndum, quanto magis cauendum eſt bono viro, ne ſe ei ſponte iungat? Non autem ſic de conſimilibus Eccleſ. 27. Volatilia ad ſibi ſimilia conuertuntur; ſcilicet ad morandum. Nonne columba libentius moratur cum columba, quam cum magnis aquilis, vel vulturibus? Patet ergo, quod vir diſciplinatus, cum ei commorandum eſt inter alios, libentius ſtare debet inter viros, quam inter mulieres: libentius inter bonos, quam inter leues: libentius inter conſimiles, quam inter magnates. Item, quantũ ad loca, ſunt quædam reprehenſibilia circa manentes. Sunt enim quidam, qui libentius ſunt in locis frequentibus, quàm in infrequentibus: ſimiles hypocritis, de quibus dicitur Matt. 6. Amant in angulis platearũ, ſtantes orare. contra vero dicit. Heb. 11. In ſpeluncis & in cauernis terræ. Vnde & de Saule, qui bonus fuit ante regni ſuſceptionem dicitur, 1. Reg. 10. Ecce abſconditus eſt domi. Alij vero ſunt, qui nimiſq; libenter manent in locis periculoſis; vt ſunt locutoria; in quibus lingua peccatur: ſpectacula; in quibus peccatur viſu: diuerſoria hoſpitiorum, & infirmorum, in quibus & gula, & multis alijs peccatur. Contra vero dicitur de Dauid 1. Reg. 24. quod habitabat in locis tutiſſimis Engaddi; quia vir ſanctus, eſſe in locis, quæ magis ſecura ſunt à peccato,

Luc. 2.

Contra magnatũ familiaritatem affectantes.

Vitia ex loco.

à peccato libentius debet. Sunt igitur alij, quibus videtur graue, eſſe in Eccleſia & in huiusmodi locis ſanctis: quod non eſt dubium fieri, procurante diabolo, qui huiuſmodi loca horret. at contra dicitur Ioann. 19 Stabat iuxta crucem, Maria mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Item cap. 20. Maria ſtabat ad monumẽtum. Dicitur etiam de quodam ſancto ſacerdote, qui, cum non habebat quod ageret, erat ſemper in Eccleſia, in choro. Interrogatus vero quare hoc faceret, dixit, ſe præſtare ſocietatem Domino ſuo; intelligens de euchariſtia, quæ erat ſuper altare. Et hoc eſt quod dicitur Luc. 2. in commendationem Annæ propheteſſæ: Quod non diſcedebat de templo, ieiunijs, & orationibus, vel obſecrationibus, ſeruiens Deo nocte, ac die. Pertinet ergo ad virum ſanctum libentius morari in infrequenti, quàm in frequenti loco: libentius in loco ſecuro, quam periculoſo: libentius in locis ſanctis, quam communibus. Et ſic patet, quod ſunt tria reprehenſibilia circa ſtatum ex parte ſolitudinis. tria ex parte ſocietatis. tria ex parte loci, à quibus cauendum, propter diſciplinam ſeruandam in ſtatu.

Exemplum.

Cap. LXXV.

Circa hoc vero, quod ſubiungitur, *& habitu.* poſſet alicui videri, quod idẽ ſit quod hic dicitur de habitu, cũ illo quod ſupra dictũ eſt, *non ſit notabilis habitus veſter.* Ad quod dici poteſt, quod habitus duplici ex cauſa poteſt eſſe reprehenſibilis. vel ex ſe, cum eſt nimis pretioſus, aut mollis, & huiuſmodi. Vel ex opera humana; videlicet cum aliquid fit in ipſo, vel ab artifice, vel à deferente, quod eſt reprehenſibile. Ad primum pertinet quod ſupra dictum eſt. Ad ſecundum, quod hîc dicitur. Vnde ibi dicitur, *Non ſit notabilis habitus veſter.* quaſi dicat, de ſe. Hic autem dicitur: nihil fiat, ſcilicet ab aliquo. Vnde, ſicut dictum eſt, iſtud pertinet ad honeſtatem illam, quæ oritur ab extrinſeco. Iſtud vero ad illam quæ oritur ex animo. Vt igitur nihil fiat in habitu, quod non prætendat diſciplinam, prouidendũ eſt ſeruo Dei; vt eius veſtis non ſit nimis longa, vel breuis: nimis lata, vel nimis ſtricta: nimis ſciſſa, vel nimis clauſa: nimis formata, vel nimis informis: nimis defluens, vel nimis ſuccincta: nimis compoſita, vel nimis turpiter poſita; nimis nitida, vel nimis ſordida: nimis lacera, vel nimis refecta: nimis apta, vel nimis inepte relicta: nimis diſſuta, vel nimis curioſe conſuta. Quia vero ad habitum pertinent omnia, quæ exterius deferuntur; cauendum eſt etiam eidem circa panniculos, ſotulares, corrigias, cingula, menſulas, ſacculos, ſellas, ſigilla, manubria, & ſimilia: ne aliquid fiat in iſtis, quod ex pretio, vel ſuperfluitate, vel curioſitate, vel ſecularitate aliqua,

Habitus duplici nomine vitioſus.

Qualis veſtis Religioſi.

Suppellectilis Religioſi vitia

aliqua, vel alio modo quocunque poſsit reprehenſibile iudicari. Hæc enim viri ſancti multum in Religioſis ſolent deteſtari. Vnde Vgo de S. Victore in libello de diſciplina, poſtquam ſingulariter nominauit multos tales exceſſus, ſic dicit: Tædet me nominare omnia, in quibus ſtulti, & væcordes, mulieribus ſtudia ſua auferunt; & pene cum habitu, ſexum mutauerunt. Sunt enim mille modi, quibus vaniſsimi, de ſe ſpectaculum hominibus præbent in habitu. Sed hæc omnia debet ſeruus Dei deſpicere; cum videat nullos, niſi irriſione dignos, talibus deſeruire. Hæc enim omnia, veræ Religioni contraria ſunt: & qui his ſtudium adhibent: hominibus magis viles, & contemptibiles fiunt: qui vero hæc deſpiciunt; coram Deo, & hominibus, chariores, & honorabiliores fiunt, & ſunt.

CAP LXXVI. De compoſitione atque honeſtate membrorum.

Circa illud, quod dicitur de motibus: ſciendum, quod nõ accipitur hic motus, prout cõtrariatur quieti: ſed prout dicitur actus alicuius membri, vel plurium; qui quandoque vocatur geſtus. Eſt autem geſtus, ſecundum Vgonem, modus & figuratio membrorum corporis, ad omnem agendi, vel ſe habendi modum. Et ideo conuenit viro ſancto, vt videat attente, qualiter in omni motu membrorum, & in omni modo ſe habendi, diſciplinatus appareat. Porro, diſciplina in motibus membrorum, conſiſtit in hoc, vt vnum membrum alterius officium non accipiat, vt vnumquodque decenter exerceat, actum ſuum. Contra quod dicitur, Prouerb. 6. de apoſtata: cuius mens äuerſa eſt à Deo. Graditur ore peruerſo: annuit oculis; terit pede: digito loquitur. Vnde Vgo de hac materia ſic dicit. Sunt quidam, qui ſine buccis patentibus, auſcultare neſciunt: & quaſi ad cibum, ita palatum ad verba aperiunt. Sunt alij, qui in agendo, vel audiendo, quaſi canes ſitientes, linguam prætendunt; & ad ſingulas actiones labia, velut molam contorquendo, circumducunt. Alij, loquentes digitum extendunt; ſupercilia erigunt; & oculos in orbem rotantes, cuiuſdam intrinſecus magnificentiæ conatus oſtendunt: caput iactant; comam excutiunt; veſtimenta coaptando componunt: & latera, quaſi cubitando, pedesque oſtẽdendo ridiculoſam formam ſuæ oſtenſionis faciunt. Alij, alteram tantum aurium voci opponunt: quaſi ambæ non fuerint factæ ad audiendum. Alij, interdum ad videndum alterum tantum oculorum aperiunt. Alij, magis ridiculi, medietate oris loquuntur. Sunt præterea mille laruæ; mille corrugationes narium; mille contorſiones labiorum; quæ decorem diſciplinæ deturbant: & faciei pulchritudinem, quæ eſt ſpeculum diſciplinæ: cui tanto maior cuſtodia eſt adhibenda, quanto minus, quod in ea peccatum fuerit, celari poteſt.

hæc Vgo. Qualiter autem per diſciplinam caueantur quæ huiuſmodi ſunt, docet Bernard. dicens: Diſciplina ceruicem ſubmittit; deponit ſupercilia; componit vultum; ligat oculos; cohibet cachinnos; moderatur linguam: gulam frenat; iram ſedat; format inceſſum. licet autem viro diſciplinato cauendum ſit ab omnibus prædictis: tamen magis cauendum eſt cirà geſtibus ridiculis: qui ſcilicet incitant ad ridendum: vel moleſtis, qui alios turbant: vel deriſorijs, per quos alij deridentur: vel ſimiaticis, per quos aliorum geſtus repręſentãtur, ſicut ſimiæ faciunt: vel turpibus, vt impudici faciunt: vel iocularibus, vt faciunt hiſtriones. Hæc enim, quanto maioris ſunt indecentiæ, tanto magis dedecent viros deditos honeſtati. Patet etiam iam ex dictis, quid cauendum ſit in actibus membrorum. Sed quia geſtus, præter hęc, ſpectant etiam ad modum ſe habendi; ideo videndũ eſt, qualiter vir diſciplinatus; ſe debeat habere omni tempore, omni loco, in omni ſtatu, & cum omnibus, & perſonis, & actionibus.

Varia diſciplina pro rerum ac temporum varietate.

Sciendum igitur, quod aliter ſe debet habere in die; quia tunc operibus pijs, erga proximum; inſiſtendum eſt: aliter in nocte, quia tunc cõtemplatiue, Deo vacandũ eſt. Pſal. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. aliter in ferijs; quia tunc eſt magis corporalibus neceſsitatibus intendendum, Exod. 20. Sex diebus operaberis: quod intelligitur de pertinentibus ad corpus: aliter in feſtis; quia tunc ſpiritualibus eſt omnino vacandum. in eodem capite, Memento vt diem ſabbati ſanctifices; id eſt, ipſum ſanctũ habendo, operibus ſanctitatis intendas: aliter tempore tribulationis: quia gaudenter. Luc. 6. Gaudete in illa die, ſcilicet tribulationis: aliter tempore proſperitatis: quia timorate. Gregor. Magis eſt timenda fortuna proſpera, quam aduerſa. Item, tempore ſilentij ſe debet habere tacite. Eccleſ. 3. Tempus tacendi; ſcilicet ſilentij. tempore vero ſurgendi, ſtrenue, Eccleſ. 32. Hora ſurgendi non te frices: ideſt, pigre te habeas. Item, tempore ieiunij, læte, Matt. 6. cum ieiunatis, non eritis ſicut hypocritæ, triſtes: & ſic de alijs varijs modis, ſecundũ exigentiam temporum diuerſorũ, diuerſimode, ſecundũ congruentiã temporis ſe debet habere, Eccleſ. 3. Omnia tempus habent ſuum, ideſt diſtinctum.

Pſal. 41.

Locorum habenda ratio in diſciplina.

Quantum ad locum vero notandũ, quod in Religione ſunt diuerſa loca. Quidam locus orationis; vt oratorium: quidam diſciplinæ, vt capitulum: quidam doctrinæ, vt ſcholæ, & locus ſermonum: quidam ſtudij, vt cella: quidam neceſsitatis humanæ, vt refectorium, valetudinarium, hoſpitum locus, cubicula, & aliæ officinæ. quædam ad diuerſarum neceſsitatum officia deputata: quædam ad recreationis ſolatia pertinentia: vt locutorium, prata & horti; in qui-

quibus omnibus vir ſanctus, in modo ſe habendi, debet oſtẽdere diſciplinam. In oratorio ſiquidem exiſtens, ſe debet habere grauiter. *In templo.* Gregor. Abuſio clauſtri vna eſt, diſſolutio in choro. Iuxta altare, reuerenter. Idem, Alia abuſio, irreuerentia iuxta altare. Iuxta reliquias, timorate. Leuit. 26. Pauete ad ſanctuarium meum. In capitulo, *In capitulo.* ſtans in loco iudicij corrigendus, debet ſe habere ſicut Dominus ante Pilatum Præſidem: de quo Bernard. Stabat Ieſus ante Præſidem, demiſsis aſpectibus; vultu hilari; rarus ad verba: paratus ad opprobria: paratus ad verbera. In ſcholis, & loco ſermonis, attente, Pſalm. Attendite popule meus legem meam: hoc eſt attente audite. In cella, *In ſcholis. In cella. Pſal. 77.* vtiliter, vacando ſcilicet vtilibus. Hieremiæ 7. Bona facite ſtudia veſtra, ideſt vtilia: in refectione in menſa, in omni comeſtione, religioſe, *In refectorio.* vt, ſecundum doctrinam Vgonis, linguam à loquendo reſtringat: oculos non circumducat: ſed omnia membra, cum omni modeſtia contineat. Super eſcam ſe non effundat: ita munde comedat, vt ceteris abominationem, vel diſplicentiam, in aliquo, non faciat. In dormitorio, ita quiete, vt alios non perturbet. Cum *In dormitorio.* enim ſeruire Deo, regnare ſit; quotquot ſunt eius ſerui, ſeruiunt ei die, ac nocte. Dicitur autem, 1. Reg. 23. Tu quis es, qui inquietas regem; ſcilicet Saul dormientem? Si autem hoc adſcriptum eſt audaciæ; quanto magis ſunt reprehenſibiles, qui tot reges cęli, quieſcentes inquietat? In valetudinario, non queruloſe. Exemplum de *In valetudinario.* Lazaro, qui plenus vlceribus, & iacens àd ianuam diuitis, cupiebat *Exemplum.* ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis: ſed nemo ei dabat: tamen non legitur murmuraſſe. Lucæ 16. In hoſpitum loco, *In hoſpitum loco.* læte. Vnde Abbas Ioſeph in vitis patrum dixit; Reddenda ſunt quæ ſunt cęſaris cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Quando ergo eſt præſentia fratrum, cum gaudio debemus eos ſuſcipere: quando autem ſoli ſumus: opus habemus lugere. Exemplum de Zachæo, qui lætus, & gaudens, hoſpitio ſuſcepit Dominum, Luc. 19. In cubiculis, verecunde; *In cubiculis.* ideo enim ſunt in locis ſubobſcuris, vel etiam quia itur ad locum obſcurum, ad requiſita naturæ. 1. Reg. 24. Ingreſſus eſt Saul, vt purgaret &c. Porro, in alijs officinis neceſſarijs, ſic eſt diſciplina *In officinis.* ſeruanda, vt nunquam quis in eis compareat, niſi pro iuſta neceſsitate: ne ſimus ſimiles mulieribus illis, de quibus dicitur. 1. ad Timoth. 5. Curioſe diſcunt circumire domos; non ſolum curioſe, ſed etiam verboſe loquentes, quæ non oportet. In locutorio vero, *In locutorio.* debet ſic ſe habere, vt non ocioſa vel etiam peiora: ſed vera loquatur. 1. Petri. 4. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. *In pratis.* In horto vero, vel prato, ita collecto animo, vt ex inſpectis rebus ali-

aliquam ædificationem hauriat, exemplo Domini dicentis, Matt. 6. conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, &c. Et iterum, Luc. 21. videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia prope eſt æſtas: ita & vos, cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei. Secundum igitur loca prædicta, & alia quædam, diuerſi ſunt modi ſe habendi, pertinentes ad diſciplinam. Porro, quantum ad ſtatum; ſciendum, quod in ſtatu Prælati ſe debet habere vir bonus, ſolicite, Rom. 12. qui præeſt, in ſolicitudine. In ſtatu ſubditi, ſubiecte, Heb. 2. Subiacete Præpoſitis veſtris: quod eſt, quando non erigitur ſubiectus in Prælatum. In ſtatu ſanitatis, laborioſe. Matt. 8. Dimiſit eam febris, & ſurrexit & miniſtrabat eis. In ſtatu infirmitatis, conſolatorie. Tob. 5. Forti animo eſto, dixit angelus ad Tobiam infirmum. Quod eſt contra illos, qui in infirmitate nimis deijciuntur. Item, in ſtatu iunioris, vt ſunt nouitij, quaſi ignoranter: Eccleſ. 32. Adoleſcens, loquere in tua cauſa, vix cum neceſſe fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto, quaſi inſcius: & audi, tacens ſimul, & quærens: & loqui in medio magnatorum non præſumas: & vbi ſunt ſenes, non multum loquaris. Omnia quidem hæc ſunt ignorantiæ ſigna. In ſtatu ſenioris, ſapienter; vtilitati ſcilicet communi vacando. 1. Machab. 14. Senes de bonis terræ tractabant: quod pertinet ad ſapientes. In ſtatu ſublimi, humiliter, Eccleſ. 3. Quanto magnus es, in omnibus te humilia. In ſtatu inferiori, conſtanter: vt ſcilicet tali ſtatu contentus, non adſpiret ad ſublimiorem. 1. Cor. 7. Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed ſi potes liber fieri, magis vtere. Si autem hoc in ſtatu ſeruitutis eſt ſeruandum, qui eſt viliſsimus ſtatus inter infimos, quanto magis in alijs? Huius autem, glos. reddit rationem dicens. Quia quanto quis deſpectior eſt in hoc ſeculo, propter Deum, tanto magis exaltabitur in futuro. Sic & in alijs multis diuerſis ſtatibus, diuerſa competunt: in quibus vir diſciplinatus diuerſimode ſe debet habere: ſicut & Chriſtus, vt Deus; vt homo; vt rex; vt ſacerdos; vt Dominus; vt magiſter; vt iudicandus; vt iudex; aliter cum perſonis ſe habuit, & ſe habebit. Notandum eſt iterum, quod diuerſimode ſe debet cum diuerſis habere Dei ſeruus. Ad Prælatos, obedienter. Heb. 12. Obedite Præpoſitis veſtris: ad ſocios, & æquales, amabiliter. Bern. Sociali ter, vt amare appetas, & amari. ad minores, paterne: eorum ſcilicet ædificationi intendendo: ſicut Chriſtus docebat diſcipulos ſuos; & Tobias filium: & Apoſtolus, qui dicit. 1. Cor. 3. Tanquam paruulis in Chriſto lac dedi vobis: cum officialibus, tranquille; non per-

Varia officia, variam diſciplinam requirunt.

Matt. 23.

Varia cum varijs perſonis diſciplina & agendi modus.

perturbando eos. 1.Theſ. 5. Propter opus illorum, pacem habete cum illis: cum diſcolis, pacifice. Pſal. cum his, qui oderant pacem, erain pacificus: cum viris ſanctis, ſancte. Pſal. cũ ſancto ſanctus eris. id eſt ſancte te habebis; nihil corã eis faciens cõtrarium ſanctitati. Item, cum externis, ſapienter; quia neſcitur quid intendant. Coloſ. 4. In ſapiẽtia ambulate ad eos qui foris ſunt. Cũ mulierib⁹, pudice. 1. Tim. 5. Anus obſecra, vt matres: iuuẽculas, vt ſorores, in omni caſtitate: videlicet, vt ſint cum eis, & inter eas, verba ſcilicet caſta; intuitus caſtus; geſtus caſti; ita vt in omnibus appareat pudicitia: cum pauperibus, affabiliter: Eccleſ. 4. Pauperum congregationi affabilem te facito: cum diuitibus, vrbane. ne ſcilicet exaſperentur: ſed quadam ſagaci vrbanitate attrahantur ad bonum. Nonne vrbane, ſe habuit Dominus ad Zachæum diuitem, inuitando ſemetipſum ad conuiuiũ apud eum, vt dicitur Lucæ 19. et comedendo cum publicanis, qui erant diuites & peccatores; vt dicitur Matt. 9. Cum domeſticis ſecundum carnem, ſpiritualiter: ſicut Bernardus; qui nouem fratres ſuos attraxit ad Ordinẽ ſuum: & ſicut Paulus, qui dixit Rom. 9. optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Quod dixit, ſecundum gloſ. ad exprimendum ſuum magnum deſiderium ſalutis eorum, qui ſibi, ſecundum carnẽ coniuncti erant. cũ aduerſarijs, patienter: ſicut oues inter lupos. Rom. 12. Non uosmetipſos defendentes chariſsimi. Deniq;. debet in conuerſatione ſua, bonum exemplum oſtendere omnibus. Rom. 12, Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. In ſuis actibus, ad omnes ſe manſuete habere. 2. Timoth. 2. Seruum Dei oportet manſuetum eſse àd omnes. Cum omnibus, de eorum vtilitate agere, vt omnes Deo lucrifacere laboret. Eccleſ. 37. Cum viro irreligioſo, tracta de ſanctitate; & cum iniuſto, de iuſtitia; & cum muliere, de his, quæ æmulatur: cum timido, de bello: & cum negotiatore, de traiectione; cum emptore de venditione; cum liuido, de gratijs agendis: cum impio, de pietate; cum inhoneſto, de honeſtate; cum operario agrario, de omni opere; cum operario annali; de conſuetudine anni: cum ſeruo pigro, de multa operatione: & ſic de alijs, ſecundum doctrinam Gregor. in paſtoral. dicentis, quod aliter & aliter docendi ſunt diuerſi. Et Paulus diuerſimode inſtruebat diuerſos, ut ſeruos, dominos, mulieres, & viros, ſenes, & adoleſcentes, virgines, & coniugatas. Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, & alia genera hominum. Poſtremo notandum, quod ſunt actus quidam, quibus homo ad ſe vtitur. alij, quibus ordinatur ad Deum. alij, quibus debet agere cũ proximo: in quibus omni-

Pſal. 119.

Pſalm 17

Varia diſcipline in rebus ad ſe, ad Deum, ad proximum ſpectantibus.

bus eſt ſeruandus modus ſe habendi diſciplinatus. Primi ſunt ſtare, iacere, ſedere. Stando autem, debet oculos demiſſos habere; exemplo publicani ſtantis à longe: in cuius laudem dicitur; quod nec oculos audebat ad cęlũ leuare. Luc. 18. Sedendo vero, non debet tibias diuaricare, ſeu pedes diuidere: ſic tradunt antiqui religioſi in ſuis ſtatutis, cũ hoc etiã in meretrice reprehẽdatur. Ezec. 16. Diuiſiſti pedes tuos. Iacendo, cauere, ne ſe diſcooperiat; ſicut Noe, ebrius. Gen. 9. Inebriatus eſt & nudatus in tabernaculo ſuo. Secundi ſunt illi quibus ſeruitur Deo, & maxime in officijs diuinis. in quib⁹ obſeruandũ eſt: vt fiant reuerẽter. Heb. 12. Seruiamus ei cũ metu & reuerentia. hoc eſt cũ illo metu, qui dicitur reuerentia: Item, vt fiant diligenter, nam cõtra, Hier. 47. Maledictus qui facit opus Domini Dei negligenter; ſecundum quandam lectionẽ; licet ſecundum aliam, dicatur fraudulenter. Item, vt fiant timide. Pſal. Seruite domino in timore: ſicut famuli, Regi aſtantes, & ſemper timentes, ne aliquãdo minus bene faciant. Tertij ſunt quidam corporales, vt cum hominibus, in temporalibus, miniſtratur; quod faciendũ eſt ſedulè, 4. Reg. 4. Ecce ſedule in omnibus miniſtraſti nobis. Alij ſpirituales, vt eſt docere: in quo cauendum eſt viro bono, ne ſe in aliquo magnificare videatur: ſicut faciebat Elin. Iob. 32. & in quatuor ſequentibus capitibus: quia imprecatur Pſal. vt diſperdat Dominus linguam magniloquã. Item, corigere, ſiue priuatim ſiue publice accuſando: quod faciendum eſt modeſte ſeruo Dei. 2. ad Tim. 2. Modeſte corripientẽ. quod fit, cum non exceditur modus in exaggeratione, vel aſperitate loquendi, & ſimilibus. Item, iudicare, vt cum oportet aliquem, propter culpam, in aliquo condẽnare; in quo ſemper eſt ſeruanda miſericordia, exemplo Domini, qui ſemper punit citra condignum. Eccleſ. 4. In iudicando, eſto miſericors. Item conferre, ſiue diſputando, ſiue alio modo; in quo cauendũ eſt à lite. 2. Tim. 2. Seruum Dei non oportet litigare. Item conſulere interdum: in quo agendum eſt prouide. Vnde de S. Sebaſtiano dicitur, in conſilio prouidus. Talis etiam fuit Ioſeph, qui tanquam prouidus in conſilio dixit Pharaoni: Prouideat rex virum ſapientem, & induſtrium; & præficiat eum terræ Ægypti. Gen. 41. Item, aliqñ aliqua ſibi commiſſa agere; quod faciendum eſt prudenter. 1. Reg. 18. Egrediebatur Dauid ad omnia, ad quæcunq; miſiſſet eũ Saul. & prudẽter ſe agebat. Sic ergo debet ſe habere Dei ſeruus in his actionibus ſpiritualibus ad proximũ: vt in docendo, non ſe magnificet; in corrigendo, ſeruet modeſtiam; in iudicando ad pœnam, nõ derelinquat miſericordiam; in conferendo, ſit ſine lite; in conſilijs, prouidus; in agendis, prudens. Et ſic patet de diſciplina, ſeruanda in geſtibus. &

quantum

Quæ ad ſe.

Quæ ad Deum.

Pſalm. 2.

Quæ cum proximo tractantur, & quomodo.

Pſalm. 11.

quantū ad actiones,& quantū ad modum ſe habendi in omnibus:& quoad tempus,& quoad locum, & quo ad ſtatū, & quoad homines, & quoad quasdam ſpecialiter actiones, per quas cauetur offenſa hominum, intuentium ſeruos Dei ; & ſic, *fit quod decet ſanctitatem eorum.*

Cap. LXXVII. Pro exteriori morū diſciplina, præclara oratio.

Circa quod notandum, quod diſciplina in exteriori conuerſatione, multum decet viros ſanctos. Eſt enim exterioris conuerſationis diſciplina, quaſi quidam ornatus. 1. Petri 3. Sicut enim ſanctæ mulieres in Deo ſperantes ornabant ſe aliquando. & loquitur ibi de morum ornatu: ſicut patet ex eo, quod ſubiungit dicens. ſicut & Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Ex quo apparet, quod mores diſciplinati ſunt quidam ornatus. Dominus vero; qui omnes partes vniuerſi ornauit, præter infernum; pulchrius ornauit cælum. *Serui Dei, cæli* Cum ergo viri ſancti, frequenter in ſcriptura dicantur cæli; quam indecens eſſet ſi non eſſent ornati? Ideo dicitur Iob. 26. Spiritus eius ornauit celos. Quod intelligitur, non ſolum ad literam, ſed & myſtice, de ſanctis, ſecundum Gregoriū: quorum ornamenta ſunt gratiæ exterius fulgentes, à ſpiritu ſancto eis datæ. Item templum Dei, non *Templum.* ſolum debet ornari interius, ſed etiam exterius: propter quod fiunt imagines ſanctorum & ſimilia in parietibus. Cum ergò viri ſancti ſint templum Dei, verius quam templum lapideū, iuxta illud. templum Dei ſanctum eſt, quod vos eſtis 1. Cor. 3. non eſt ſine indecentia, ſi exterius non ſint ornati. Ideo dicitur 1. Machab. 4. Ornauerunt faciem templi; quod intelligendum eſt eſſe factum in vno, & faciendum in alio. Item, viri ſancti ſunt vaſa, non in contumeliam, ſed in honorem, in quibus miniſtrantur Domino varia genera potuum, *Vaſa ſacra.* ciborum, aromatum, luminum, & huiuſmodi. Vaſa vero templi & tabernaculi erant omnia pulcherrima, non ſolum interius, ſed exterius etiam. Sic eſt etiam in vaſis, in quibus nunc miniſtratur regibus. Decet igitur vt viri ſancti, tanquam in quibus regi regum miniſtratur, ſint decenter ornati. Et ideo dicitur de viro ſancto. Eccleſ. 50. Tanquam vas ornatum omni lapide pretioſo. Quia igitur ſancti viri, ratione ſanctitatis, ſunt cælum, & templum Dei, & vaſa in honorem æterni regis, decet eorum ſanctitatem vt exterius, per diſciplinam, ſint ornati. Præterea, conuerſatio exterior dicitur veſtis. Epheſ. 4. Deponite veterem hominem, ſecundum priſtinam conuerſationem. & poſt. Induite nouum hominem. Ex quo innuitur, quod conuerſatio vetus & noua, ſunt quaſi veſtis vetus, & noua. Et ſic omnis conuerſatio exterior, eſt quaſi veſtis. porro pulchræ veſtes

chræ veſtes decẽt aulicos: quia, ſicut dicitur Heſter 4. Induto ſacco nõ licebat intrare aulam regiam. & regina Saba admirata eſt veſtes aſsiſtentium Salomoni. 3. Reg. 10. cum ergo viri ſancti ſoli ſint ex aula regis æterni, quia omnes alij ſunt ex aula diaboli; quantum decet eos veſtis pulchræ conuerſationis exterius? Ideo dicit Paul. Col. 3. Induite vos, ſicut electi Dei. ſancti, & dilecti. quaſi dicat. cum ſitis à Deo, electi, & ſanctificati, & ſpecialiter dilecti, & ideo ſui: ſpecialiter induite vos, non ſicut ſcelerati, ſed ſicut decet familiam tanti regis; viſcera miſericordiæ, benignitatem; ita ſcilicet, vt appareant exterius in vobis viſcera miſericordiæ; benignitas ſcilicet, & alia, quæ ſequuntur; quæ omnia faciunt ad gloriam conuerſationis exterius. Item, ſacerdotes decent pulchræ veſtes. Vnde Aaron habuit veſtẽ poderis in qua depictus erat totus orbis terrarum. Et dicitur de veſtibus eius. Eccle. 45. quod ita pulchræ ante eum non fuerunt. Cum ergo viri ſancti ſint Domini ſacerdotes, & ſacrificantes ei die ac nocte hoſtias laudis, multum decet eos pulchritudo veſtis huiuſmodi. Et ideo dicitur in Pſal. Sacerdotes tui induantur iuſtitia. id eſt ſic induantur, vt exterius appareat in eis, per totum, iuſtitia, quæ eſt nomen virtutum omnium. Item, mulieres nobiles, ſolent indui pulchrius: cum ergo animæ ſanctæ omnes ſint filiæ regis æterni: quantum decet eas pulchra veſtis? Ideo dicitur in Pſal. de filia regis cæleſtis; Circundata varietatibus. Patet ergo, quod viros ſanctos, & ratione aulæ ex qua ſunt; & ratione ſacerdotalis officij; & ratione præſtantiæ, decet pulchritudo, non ſolum intrinſeca, in virtutibus; ſed et extrinſeca, in morum diſciplina: vt, ſicut ſcriptum eſt prouerb. 3. de domeſticis eccleſiæ, ſint veſtiti duplicibus, interius ſcilicet, & exterius. Præterea diſciplina exterior, eſt ſignum interioris ſtatus; videlicet bona, boni; & mala, mali: Eccleſ. 19. Amictus corporis, & riſus dentium; & ingreſſus hominis enunciant de illo. Indecens vero eſt non modicum viro ſancto, habere ſigna viri mali. Sicut indecens eſt honeſtæ matronæ, habere ſigna proſtitutæ. Ideo debẽt laborare pro diſciplina exteriori, vt non ſolum ſit, ſed etiam appareat Dei ſeruus. Ideo dicitur 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti; quaſi dicat; ſic nos habeamus, vt videntes conuerſationem noſtram exterius, talẽ de nobis habeant homines opinionem. Item, ſicut alias pelles habẽt lupi, alias oues: ita iuſtum eſt, vt alia ſit conuerſatio iuſtorũ ſiue bonorũ, exterior; alia malorũ. ſed malorum eſt nigra, ſicut Æthyopũ. Thren. 4. denigrata eſt ſuper carbones facies eorũ. Et ideo bonorum debet eſſe alba. Eccleſ. 9. Omni tempore veſtimenta tua

Aulici Dei. *Sacerdotes Dei.* *Sap. 18.* *Pſalm. 131.* *Filiæ Regis.* *Pſalm. 44.*

ſint

ſint candida. Quamuis vero hypocritæ induant ſe quandoque talibus; non ideo tamen dimittenda eſt veſtis huiuſmodi à bonis, ſicut dicit, Glos. Super Matth. 7. Oues non debent deponere veſtimenta ſua; etiáſi lupi quandoque eis induantur. Item, opera hominis exteriora, ſunt fructus eius: arbor autem bona fructus bonos facit, & mala malos; ſicut dicitur Matt. 7. quam inconueniens ergo eſſet, ſi arbor aliqua plantata à domino in horto ſuo, tanquam electa, non faceret ſibi fructum competentem? Ideo dicitur, Gen. 1. Germinet terra lignum pomiferum, faciens fructum, iuxta genus ſuum. Debent ergo boni viri, tanquam bonæ arbores in exterioribus, bonis conuerſationis fructibus abundare. Et ſic patet quantum deceat ſanctitatem bonorum exterior diſciplina.

Exterior diſciplina non deſerenda, quia aliquando eſt hypocritarum.

IN CAP. XII. REGVLÆ VGO.

Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nulla figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle criminoſum eſt. vnde Dominus in Euangelio. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Et quia per illicitum viſum, concupiſcentiæ oritur, per quam integritas mentis violatur, neceſſe eſt, vt ſemper ſeruus Dei viſum ſuum reprimat, neque per concupiſcentiam, & per immunditiam cordis Deum offendat. Sanctus Dauid, quia oculos in fœminam iecit & fixit: illicito appetitu deuictus, adulterium perpetrauit. Si ergo tantus vir, per incuriam oculorum cecidit, nos qui longe ab eius ſanctitate diſtamus, tá mortale præcipitium ſummopere timere debemus. Teneamus ergo ſententiam Iob, qua dicitur: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine. Quia enim ſenſit ſanctus vir, quod per exteriorem viſum, interior animus corrumpitur, fecit pactum cum oculis ſuis, ne incaute aſpiceret, quod illicite concupiſceret. Non enim profecto vitium vincitur, niſi ſolicite cauſſa & oportunitas vitij caueatur. Hinc eſt, quod Loth. à Sodomis fugienti præcipitur, vt non retroſpiciat, neque remaneat in omni circa regione: ſed in monte ſaluum ſe faciat. Quiſquis enim perfecte appetit incentiua vitiorum fugere; ab aſpectu, & vicinitate ipſorum ſe debet alienum facere, atq;

Matth. 5.

Pro oculorum pudicitia.

2. Reg 11.

Iob 31.

Gen. 19.

ad alta virtutum conſcendere : vt tantum à vitijs remaneat extraneus, quantum ab eis, virtute, & corpore elongatur. Et quod viſus ſit cauſſa concupiſcentiæ, oſtenditur, cum ſubditur. *Non ſolum tacito affectu, ſed aſpectu quoque, appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarum,* Ac ſi aperte dicat. Non ſolum tacita voluntate, intus concupiſcentia oritur: ſed etiam per exteriorem aſpectum generatur. Niſi enim S. Dauid fæminam fixe inſpexiſſet, in tantam carnis tentationem minime incidiſſet. Hinc per Prophetam dicitur, Aſcendit mors per feneſtras noſtras. Mors animæ, eſt concupiſcentia: domus interior, mens noſtra eſt: feneſtræ huius domus, ſunt quinque corporis ſenſus. Mors ergo per feneſtram aſcendit, atque domos ingreditur, quando concupiſcentiæ vitium, per ſenſus prorumpit ad interiora mentis. Quapropter, ne vitalis ſenſus, per exteriorem appetitum, intus intereat, opus eſt vt feneſtras domus noſtræ tanta diligentia cuſtodiamus, vt ipſum appetitum tanto facilius poſsimus cõpeſcere, quantũ nullũ vitijs permittimus ingreſſum patere. Valde enĩ timẽda eſt ſententia, quæ ſubditur. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius.* Sæpe enim quæ intus lateant, exteriora membra denuntiant: & frequenter per habitum corporis, cognoſcitur habitus mentis. Minor eſt autem culpa, dum iacet in occulto; ſed iam maior efficitur, dũ incipit apparere in publico. Et ſciendum, quod impudicitia alia eſt carnalis, alia ſpiritualis. Spiritualis eſt, quæ per delectationẽ cogitationũ intus tantũ agitur. carnalis vero eſt, quę corporaliter cõpletur. Fit autẽ multis modis. Nam modo per viſum: modo per auditũ, modo per tactum, modo per cogitationem, modo per locutionẽ, modo per operationem, talibus fomentis nutritur, & exercetur libido, & ſeparatur anima à Deo, fugitque caſtitas de moribus, & exercetur in mentibus luxuria. Vnde & ſubditur. *Et cum ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo, corda nunciant impudica; &, ſecundum concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit ipſa caſtitas de moribus.* Caſtitas quippe de moribus fugit, dum libidinoſa voluptas conſpectibus mutuis magis magiſque inardeſcit. Etſi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipſa tamen immunda violatio, viſu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur: ipſiſque fomentis, quaſi quibusdam gradibus, creſcit peccatum. Cogitatio praua delectationem parit: delectatio conſenſum; conſenſus operationem: operatio conſuetudinem; conſuetudo neceſsitatem quandam. Apoſtolus enim legem peccati dicit eſſe in membris; quæ lex conſuetudo eſt, quam

Mala ex aſpectu. *2. Reg. 11.* *Hier. 9.* *Spiritualis impudicitia.* *Gradus ex aſpectu.* *Rom. 17.*

quam peccando concipimus, & ab ea, cum volumus, non diſcedimus: quia neceſsitatis quodam vinculo, per conſuetudinem retinemur. Bonum eſt ergo culpam corrigere, cum incipit apparere; quia ſi morari ceperit, immanitatem ſceleris facit. Et quid dicit, Pſal. de huiuſmodi? Prolongauerunt iniquitatem ſuam, dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. *Nec putare debet qui in fœminam figit oculũ, & illius in ſe ipſum diligit fixum, ab alijs ſe non videri, cum hoc facit. videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur.* Hoc videmus frequenter de his, qui culpas ſuas nolunt abſcondere; quod dum vitia quaſi caute, & latenter agere exiſtimant, ipſi ſe ipſos, dum neſciunt, demonſtrant, & culpa quę occulta eſſe creditur, ab alijs manifeſte cognoſcitur. *Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo de ſuper in ſpectore, &c.* vſque *ſapientibus.* In cunctis ergo, quæ vel agendo, vel loquendo, vel cogitando, delinquimus, aſpectum ſuperni iudicis vehementer formidare debemus: quia ſi aliquando non apparent hominibus vitia noſtra: illius tamen oculis nuda ſunt omnia, & aperta. Et hoc nos à culpa reprimere debet. quia in eius iudicio nihil inultum poterit remanere: vnde dicitur, Ante Dei vultum, tunc nil remanebit in vltum. Contra vitiorum incentiua, debemus opponere inferni tormenta: & contra tranſitoriam delectationem, perpetui ignis dolorem. Valde ſtultus eſt, qui pro eo, quod, paruo tempore, luxuriæ deſeruit, ſuumque miſerum deſiderium prauis delectationibus paſcit, & cæleſtem perdit amenitatem, & incurrit æternam damnationem. *Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ male placere.* Ex quibus verbis patet, quod ſi oculum in fœminam figimus; Deo noſtro, cui placere debuimus, abominabiles ſumus. Et à quo debuimus recipere gloriã, recipiemus pœnam. Quapropter neceſſe eſt, vt ſi à noſtris vitijs nos diuinus non ſeparat amor, vel ſaltem reprimat timor: etſi nos non delectant ſuperna gaudia, vel ſaltem terreant æterna ſupplicia. Sic homo recedere à peccato incipit, ſi timeat diſplicere auctori ſuo. Sed dicat aliquis, Quomodo timebo Deum? Si vis Deum timere, illum cogita omnia videre. Titillat te mala conſcientia. cogita quod Deus videt te. Quidquid in te malum fuerit, penſa quia Deus totũ conſpicit. Quidquid egerimus, aut dixerimus, aut mente tractauerimus, ſemper attendamus ſuper nos oculos Dei: ſemper timeamus diſplicere illi. Hęc eſt via iuſtitiæ. hæc ſunt primordia ſapientiæ, ſicut ſcriptum eſt. Initiũ ſapientiæ timor Dñi. Sequitur. *Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, vel vbicumq; fœminæ ſunt; inuicẽ pudicitiã veſtrã cuſtodite.* Magna eſt pudicitię virtus, & multum commendata in ſcripturis diuinis. Hæc virtus

Pſal. 128.

Interiora in primis cauenda.

Deus præ oculis ſit.

Pſal. 110.

Pudicitia bona.

cæleſtis

cæleſtis, & ſpiritualis eſt. Nam hominem à terra ſubleuat; angelis ſociat; Deo coniungit; de terreno, cæleſtem; de carnali, ſpiritualem facit. Hæc virtus, etiam humanam naturam tranſcendit. Nam quod homo pudicus eſt, quod caſtus; non tam virtus humana facit, quam diuina: per hanc nos amat inuiſibilis ſponſus. Non enim placet Deo anima, ſi non eſt caſta, ſi non eſt pudica. Nam ſi immunditiæ, & luxuriæ deſeruit: abominabilis eſt ei, & reproba. pudicitiæ virtus acceptabilis eſt Deo, & hominibus. Hanc nobis inuidet, hanc impugnare non ceſſat antiquus humani generis hoſtis. Ipſe em̃ eſt perſuaſor immunditiæ, & luxuriæ. plures decipit; plures corrumpit. Non parcit clericis; non indulget monachis: &, quod magis gemendum eſt, ipſos etiam Religioſos proſternit. Neceſſe eſt ergo, ſumma vigilantia, inuicem noſtram pudicitiam cuſtodire. Nam ſi eam perdimus, totum perdimus; etiam noſmetipſos. Qui perdit pudicitiam, perdit animam ſuam; perdit Deum; perdit & ſemetipſum. Sed ad hoc in vnum habitemus, vt nos inuicem cuſtodiamus: inuicem corrigamus: inuicem erudiamus; &, quod quiſque non poteſt per ſemetipſum, poteſt per alium. Et quia noſtra cuſtodia non à nobis eſt, ſed à Deo; bene ſubditur. *Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo, cuſtodiet vos ex vobis.* Non enim ſufficiens eſt nobis cuſtodia noſtra, niſi adſit diuina. Vnde ſcriptum eſt. Niſi
Pſalm. 126. Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Nemo eſt, qui pudicitiam poſſit cuſtodire aut in ſe ipſo, aut in alio, niſi per Deum. Sed ſi ipſe habitauerit in nobis; poterimus per ipſum, qui viuit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

VMBERTVS.

Cap. LXXVIII. *Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.* Datum eſt mandatum præcedens circa diſciplinam motuum generatim: hic autem tradit mandatũ circa diſciplinam ſigillatim ſenſuum: non autem circa quoslibet ſenſus; ſed ſolum circa oculos: nec circa omnia, quæ oculis obijciuntur; ſed ſolum circa fœminas. Primo enim ponit mandatum: ſecundo cauſſam eius mandati, ibi, *Nec dicatis vos.* Vt autem ſciatur, quare potius hic agatur de diſciplina oculorum, quam aliorum ſenſuum; & quare potius, circa fœminas, quam circa alia viſibilia: notandum eſt primo, quod oculi ſunt aptiores ad peccandum, quam alij ſenſus. ſecundo, quod impudicitia, magis viget in oculis quam in alijs ſenſibus

ſibus. Tertio, quod impudicitia eſt magis contraria honeſtati, quàm alia vitia.

Circa primum, ſciendum, quod viſus irritat gulam. Gen. 3. Videns mulier lignum, quod eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrũ oculis, aſpectuq; delectabile; tulit de fructu illius, & comedit. Itẽ, incitat cupiditatẽ. Matt. 4. Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum; vt ſcilicet incitaret eum ad cupiditatem illorũ. Item, inflammat libidinem. Eccleſ. 9. Propter ſpeciem mulieris, multi perierunt; & ex hoc, concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit. Item, ad ſuperbiam prouocat. Vnde dicitur in fabulis, quod cũ bufo ſe inflauerit in prato, atq; ibi viderit bouẽ magnum paſcentem; voluerit ſeſe ei magnitudine comparare. Sic etiam dicit Bernar. de Lucifero. qui videns filium Dei, æqualem patri, voluit ei aſsimilari; ſicut viderat filium Deo ſimilem: & dixit in corde ſuo. Similis ero altiſsimo. Eſa. 14. Item, cõmouet iram. Matt. 18. Videntes conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde. Itẽ, concitat inuidiam. 1. Reg. 3. Videbis æmulũ tuum in templo, in vniuerſis proſperis Iſrael. Et poſt; Vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua; ſcilicet inuidia, hæc videndo. Et Socrates optabat, oculos inuidorum poni in ſingulis ciuitatibus, vt rebus hominũ ſecundis torquerentur. Item, fouet acediam. Acidioſi eſt enim, viſa intemperie aëris, non exire ad opus, ſed torpeſcere in domo. Eccl. 11. Qui conſiderat nubes, nunquã metet. Sic igitur omne genus peccati per oculos generatur. Et ideo dicitur Matt. 6. Si oculus tuus fueri tenebroſus; totum corpus tuum tenebrorſum erit; quia omnes tenebræ, Peccatorũ per malos oculos inducũtur, iuxta illud Philoſophi, Oculi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. Item, alij ſenſus non ſemper habent obiecta in promptu, vt patet in olfactu, auditu, guſtu, & tactu: ſed viſus ſemper habet aliquid quod videat, ſi velit, in quo poteſt peccare. & ideo poteſt quaſi inceſſanter peccare. 2. Pet. 2. Oculos habentes plenos inceſſabilis delicti. Item, actio oculi velocior eſt, quam aliorũ ſenſuum. propter quod Apoſtolus cõiungit eam cũ momento. 1. Cor. 15. In momẽto, in ictu oculi. Et ideo facile per ipſum peccatur. Iudith. 10. Cum intraſſet ante faciẽ eius, ſtatim captus eſt in oculis ſuis. patet ex his, quod per oculos cõmitti poteſt peccatũ multipliciter, & inceſſanter, & facile. Et ideo, dicitur Eccleſ. 31. Nequius oculo quid creatum eſt? per quem ſcilicet tot peccata cõmittuntur. & tam aſsidue & tam facile. Circa ſecundũ, notandũ, quod impudicitia viget quidem in omnibus ſenſibus. Viget in olfactu; cũ in odoribus meretricijs delectatur. de quib⁹ dixit meretrix Prouer. 6. Aſperſi cubile meũ myrrha, & aloe, & cinnamomo. Item, in auditu: cum auditu verborum mulieris, cor inflammatur. Eccleſ. 9. Colloquium

Per aſpectum multis modis peccatur.

Oculis, præ aliis membris, peccatur.

Impudicitia ex omnibus ſenſibus.

illius, quaſi ignis exardeſcit. Itē, in guſtu; cum ex cibo cum ea, libido prouocatur: propter quod dicitur Eccleſ. 9. Cum muliere aliena ne ſederis omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & alterceris cum ea in vino; ne forte declinet cor tuū in illam. Item, in tactu. Prouerb. 6. Qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Item, in oculis 2. Pet. 3. Oculos habentes plenos adulterij. Veruntamen licet vigeat hoc malum in omnibus ſenſibus, tamen magis in viſu. Tactus enim ſimplex, ſolam ſuauitatem carnis: auditus ſolam dulcedinem eloquij: olfactus, ſolam fragrantiā odoris meretricij percipit in muliere. Guſtus vero, in cibo cū muliere, nihil ex ea proprie percipit; ſed ſolum ex ijs, in quibus cum ea cōmunicat, ſcilicet ſaporis affectum. viſus vero ex ea percipit figuram, colorem, geſtus, ornatum, membra ſingula, & totius corporis diſpoſitionem; quæ res plurimū inflamant concupiſcentiam, ſicut ligna; quæ quantò plura ſunt, tanto faciunt maiorē ignē. Ideo benè dicitur. Eccleſ. 9. Et ex hoc, ſcilicet viſu mulieris, concupiſcētia, quaſi ignis exardeſcit; qui ſcilicet plus ardet, quanto plura ſunt ligna. Sic igitur patet, quod viſus magis inflamat ad libidinem, quàm alij ſenſus. Item, frequentius poteſt habere copiam ſui obiecti in muliere, viſus, quam alij ſenſus. quia frequentius poteſt videri, quam tangi, vel audiri, vel quam haberi poſſet ſolatium ex eius conuiuio, vel aromatibus. Daniel. 13. Videbant quotidie eam, ſcilicet Suſannam, ſeniores, ingredientem, & deābulantē. Et ideo frequētius comititur impudicitia per viſum, quam per alios ſenſus. Item, omnes mulieres vnius ciuitatis poſſunt interdum videri; nobiles, & ignobiles; coniugatę, & virgines; ſpirituales, & ſeculares, & ſic de alijs. Non autem ſic poſſunt omnes tangi, vel audiri, vel haberi in cōuiuio; vel earē odores percipi: Et ideo oculus ex pluribus peccat, quam alij ſenſus: quia in omnibus, quas videt, poteſt peccare. Vnde impletur in eis illud Thre. 3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ. Item oculus audacius peccat in muliere, quam alij ſenſus. Audet enim quis videre multas, quas non auderet tangere; vel cum eis comedere; vel eas alloqui; vel ad eas aliàs accedere. Vnde lōgo tempore hæſit Amon in amore Thamar, quam videbat ſpecioſiſsimam, nec tamen audebat eam tangere, vel ſolicitare ad turpitudinem, ſicut dicitur. 2. Reg. 13. Item, oculi impudicitia non ita percipitur ab alijs, ſicut verborum vel tactuum, vel aliorum ſenſuum. Et ideo ſicut ille, qui non putat ſe videri, ſecurius fornicatur; ita & oculus ſecurius, quam alij ſenſus agit impudice. Et ideo dicit Auguſtinus infra. *Nec putare debet qui in fæminam figit oculū ab alijs ſe non videri.* innuēs per hoc, quod multi ſunt

Impudicitia maxime ex oculis.

ti ſunt tales; qui ſic putant; & ideo ſecurius figunt. Itē, alij ſenſus poſſunt habere impedimentū facile exterius circa mulieres; quia explere quæ appetunt in ijs homines, id pendet ex facto alieno. Vnde non poteſt quis tangere mulierem, vel loqui cum ea, vel comedere, vel cōmorari prope eam, ſine eius aſſenſu. Viſus vero non pendet ex facto alieno, ſed ſolum ex voluntate videntis, ſi aperiat oculos, iuxta illud Eſa. 49. Leua oculos tuos, & vide. Et ideo liberius peccat in muliere, quia non poteſt ita impediri, ſicut alij ſenſus. Item, inſatiabilius peccat. citius enim tactus, & auditus, & alij ſenſus faſtidiunt id, quo in muliere delectantur, quàm viſus. Eccleſ. 5. Non ſatiatur oculus viſu. Cum igitur, ſicut patet ex dictis, viſus vehementius inflammet ad libidinem: & frequentius; & circa plures perſonas; & peccet audacius; & liberius; & inſatiabilius; conſtat in ipſis oculis maius eſſe vitium circa impudicitiam. propter hoc, dicit etiam Philoſophus, luxuriā in oculis eſſe. Circa tertium, notandum, quod vir Religioſus eſt quaſi res Deo valde ſacrata: ſicut olim reputabatur ſacrum, quod ſeparabatur ab vſibus communibus, & Deo offerebatur: & ideo ſignificātur Religioſi per Nazaræos. Nazaræus idē eſt quod ſanctus: quia ipſi Religioſi debent eſſe ipſa ſanctitas. Item, in ſeruitio, quod exhibetur magnatibus, nihil eſt ita indecēs, ſicut immūditia. Propter quod dicit Dauid in Pſal. Ambulans in via immaculata; hic mihi miniſtrabat. Item, licet omne peccatum ſit immunditia, iuxta illud. Quæ autem de corde exeunt, hæc coinquinant hominem. Mat. 15. tamen luxuria eſt maior immunditia. propter quod mulier fornicaria cōparatur ſtercori. Eccleſ. 9. quæ eſt maxima immunditia. Cum ergo immunditia quæcunq;, valde inhoneſte maneat in re ſacrata quacunq; & in ſeruitio homini terreno exhibito; quanto magis immūditia impudicitiæ indecens eſt viro tam ſpecialiter Deo conſecrato, & eidem ſeruienti die ac nocte? Et ſic patet quantum ſit cōtraria impudicitia honeſtati. proinde, cū velit Auguſt. tradere mādata in motibus ac diſciplina, pertinentia ad honeſtatē; non fuit contētus de motibus huiuſmodi tradere mādata generatim, niſi ſpecialiter ſequeretur de oculis; in quibus eſt maximum vitiū circa pudicitiæ honeſtatem, dicens. *Oculi veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.*

Impudicitia maxime indigna Religioſo.

Pſalm. 100.

Et eſt ſciendū, quod multa mala euenire ſolent ex mulierū aſpectu. Gen. 6. Videntes filij Dei filias hominū, quod eſſent pulchræ, acceperunt vxores ſibi, ex omnibus, quas elegerant. Et hæc fuit præcipua cauſa diluuij: in quo fuerunt omnes præter paucos ſubmerſi. Item, 12. eiuſdem libri. Viderunt Ægyptij vxorem Abrahæ, quod eſſet pulchra nimis, & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud eum; & ſublata eſt mulier in domum

Cap. LXXIX. Multa mala ex aſpectu incauto.

Pharaonis? propter quod flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius. Item, eiuſdem libri 34. Cum vidiſſet Sichem, filius Emor, princeps terræ illius, Dinam; adamauit, & rapuit, & dormiuit cum ea. propter quod interfectus eſt poſtea Emor, & omnes maſculi ciuitatis illius. Item Iudicum 14. Deſcendit Samſon in Thanathan, vidensq́; ibi mulierem de filiabus Philiſtijm, accepit eam: quæ poſtmodum tradidit eum, & fuit occaſio mortis eius. Item, 2. Reg. 11. Vidit Dauid mulierem, lauantem ſe ex aduerſo, ſuper ſolarium ſuum: erat autem pulchra valde. & poſt: Et miſsis nuncijs tulit eam. quod fuit ei poſtea occaſio homicidij, & perditionis, & maximæ iræ Domini contra eum. Item Iudith. 16. Sandalia eius rapuerunt oculos eius. ſcilicet Holofernis; pulchritudo eius captiuam fecit animam eius. qua occaſione fuit ille capite truncatus. Item, Daniel. 13. Videbant Suſannam ſeniores, quotidie ingredientem, & deambulantem; & exarſerunt in concupiſcentiam eius. Quod eis poſtmodum fuit occaſio lapidationis. Hæc ſiquidem, & alia multa mala leguntur eueniſſe, propter mulierum concupiſcentiam, ex oculorum intuitu generatam. Ideo cauendum eſt bono viro, ne ex propoſito adſpiciat mulierem. Quod ſi forte caſu videret; cauendum eſt ei, ne oculos figat in eam. Porro oculos dicitur figere quis tripliciter. Vno modo, cum moroſe inſpicit, quaſi iudicans de figura & pulchritudine. ſic faciebant illi, de quibus dicitur Iudith. 10. Et erat in oculis eorum ſtupor; quoniam admirabantur pulchritudinem eius. Et poſt, cap. 11. dicebat alter ad alterum, Non eſt talis mulier ſuper terram, in aſpectu pulchritudinis. Nunquid non ſatis moroſe inſpexerant illam, cuius pulchritudinem omnibus alijs fæminis præferebant? Alio modo, cum inſpicitur ad concupiſcentiam incitandam, iuxta illud Matth. 5. Omnis, qui viderit mulierem, adconcuqiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Alio modo, cum videtur cũ cõcupiſcentia, iuxta illud, quod dixerunt ſenes Suſannæ ante ſe poſitæ. In cõcupiſcentia tui ſumus. Licet autẽ primus modus nõ videatur in ſe eſſe pctm̃ mortale, ſicut alij duo; tamẽ quia eſt occaſio ſane proxima ad mortale, prohibetur omnis huiuſmodi fixio oculorum; non per modum præcepti, quoad primum modũ, ſed per modum vehementis diſſuaſionis; ſicut in multis ſimilibus in Regula inuenitur. Vnde reddens cauſam huius mandati ſubdit dicens, *Neq; enim, quando proceditis, fæminas videre prohibemini: ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu. & aſpectu quoq; appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarum.* quaſi dicat. non ſimplicem aſpectum, ſed fixum oculorum prohibeo; quia

Tribus modis Oculi male in mulierem figuntur.

appetitus mulierum eſt criminoſus; qui ſcilicet appetitus ſurgit vel oritur ex aſpectu: non ſolum ex tacito affectu.

Circa hoc vero, quod dicitur hic, quod videre fœminas non ſit prohibitum, notandum eſt, quod quamuis non ſit prohibitum propter periculum, quia difficile eſſet eam prohibitionem ſeruare; tamen eſt valde tutum. Dicitur in libro Barlaam, quod quidam rex gentilis educauit filium multos annos in oculto loco; ne poſſent eum Chriſtiani alloqui, & inducere ad fidem ſuam. Tandem, cum iam eſſet adultus, iuſsit rex eum duci ad videndũm ornatum mundi, qui eum ad ſe alliceret, & ſic magis à doctrina Chriſti alienaretur. Cũ autem, inter alia, vidiſſet etiam mulieres, quas eo vſque non videat, & quæſiuiſſet, quid hoc eſſet; dictum eſt ei; Iſti ſunt dęmones, qui ſeducunt homines. Cum vero poſt quæreretur ex eo, quid maxime ſibi placuiſſet inter omnia, quæ viderat; reſpondit, dæmones illos, qui ſeducunt homines. Ex quo patet, quod multum allicit ſpecies mulieris. Cum ergo multum alliciant mulieres; & nõ liceat eas concupiſcere; non eſt ſecurum eas videre. Gregor. Non eſt tutum intueri, quod non licet concupiſcere. Itẽ, non eſt perfectionis. Vnde legitur in vitis patrũ, quod cum quidã monachus occurreret quibuſdam ſanctis mulieribus, & propter eas diuerteret à via: dixit ei quædam illarum, Tu, ſi fuiſſes perfectus monachus, non diuertiſſes à nobis: quia non tantum reſpexiſſes nos, vt poſſes diſcernere, vtrum eſſemus mulieres. Item, non eſt Religioſum. Vnde reperitur in vitis patrum, quod cum quædam valde nobilis & diues mulier veniſſet ex partibus remotis ad quendam virum valde religioſum, & inter alia rogaſſet eum, vt oraret pro ſe. Reſpondit ille. Rogo Deum vt tollat memoriam tui de corde meo. Cum ipſa autem ſuper hoc ſcandalizata recedens dixiſſet hoc cuidam Epiſcopo. ipſe eam conſolans, dixit ei. An neſcis quod es mulier, & quod dæmones ſolent viros ſanctos per imagines & memoriam mulierum maxime vexare. ideo hoc dixit tibi. Nam pro anima tua ſemper orat. Similiter legitur ibidem, quod quidam frater dixit cuidam ſeni. Pater iam ſenuiſti: eamus viſuri mundum. Cui ſenex, Vbi non eſt mulier fili, illuc eamus. Et frater, vbi eſt locus, Vbi non ſit mulier, niſi ſolitudo? Et ſenex. Ergo fili in ſolitudinem me tolle. Legitur etiam ibidem, quod quidam valde Religioſus, propriam matrem venientem ad ſe viſitandum, noluit videre. Cum ergo viri Religioſi nolint habere memoriam mulierum in corde; nec eſſe in loco, vbi poſsint eas videre; & etiam refugiant videre proprias matres: quam contrarium eſt Religioni, videre mulieres? Item, non eſt cautum. Per viſum enim inducitur ſpecies

Cap. LXXX.

Quare non prohibitum videre fæminas.

Tutiſſimum non videre fæminas

Exemplum.

Exemplum.

Fugiendus aſpectus mulierum.

Exemplum.

Arſenij.

Exemplum.

Exemplum.

cies ad animam, quæ ipſam impugnat, velit, nolit: nec poteſt facile ſe ab ea poſtmodum expedire. Quis autem ſapiens velit in domum ſuam inducere huiuſmodi tribulationem? ſuper illud, Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis dicit, glos. Fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute inſpiceret, quod poſtea inuitus amaret. Item, non eſt fidelitatis Deo debitæ. quomodo enim eſt fidelis domino ſuo, qui portas caſtri ſibi cómmiſsi aperit inimicis eius, & ſic auferuntur ei caſtra? Ideo poſt illud, Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine: ſubiungitur. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper? quaſi dicat, Nonne amitteret ſic Deus quidquid habebat in me? Item, non eſt angelicum. Viri enim Angelici, pudici ſcilicet vt Angeli, non debent intueri mulieres. Et ideo dicitur. 1. Cor. 11. Debet mulier velamen habere ſuper caput ſuum, propter angelos. id eſt propter angelicos homines, ne eam aſpiciant. Ergo non eſt Angelicum intueri mulierem. Item, non eſt philoſophicum. Legitur enim philoſophum quendã (vt ait Hieronymus) eruiſſe ſibi oculos propter hoc, quod diſtractiones, intrãtes per oculos impediebãt in eo ſtudium ſapientiæ. Cum igitur ſpecies mulierũ ingredientes per oculos ſumme impediant ſapientiam hominis, non temporalẽ, ſed æternam, & ſcandalizent ad mortem animã: quales philoſophi ſunt iſti, qui ſic habent oculos promptos ad mulierum aſpectũ? Ideo dicit Dominus, Matth. 5. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te. Quod quamuis non ſit ad litteram intelligendum omnino, tamen multum concordat huic ſententiæ. Item, huiuſmodi adſpectus procuratio eſt diabolica. Vnde legitur in vitis patrum, quod cum quidam fuiſſet ab i[illegible]antia in monaſterio nutritus, cum iam creuiſſet, dæmones oſtendebant ei formas, & habitus mulierum. Quod cum retuliſſet Patri, & cum eo ſemel deſcendiſſet ad ſeculum, & vidiſſet iterum mulieres, dixit iterum ei, Ecce iſtæ ſunt, quas de nocte videbam in cella. Et miratus eſt ſenex fraudem. Procurant ergo dæmones huiuſmodi viſionem, cum aliter copia non haberetur: & etiam interdum in formas huiuſmodi ſe transformant; quales ſuccubi vocantur. Cum igitur videre mulieres non ſit ſecurum; non perfectionis; non Religioſum: non Angelicum: non philoſophicum; immo procuratio diabolica; quamuis non ſit prohibitum, tamen propter huiuſmodi incommoda, hoc eſt valde cauendum.

Exemplum.

Exemplum.

Cap LXXXI. Crimen varie accipitur.

ITEM, circa hoc intelligendum, quod dicitur, quod, *appetere mulieres, vel ab ipſis appeti velle, crimimoſum eſt.* cum tamen id ſit occultum, crimen vero videatur ſonare infamiam; ſciendum eſt, quod crimen quatuor modis accipitur, ſicut dicit Gratianus.

&

& probat ex dictis ſanctorum, diſt. 25. Vno modo, preſſe; et ſic dicitur crimen peccatum mortale cum infamia. Vnde ibidem, crimen vocatur criminalis infamia. Et colligitur ex verbis Hieronymi. Secundo modo, late; & ſic dicitur omne peccatum mortale, ſiue cum infamia, ſiue ſine infamia, crimen. Vnde ibidem, Multi decipiuntur, dum credunt, quod ſi ſuper fundamentum Chriſti capitalia crimina ædificant, ipſa per ignem tranſitorium poſſunt purgari. Et colligitur ex Auguſtino. Conſtat autem ibi criminalia vocari quęcunque mortalia. Tertio modo, latius: ſic dicitur crimen quodcunque peccatum ſiue mortale ſiue veniale, quod non ex infirmitate vel ignorantia, ſed ex deliberatione committitur. Vnde ibidem; Crimen appello, omne peccatum, complectens, quod ex deliberatione procedit, & colligitur ex verbis Bedæ, & Auguſtini. Quarto modo, latiſsime, & ſic dicitur crimen omne peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale. Vnde ibidem, nomine criminis, omne peccatum intelligitur, & colligitur ex verbis Hieronymi. Patet ergo ex his quod cum appetitus prædictus ſit ſemper mortalis, dicitur crimē iuxta ſecundam acceptionem criminis prædictam. Et nota, quod ſola cogitatio de muliere non eſt in ſe aliquando peccatum. Delectatio vero in huiuſmodi cogitatione poteſt eſſe mortalis, & venialis, ſecundum diuerſas circumſtantias. Appetitus vero mulieris, ſemper eſt mortalis. Porro cogitatio eſt origo delectationis prædictæ: & delectatio inducit in appetitum. Eſt autem huiuſmodi cogitatio ſicut ſcintilla, de qua ſcriptum eſt. Eccleſiaſt. 11. Scintilla augetur ignis. Item, ſicut fermentum modicum, de quo dicitur. 1. Cor. 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Item, ſicut caput ſerpentis, de quo Hieronymus, Lubricus eſt coluber tortuoſus: &, niſi capite teneatur, totus illabitur. Ideo viri ſancti, ne trahantur ad huiuſmodi delectationem, vel appetitum, laborant circa huiuſmodi primas cogitationes, extinguentes ſcitillas; huiuſmodi fermentum expurgantes; caput ſerpentum conterentes: exemplo illius, de qua ſcriptum eſt, Gen. 3. Ipſa conteret caput tuum. Sunt autem tria, quæ valent contra huiuſmodi cogitationes. Primum eſt, auertere oculos ab aſpectu mulierum, per quem, introductæ cogitationes huiuſmodi, in memoria relinquuntur. Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem de virgine; hoc eſt, vt, poſt viſam virginem, non remaneret in me memoria eius, pellens me ad cogitandum de ea. Secundum eſt, occupare cor in cogitationibus ſanctis. Sicut enim dixit, quidam ſenex;

Appetitus fœminæ eſt mortalis.

Primis cogitationibus reſiſtendum.

Tria remedia contra malas cogitationes.

ſenex; Corho minis eſt quaſi molendinum, quod molit illud quod ei miniſtratur,&, cum molit vnum, non poteſt aliud molere. Cum bonas fruges ſanctarum cogitationum molit, non recipit malas. ſed à diabolo, vel aliunde illæ aptantur. Et ideo bene dicitur, Eccleſ. 3. Quæ præcepit tibi Dominus, cogita illa ſemper: qui enim ſic facit,per hæc vitat cogitationes immundas. Tertium eſt, fides Chriſti: huiuſmodi ſiquidem cogitationes ſunt paruuli Babylonis. & cum ſentiuntur in corde oriri, recurrendũ eſt ad Chriſtum, per orationem,& ad ſignum crucis eius, & ad memoriam paſsionis eius, & ſimilia.vt horum adiutorio teneantur ne procedant; ſed potius allidantur: & beati qui ſic faciunt. Pſalm. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram,ideſt ad Chriſtum, ſiue ad fidem eius. Et ſic patet, qualiter appetitus mulierum, vt nos ad malum incitat, ſit cauendus. Reperiuntur autem aliqui, qui etſi non appetant mulieres: tamen interdum volunt appeti ab eis: vel, quod peius eſt, ex hoc, quod appetuntur ab eis, gloriantur: vel, quod peſsimum eſt, aliquid interdum faciunt, vt appetantur. Quæ omnia viri ſancti diligenter cauent: non ſolum non facientes aliquid vt appetantur: non ſolum in hoc non gloriantes: ſed ne appetantur multam diligentiam adhibentes. Ad quod cauendum, notandum eſt, quod mulieres ſunt valde curioſæ ad videndos homines, & ſpecialiter etiã bonos. Gen. 49. Filiæ diſcurrerunt ſuper muros. gloſ. Hieron. de muris, & turribus, & feneſtris, tota puellarum Ægypti turba proſpexit in Ioſeph; quando ſcilicet intrauit Ægyptum. Sicut autem ex aſpectu mulieris, exardeſcit concupiſcentia viri; ita contra ex aſpectu viri, concupiſcentia mulieris. Ezechiel. 23. Cum vidiſſet Oliba ſimilitudinem filiorum Babylonis, inſaniuit ſuper, eos concupiſcentia oculorum ſuorum. Non autem hoc ſolum accidit circa filios Babylonis, ſed etiam circa filios Dei. Vnde hoſpita B. Bernardi, ſic inſaniens in eum, de nocte acceſsit ad lectum eius: licet eam reſpueret clamando, latrones, latrones. Et ideo bonorum virorum eſt, maxime illorum, qui ſunt aſpectu gratioſi, raro aut nunquam apparere inter mulieres, ſed potius in occulto manere; non ſolum propter ſe, ſed etiam propter mulierum fragilitatem. Hieron. ad Oceanum, A conſortio virorum longe ſint fæminæ. monachum, vel clericum ſolitudo facit, non publicum. Item, frequentatio mulierum, paulatim ſolet corda earum inflammare in viros. Gen. 39. Poſt multos dies iniecit domina ſua oculos in Ioſeph. quaſi dicat; non ſtatim ab initio; ſed poſtquam diu cum ea fuit verſatus. & ideo viri ſancti cauent huiuſmodi frequentationem. Hieron. ad Oceanum,

Pſal. 136.

Cauendum ne appetamur à fæminis.

Exemplum.

Venuſti non cõpareant inter mulieres.

Oceanum, Si pudicitiam quæris, ſcilicet ſimpliciter, tam tuam, quam alterius; fœminam quam bene videris conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentia. & poſt; Cur ſanctimonialium frequentia in Eccleſia vel in ipſo publico te delectat? Item, familiaritas in omni re, præbet audaciam. audacius enim quilibet à familiari, quam ab extraneo impetitur: ita & mulier audacius prorumpit in tentationem erga familiarem, quam erga extraneum. Quod ſatis oſtenditur in quodam opere diabolico, in vitis patrum. vbi dicitur, quod diabolus volens deijcere quendam Eremitam, in ſpeciem mulieris ſe transformans, quaſi oberrans, venit ad cellam eius circa noctem; rogans vt permitteret ſe illa nocte quieſcere apud eum. Quod cum annuiſſet; poſt admiſsionem manſit cum eo, iuxta ignem: poſtmodum ceperunt loqui de multis: atque etiam cepit mulier admirari barbam eius, & tangere, & iocari. Tandé, poſt multa huiuſmodi, quaſi iam ei familiaris effecta; prouocauit eum ad turpem cõmixtionem. Ad quod cum ſe ille pararet, euanuit ſubito de manibus eius, dicens; O monache, qui te extollebas vſque ad cælum; ecce quomodo corruiſti. Et ideo bonorum virorum eſt, nullam familiaritatem habere, magis cum vna muliere, quam cum alia. Hieronymus ad Nepotianum. Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Item, affectus mulieris erga bonos viros, licet ſanctus, facile degenerat in carnalem, quia fragilis naturæ ſunt mulieres; iuxta illud. Prou. vltimo. Mulierem fortem quis inueniet? Ideo viri ſancti non faciunt aliquid circa eas, quod nutrire vel augere poſsit affectum earum circa ſe, per munuſcula; vel per litteras; vel per blanda colloquia, & ſimilia. Hieron. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicatas, & oblatas, & deguſtatos cibos, blandaſque litteras, & dulces, ſanctus amor non habet. lumen meum, deſiderium meum, & ceteras ineptas amatorum locutiones, in comœdijs erubeſcimus, & in ſeculi hominibus deteſtamur; quanto magis in monachis, & clericis? Huiuſmodi autem, & ſimilia, propter hæc, ſunt cauenda. ne per hæc, affectus mulieris nutriatur erga hoc facientes. Item, decor hominis ſolet incitare concupiſcentiam mulierum. Geneſ. 39. Erat Ioſeph pulcher facie, & decorus aſpectu: & ſequitur, Iniecit domina ſua oculos ſuos in eum, & ait; dormi mecum. Sed viri ſancti eſt, deturpare corpus ſuum per mortificationem, ſicut fecit Hieronymus, qui ſcribens ad Euſtochium de ſe dicit; Horrebant ſacco membra deformia; & ſqualida cutis, ſitum Æthyopiſſæ carnis obduxerat: pallebant ora ieiunijs: & ante obitum ſuum, erat iam caro præmortua. Qui autem

NOTA.

Exemplum.

Familiaritas & munuſcula fœminarum cauenda.

Elegantia corporũ, ac veſtiũ cauenda.

tem ſic deturpat corpus ſuum; quomodo appeti poterit vel amari? Et ideo ſic faciendum eſt viro ſancto; ne compoſitio, vel pulchritudo, ametur in eo; ne ſit occaſio peccati in alijs. Ambroſius. Pereat corpus, quod amari poteſt oculis carnalibus. Item, cum ſentiunt viri ſancti ſe diligi à muliere, fugiunt illam: ſicut Ioſeph fugit dominam ſuam, relicto pallio. Eccleſiaſt. 7. Mulier, laqueus eſt venatoris; vincula ſunt manus eius: qui placet Deo effugiet illam. Quæ enim fera eſt tam fatua, quæ non fugiat laqueos, & vincula? Item, ſi forte contingat, quod inſequantur viros ſanctos, tandẽ confunduntur. Vnde in vitis patrum legitur, quod cum quædam mala mulier, quendam bonum virum, quaſi comprehenſum in loco, in quo non poterat effugere, vellet oſculari inuitum, ipſe præcidens linguam ſuam dentibus, proiecit in faciem eius, & confuſa receſsit. Dicitur etiam de quodam viro ſancto, quem quædam mulier, cum inſequeretur, & moleſtaret frequenter, vt iaceret ſecum; ipſe parauit ignem in domo quadam: inſequenti vero mulieri dixit, vt veniret ad locum illum. Quod cum feciſſet, extenſis carbonibus, poſuit ſe ſuper eo, & dixit ei. veni modo & iaceas hic mecum; quod illa horrens, aufugit. Fertur etiam de quodam ſtudioſo Pariſienſi, qui cum quædam mulier non ceſſaret eum impetere, dixit ei vt veniret ad cubiculum ſuum. Quæ cum veniſſet, dixit ei, vt, depoſitis pannis, intraret lectum ſuum. Quod cum feciſſet, ipſe habens virgas optimas, cepit eam fortiſsime virgis cædere, adeo, vt gauiſa ſit, quod potuit ab eo fugere. Sic ergo huiuſmodi ſunt confundendæ dictis, & factis: exemplo domini, qui minis, & verbis, miro modo, confudit meretricem Iudæam. Ezechiel 23. dicens. Naſum tuum &, aures tuas præcident. & poſt: & dimittent te nudam, & ignominia plenam. & ſimilia multa in eodem capite. & 25. & 26. Item, ſunt aliqui, qui cum mulieres, propter aliquam cauſam, ſentiunt erga ſe turbatas, nituntur ſe eis conciliare. Hieronymus ad Oceanum. Cum ſalutauerint Dei ſeruos; ſi eos præterire celerius viderint, contemptores ſuos iudicant, & iraſcuntur. Adornatur deinde ſatisfactio, & poſt; Ille lamentari ſe ſimulat. &cet. qui agendi modus, eſt adulatorum. Vnde. 3. Eſdræ, 4. dicitur de rege, & concubina eius, ſi indignata fuerit ei, blanditur; donec reconcilietur in gratiam. Sancti vero non ſic; quia non curant huiuſmodi reconciliationem: nam melius eſt, eas eſſe turbatas contra eos, quam carnaliter affici. Et ideo habent ad eas verba, non blanda, ad gratiam earum habendam; ſed potius prouocantia alienationem. Auguſtin. Sermo breuis, aſper &

Feminæ confundendæ.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Non curanda reconciliatio cum muliere, ſed potius contra.

& rigidus, cum huiuſmodi eſt habendus. breuis inquam, non longus, ſicut deſiderant: aſper, qui pungat, non liniat: rigidus, qui non flectatur ad voluntatem earum. Nonne iſta magis animi alienationem, quam gratiam adquirunt? Viri igitur ſancti, non ſolum non volunt non appeti à mulieribus; ſed ne appetantur, non comparent facili corã eis. Quod ſi aliquando comparent à longe, tamẽ cauent à frequenti aceſſu ad eas. Quod ſi frequenter contingat, ex cauſſa, non reddunt ſe familiares plus vni, quam alij. Cauent etiam ne affectum in eis, erga ſe nutriant; pulchritudinem vel compoſitionem ſui non curant: inſequentes fugiunt: quas fugere non poſſunt, confundunt. Si contra eos turbatæ fuerint, pro reconciliatiatione earum non laborant: vt ex his, non ſolum ſibi, ſed & eis, caueãt à peccato. Sciendum vero, quod tria ſunt genera fœminarum, quæ facilius tentantur bonorum virorum amore, quam aliæ. Primæ ſunt, cõtinentes, maxime vero iuuenes. Cum enim tentatio carnis, maxime & continuo ſit in earum natura: facilius tentantur iſtæ, quam coniugatæ vel aliæ mulieres malæ; quæ in ſuo matrimonio, vel cum alijs multis opus exercẽtes, minorem cauſam habent tentationis in alios. Ideo Apoſtolus, reddens, circa iſtud, cautum Timotheum, dixit ei. Adoleſcentiores viduas deuita. 1. Timot. 5. Inter continentes vero, ſunt quædã ſub habitu & ſpecie ſanctitatis: & ideo cum non debeant habere familiaritatem cũm hominibus mundanis, propter nomen ſanctitatis; facilius effundunt ſuas tentationes in viros ſanctos, cum quibus frequentius verſantur. Et ideo cauendum ab iſtis dicit Auguſtinus, Nec minus ideo cauendæ, quia bonæ indolis, vel etiam piæ cõuerſationis eſſe comprobantur. Quanto enim melioris famæ ſunt; tanto citius alliciunt: quia ſub affectu pietatis, ſe ſupponit viſcus impiæ libidinis: pernicioſum mortis venenũ, quod ſuum eſt, procijens. Item, inter huiuſmodi continentes ſpeciem ſanctitatis habentes, ſunt quædã vilis conditionis, quæ facilius cadunt in huiuſmodi tentationes, quam nobiles, vel magnæ auctoritatis matronæ: quæ, propter honorem ſuũ, hoc attentare dedignantur. Auguſt. Quanto vilior illarũ conditio, tanto ruina facilior: & ideo cõtinentibus ſub habitu ſanctitatis, & vilis cõditionis, magis cauendum eſt ab huiuſmodi appetitu, ſecundum modũ prędictum. & etiã ab eis magis cauendum eſt nobis.

A tribus fæminarũ generibus Religioſo acute cauendum.

A continentibus.

A monialibus.

A vilibus.

ITEM de hoc quod dicitur, *aſpectu appetitur & appetit concupiſcentia fæminarum*, poteſt dubitari. Sicut enim affectus non eſt in aſpectu; nec aſpectus in affectu, ita nec appetere eſt in aſpectu: cum appetere ſit affectus. quomodo ergo dicitur, quod, *aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarum*? Ad quod

CAP. LXXXII.

 dici

dici poteſt, quod affectus appetit fœminam, ſed per aſpectum: ſicut homo ſecat, ſed per ſecurim. Eſt ergo appetitus huiuſmodi ipſius affectus, tanquam potentiæ, à qua elicitur; ſed aſpectus, tanquam inſtrumenti, per quod exercetur. Et nota, quod non ſolum aſpectus videntis eſt medium huiuſmodi appetitus; ſicut ſupra dictum eſt, vbi actum eſt de vitijs oculorum; ſed etiam interdum aſpectus fœminæ quæ videtur. & hoc quatuor modis. Sunt enim quædam mulieres, quæ, oculorum ſuorum pulchritudine, incitare ſolent concupiſcentiam in vidente. Vnde dicitur, quod quidam rex, cum quandam ſanctimonialem vidiſſet, & exarſiſſet in eam, omnino voluit eam habere, cui propterea erat permoleſtus. Cum vero illa ſciſcitaretur, quid tantopere in ea probaret; cum ille reſpondiſſet, oculos in primis eius ſibi probari: eruit illa ſibi oculos, ac miſit ei dicens, Ecce habes quod in me amaſti. Quod licet non ſit trahendum in exemplum; tamen patet ex hoc, quod oculorum pulchritudo incitat concupiſcentiam in vidente. Et ideo dicitur, Cant. 2. Auerte oculos tuos; quoniam ipſi me auolare fecerunt. Quod licet intelligatur ſecundum myſterium, & ſpiritualiter. tamen deſumpta eſt ſimilitudo ab amore ſtulto, qui, ſicut cito auis volat, ita cito excitatur pulchritudine oculorum in muliere. Item, ſolent interdum aliquæ mulieres depingere oculos ſuos. 4. Reg. 9. Porro Iezabel, in introitu Iehu, depinxit oculos ſuos ſtibio. & hoc iterum incitare ſolet concupiſcentiam in vidente. Item, ſicut pudicæ mulieres ſolent oculos habere depreſſos; ita malæ, erectos. Eccleſiaſt. 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum agnoſcitur. Et hoc iterum eſt incitamentum concupiſcentiæ; quia putatur quod talis citius adquieſcat peccato. Item, ſolent quandoque malæ mulieres quoſdam nutus facere oculis, quibus prouocant ad malum. Vnde Eſaiæ 4. dicitur de filiabus Sion, Nutibus oculorum ibant, & dicuntur ire nutibus; quia nutibus ſe transferunt in concupiſcentiam videntium: ſicut vadens, eundo ſe transfert alio. Tam igitur aſpectus viri videntis, quam aſpectus viſæ mulieris, frequenter eſt mediũ, per quod excitatur concupiſcentia fœminarum; Vnde dicitur quod, *aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fæminarum.* ſiue actiue, ſiue paſsiue accipiatur concupiſcentia. quia per vtrumque aſpectum appetitur.

Oculi mulierũ multos perdũt.

Exemplum.

CAP. LXXXIII. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. & cum ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo, corda nunciant impudica, &, ſecundum concupiſcentiam carnis, alterutro delectan-*

lectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Dato mandato circa diſciplinam oculorum, & cauſa mandati; ponit rationes, quare hoc ſeruandum ſit. Ad quod intelligendum, nota, Quod tres ſunt occaſiones, quare quis interdum figat oculos indecore in fœminam. Vna eſt, quod non reputat hoc ſibi illicitum. Secunda, quia non reputat ſe videri ab alio. Tertia, quia non cogitat ſe videri à Deo. Prima, tangit ſeipſum. ſecunda, proximum. tertia, Deum. Contra primum ponitur hic ratio. Contra ſecundum, ibi, *nec putare, &c.* contra tertium, ibi. *Sed ſi lateat.* Ne ergo ſe ipſum quis circa primum decipiat, dicit, quod non poteſt eſſe impudicitia in oculo, quin ſit in anima. Secundo oſtendit, quantum malum ſequatur ex huiuſmodi impudicitia, ſcilicet fuga caſtitatis, dicens, *Et cum ſe inuicem.*

Tres occaſiones mali aſpectus.

Circa primum vero, notandum. Quod impudicus eſt oculus, qui audet inſpicere verecunda humani ſexus in ſe, vel in alio, ſicut Cham, qui inſpexit verenda patris. Gen. 9. Item, impudicus oculus eſt, qui attente intuetur imagines libidinoſe depictas. Sicut Ooliba meretrix, de qua dicitur Ezechiel 23. Cum vidiſſet viros depictos in pariete, & imagines Chaldeorum, expreſſas coloribus, & accinctos baltheis renes, inſaniuit ſuper eos concupiſcentia oculorũ. Impudicus etiam oculus eſt, qui non refugit inſpicere congreſſum animalium quorumcunq;. vnde & natura refugit aſpectum hominum, in congreſſu animalium, ex quo ſolet irritari concupiſcentia carnis; ſicut probatum eſt ſæpius. Item, impudicus oculus eſt, qui in ſpectaculis reſpicit repræſentationes actuum impudicorum: ſicut ſolebant fieri in theatris tempore gentilitatis, & adhuc, proh dolor, apud aliquos Chriſtianos fertur in quibuſdam ludis, & comœdijs contra quæ dicit multa Auguſtinus in lib. 2. de ciuitate Dei. vbi inter alia ſic dicit. Veniebamus etiam nos adoleſcentes, ad ſpectaculum, vt ludis turpiſsimis oblectaremur. Impudicus quoq; oculus dicitur, qui curioſe conſiderat ſpecies mulierum. contra quod dicitur Eccleſ. 25. Ne reſpicias ſpeciem mulieris. Impudicus iterum oculus eſt; qui nutus impudicos exercet; ſicut apoſtata de quo dicitur Prouerb. 6. Annuit oculis. Sunt autem huiuſmodi nutus, valde efficaces in malum. propter quod dicitur Prouerb. 6. Non concupiſcat pulchritudinẽ eius, ſcilicet malę mulieris, cor tuum; ne capiaris in nutibus illius. Impoſsibile eſt enim huiusmodi impudicitiam exercere oculis, niſi animus fuerit impudicus. Cõſtat enim, quod oculi ſunt ſub regimine animi. Certum autem eſt, nullum patremfamilias, vel dominum, familiã ſuam permiſſurum, aliquam impudicitiam exerce-

Cap. LXXXIIII.

Quæ male & periculoſe inſpiciuntur.

Vt oculus, ſic animus impudicus.

re coram ſe, niſi ipſe ſit impudicus. Item, oculi magis ſunt in poteſtate animi, quã membra inferiora: ſed nunquã per huiuſmodi mẽbra exercetur voluntarie aliquid impudicũ, quin adſcribatur animo, quanto igitur magis pudicitia oculorum eſt animo ſemper attribuẽda? Item, non poteſt eſſe matrona pudica, quæ per nunciũ aliqua verba impudica mandat alicui: quanto ergo magis erit impudicus animus per nunciũ ſuum, id eſt oculum, impudicitiam exercentẽ. Bene ergo dicit quod *impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius*: quia impudicitia huiuſmodi manifeſte nunciat animum impudicum; hominis namque exteriora enunciant de illo, ut dicitur Eccleſiaſ. 29.

Cap. LXXXV Plurima mala ex oculorũ concupiſcentia.

Circa ſecundum, quod dicit, quod concupiſcentia carnis oculis patrata, ſine alio tactu, fugat caſtitatem; notandum, quod, præter iſtud malum, multa alia mala facit huiuſmodi concupiſcentia. Vnum eſt, quod denigrat animum. Eccleſ. 20. Concupiſcentia ſpadonis (ſcilicet carnis, quæ ſicut ſpado corrumpere poteſt, non fæcundare in bono) deuirginat iuuenculam; ſcilicet animam. per huiuſmodi enim concupiſcentiam, ſine alio tactu exteriori, interdum amittit virginitatẽ anima. Aliud eſt, quod auertit à Deo. Daniel. 13. Exarſerunt in concupiſcentia eius, & auerterunt ſenſum ſuum; declinaueruntque oculos ſuos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Aliud eſt quod tradit hominem in
Iud. 16. manus hoſtium; ſicut Dalila Samſonem. Eccleſ. 18. Si dederis animæ tuæ (hoc eſt, ſenſualitati tuæ) concupiſcentias ſuas: faciet te gaudium inimicis tuis. Aliud eſt, quod quodammodo æquat hominem adultero. Matth. 5. Qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam; iam mœchatus eſt in corde ſuo. Aliud eſt, quod generat peſſimam prolem; generat enim peccatum. Iacob 2. Concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum. Quid autem peius? Nonne melius eſſet ſi pareret bufonem? Item, euacuat animam omni bono. Dan. 13. concupiſcentia ſubuertit cor tuum. vas enim, quod inuertitur, euacuatur omni contento. Item, reddit deteriorem ſenſum hominis. Sap. 4. Inconſtantia concupiſcentiæ ſubuertit ſenſum; ſcilicet in malitia, ante enim non erat in malitia. Item, paulatim magis, ac magis corrumpit hominem; ſicut pars putrida corrumpit alias. 1. Pet. 1. fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem; id eſt, concupiſcentiam, quæ corrumpit. Item, coinquinat ſicut vulnus plenum ſanie 2. Pet. 3. In concupiſcentijs immunditiæ ambulant: in concupiſcentijs ſcilicet, quæ plenæ ſunt immunditia. Item aduerſatur

ſatur ſpiritui, & impedit omne bonū. Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & poſt. vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Item, conſtituit hominem in turmis mundi, Deo contrarijs, quæ ſunt tres: concupiſcentia carnis; concupiſcentia oculorum; & ſuperbia vitæ; ſicut dicitur 1. Ioan. 2. Proinde, cum huiſmodi concupiſcentia tot mala inducat, non eſt bonorum virorum ipſam laxare; exemplo illius iniqui, de quo dicitur Daniel. 11. Erit in concupiſcentijs fæminarum: ſed potius ipſas refrænare; exemplo illius qui dicit Tob. 3. Mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia. immo debemus eam mortificare ſecundum præceptum Apoſtoli, dicentis Col. 3. Mortificate concupiſcentiam malam. Porro ex intuitu mulieris ſpeciei; concupiſcentia, quaſi ignis, exardeſcit. Et ideo decet virum ſanctum, vt caueat ſibi ab huiuſmodi concupiſcentia, & ab omni impudico aſpectu Narrat Tullius lib. 2. de officijs, quod cum eſſent duo Prætores collegæ, Pericles, & Sophocles, & officij cauſa conueniſſent: contigit quendam iuuenem ſane pulcherrimum ad eos intrare; quem cum vidiſſet Sophocles, dixit ad ſocium; O pulchrum puerum Pericles; At Pericles ad eum. decet Sophocles Prætorem non ſolum mentem, ſed & oculos abſtinentes habere. Si autem hoc decet Prætorem: quanto magis virum Religioſum? Non eſt ergo ſine culpa viri Religioſi, quod habeat oculos impudicos. Et hæc prima cauſſa, quare debet cauere vir Religioſus ab omni impudico mulierum aſpectu.

Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe ipſum diligit fixum, ab alijs ſe non videri, cum hoc facit. videtur omnino: & à quibus ſe non videri arbitratur. Hic tangitur ſecunda ratio, quæ eſt ex parte proximi, quare mandatum dictum eſt obſeruandum. Et notandum, quod aliqui ſunt ita ſtolidi, qui cum non vident alios, non putant ſe interdum videri ab alijs. Illi ſunt animal ſtolidum, ſicut aſinus, de quo dicitur, quod quando habet caput inter ſepes, non videns lupum, non putat ſe videri ab eo. Sunt iterum ſicut pueri, qui in ludo quodam quando recurrunt ad genua matris, & ibi abſcondunt caput, non putant ſe videri ab alijs pueris, quos non vident. Ita & multi cum aliquid indiſciplinate committunt circa mulieres, non vidētes alios; non putant ab eis ſe videri: ſed non eſt ita. Non putabat Iſaac ſe videri, cum iocabatur cum vxore ſua Rebecca: ſed vidit hoc Abimelech, rex Palæſtinorum proſpiciens per feneſtram. Geneſ. 26. Non putabat ille iuuenis, qui ambulabat aduespe-

CAP. LXXXVI.

Multi nos vident cum minus putamus.

aduesperaſcente die, iuxta domum meretricis, quem deprehenſum, oſculata eſt, ſe videri à Salomone: quem tamen vidit de feneſtra domus ſuæ, proſpiciens per cancellos. Prouerb. 7. Nunquid illa mulier quæ deprehenſa in adulterio, adducta eſt ad Ieſum. Ioan. 8. putabat ſe videri; vel adulterans cum ea, quando ſunt & viſi & comprehenſi? Sic quodam Dei iudicio, multi in huiuſmodi; cũ ſe putant latere, deprehenduntur, ſuperna prouidentia, non ſine cauſſa, atque vtilitate hoc permittente. Qui enim huiuſmodi ſunt, corriguntur prę confuſione interdum, qui nunquam Dei timore corrigerentur. Ideo orat pro talibus Pſal. 5. Confundantur, & conuertãtur retrorſum; ſcilicet à malis conceptis retrahantur præ confuſione. Item, alijs hoc vidẽtibus incutitur timor ſimilia perpetrandi: ſicut furum deprehenſio eſt alijs ad timorem. Exemplum. Actor. 5. de Anania, & Saphyra. quibus deprehenſis, & punitis; ſequitur in hiſtoria; Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt hoc. Item, ſicut fures interdum plus nocent Reipub: quàm raptores; ita occulta peccata, quia & frequentius, & à maiotibus committuntur, & minus poteſt ab eis caueri: ſicut fures magis Rempublicã lædunt, dum magnos theſauros aſportant: raptores vero dumtaxat abigunt aſinos & capras. nec poteſt paterfamilias ab illis, cauere quia neſcit quãdo veniãt. 4. Reg. 24. Immiſit dominus (ſcilicet permiſsiue) latrunculos Chaldæorum, & latrũnculos Syriæ: & latrunculos Moab; & latrunculos filiorum Ammon in Iudam; vt diſperderent eam. Proinde dominus Reipub. & amator commodi illius, curat interdum aperiri huiuſmodi peccata, ſicut domini locorũ adhibent diligentiam magnam, vt capiantur latrones, & confundantur. Hiere. 2. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur; ſic confuſæ ſunt domus Iſrael: quæ Religioſos deſignanr. Igitur huiuſmodi homines videntur interdum, & deprehenduntur, Deo procurante, propter aliorum timorem, & propter commune bonum.

Multi iuuantur, cũ deprehenſi corriguntur.

Cap. LXXXVII. *Sed etſi lateat, & à nemine hominũ videatur: quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quanto videt ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere; ne velit fœminæ male placere. Illum cogitet omnia videre; ne velit fœminam male videre. Illius namq; & in hac cauſſa commendatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt; Abominatio eſt domino defigens oculum.* Ad obſeruandum mandatum prædictum ponitur hîc ratio tertia, ſumpta ex parte Dei, quoad eius intuitum. Circa quem, quatuor tangit. Primo, quantæ ſit virtutis: quia ipſum nihil poteſt latere. Secundo, quam fatui ſunt qui putant contrarium; ibi *An ideo*

Eccleſia. 9. a. & Matth. 5. d ad ſenſum.

ideo putandus eſt. Tertio, ex hoc, quod, poſtquam, duę rationes prędictæ debent mouere, concludit quod volebat, ibi, *Illi ergo.* Quarto concluſionem, auctoritate confirmat, dicens, *Illius namq́.* Circa primum, notandum, quod ſi hominum aſpectum quandoque lateant aliqua facta noſtra, tamen diuinum intuitum nihil poteſt latere. Tenebræ enim, quanquam impediunt aſpectum humanum; ſed certe non diuinum. Iob. 33. Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vbi abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. Item, obſtacula, vt parietes, & ſimilia: ſed non ſic apud Deum: Eccleſ. 23. Oculi domini multo lucidiores ſuper ſolem. quia ſcilicet radij ſolares non penetrant res opacas, vt muros. Oculi vero Domini, omnia quantumcunq; opaca pertranſeunt: ſicut oculi qui dicũtur vltra parietes videre. Ite, paruitas rei facit interdum, quo minus videatur. Sunt enim quædã, ita exigua, vt non poſſit homo ea videre; ſed non ſic apud Deum. Eſa. 18. Ego conſiderabo in loco meo. ſicut meridiana lux clara eſt; quæ ſcilicet oſtendit atomos, ita & ipſe videt & motus, & geſtus, & cogitationes, & affectus, & intentiones. & ſimilia quantumcunq; exigua. Item, res remota non videtur: quanquam enim nõ videt homo rem, alias viſibilem, propter diſtantiam: non ſic tamen Deus; quia ipſe pręſens vbiq;. Gen. 31 dixit Laban, quamuis gentilis; Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt, abſq; Deo, qui præſens reſpicit. Item, res abdita nõ cernitur. non ſic vero apud Deum. Quid enim profundius corde? ipſe autem eſt, qui nouit abſcondita cordis, vt dicit Pſalm. Quantò, magis omnia alia, & vbique abſcondita? propter hoc bene dicit, *quem latere nihil poteſt*; cõcordans verbo Apoſtoli, dicentis. Heb. 3. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. quia nec tenebræ, nec interpoſitio, nec rei exiguitas, nec diſtantia, nec aliqua abſcondita impediunt intuitum eius. Circa ſecundum, notandum, quod Deus non videtur aliquando videre aliqua mala, quia permittit ea impunita. Gregor. Quaſi clauſis oculis non vult aſpicere, quod non vult ferre. licet vero videatur non videre: tamen non eſt ita. videt enim omnia mala; ſed ex cauſſa interdum, quaſi non videns, ea non ſtatim punit. Nota, quod Deus differt punire peccatores multiplici ratione. non enim eſt propenſus ad puniendum, ſed quaſi inuitus hoc facit. Thren. 3. Non enim ex corde humiliauit, & abiecit filios hominum; Et ideo facit hoc tarde, & lente, ſicut ille, qui facit rem aliquam inuitus. Item, facit hoc interdum miſericorditer, expectando ad pœnitentiam. Sap. 12. Non enim impotens eras impios ſimul exterminare: ſed partibus (id eſt propter partes) iudicans, dabas locum pœnitentiæ. Item, interdum hoc facit exi-

Quomodo Deũ nulla noſtra actio latet.

Pſalm. 7.

Quomodo ſæpe Deus ad tempus conniuet.

T gentibus

gentibus culpis aliorum; qui in ſordibus ſordeſcēdo, adhuc ad pœnas reſeruantur maiores. 2. Machab. 6. In alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eos, cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat. Item, interdum hoc facit ne detur malignis occaſio gloriandi, Deut. 33. Propter iram inimicorum diſtuliſti (ſcilicet punire) ne forte ſuperbirent hoſtes eorum. Item, interdum, vt per hoc doceat cum inimicis noſtris debere nos eſſe patientes exemplo ſuo: non ſicut ſeruus nequam; qui à Domino ſuo toleratus, noluit patientiam habere in conſeruum ſuum, Matth. 18. Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. nonne ergo oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut et ego tui miſertus ſum? Sunt ergo quinq; cauſæ quare Dominus interdum, etſi videat mala aliqua; non tamen ſtatim punit, & cum omnes valde ſint rationabiles, patet quod huiuſmodi patientia procedit ex ſapientia, non ex malorum ignorantia. Bene ergo inuehitur contra iſtos Auguſtin. dicens. *An ideo putandus eſt non videre: quia videt tantò patientius, quantò ſapientius?* Circa tertium, notandum quod quinque ſunt circūſtantiæ ex parte videntis, propter quas quis ſolet magis timere facere aliquid mali coram eo. Vna eſt, ſi ſit magna perſona. Alia, ſi ſit honeſta. Tertia eſt, ſi malum quod fit, fiat contra eum. Quarta eſt, cum is, qui videt, debet malum illud accuſare. Quinta, ſi debeat de illo iudicare. Ipſe autem Dominus eſt tam magna perſona, vt magnitudinis eius non ſit finis. vt ait Pſalm. Tam honeſta, vt oculi eius ad iniquitatem reſpicere non poſsint, Abacuc. 2. Ipſe eſt, contra quem ſolum eſt peccatum. Ipſe eſt, qui debet accuſare peccatum teſtificando; & iudicare. Hier. 29. Ego ſum iudex, & teſtis. Ideo reprehendit ſeipſum Dauid; ſuper hoc dicens, Et malum coram te feci. qui ſcilicet es tam magnus; tantus honeſtatis Zelator; in cuius ſolius iniuriam fit peccatum; qui de illo contra me teſtificaberis, & de ipſo me iudicabis. Bene ergo dicit, *Illi* (ſcilicet qui talis eſt) *timeat diſplicere vir ſanctus, ne velit fœminæ placere. Illum cogitet omnia videre.* hoc eſt, caueat, ne in tali viſu, aliquid mali committat coram eo. Et quia poteſt aliquādo placendi ſtudium vel aſpectus, non malus eſſe; ne omnia reprehendat, ideo ait, *male placere, & male videre.* Circa quartum, notandum, quod mulier eſt quaſi ſaccus ſtercorum. Abominabilem enim rem faceret, qui figeret manum in ſaccum ſtercoribus plenum: & abominationem maiorem faceret, ſi figeret linguam, quæ eſt nobile membrum. Oculus autem eſt membrum valde nobile. Quanta ergo abominatio

Quomodo Dei oculos in primis timere debemus.

Pſalm. 144.

Quomodo abominabile ſit, in fœminam oculum figere.

natio eſt coram Deo, figere oculum, in huiuſmodi ſaccum? Item, abominabilẽ rem faceret, qui corā hominibus mẽbra inferiora turpiter, atque obſcœne pertractaret: ſed fixio oculorũ in mulierẽ facit hoc coram Deo. Item, abominabilem rem faceret coram hominibus, qui ſordibus impleret ſinum ſuum: ſed hoc facit coram Deo fixio huiuſmodi; quia ex illa inducuntur cogitationes immundæ innumerabiles in cor. Item, abominabile eſſet coram hominibus, rem precioſam, & mundiſsimam miſcere cum vili, & immunda; vt vinum cum vrina; balſamum cum ſtercoribus: ſic autem facit defigens oculum in mulierem: quia per huiuſmodi fixionem, miſcet animam ſuam, quæ ex ſe, tanquam res ſpiritualis, eſt precioſiſsima, & mundiſsima, cum carne muliebri; quæ eſt res viliſsima & imunda. Itẽ, abominabile eſſet ſi, quis per naſum emitteret vrinam; vel per os ſtercora: quia non ſunt illi meatus ad hoc deputati. Quanta ergo abominatio eſt coram Domino: cum quis, per oculos, deputatos ad cæleſtia contemplanda, emittit luxuriam? Hoc autem facit defigens oculos malè in mulierem. per ipſos enim oculos emittit impudicitiam intrinſecam. Bene ergo dicit ſcriptura ſecundum ſenſum, aut aliam translationem; Abominatio eſt Domino defigens oculũ. *Eccli. 9. a et Matt. 5. d. ad ſenſum.*

Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicunq; fœminæ ſunt; inuicem pudicitiam veſtram cuſtodite. Deus enim, qui habitat in vobis: etiam iſto modo, cuſtodiet vos ex vobis. Data ſunt ſupra præcepta, vel mandata circa tria pertinentia ad honeſtatem. Hic ſubiungit mandata circa correctionem inhoneſtatis: quod eſt maximæ honeſtatis. Attendendum vero eſt, quod quędam ſunt, & fiunt mala, quæ qui faciunt vix agnoſcunt, niſi deprehenſi. Alia vero, quæ qui faciunt facile noſcunt. vt vero mala deprehendantur, facit mutua cuſtodia. Cum autem per huiuſmodi cuſtodiam, aliquid deprehenditur; debet ſequi ſecreta admonitio. cum vero huiuſmodi admonitio non prodeſt; procedendum eſt ad denunciationem. Auguſtinus igitur hæc proſequens; Primo, ponit circa deprehendendi rationem mandata particularia. Secundo, generatim. In particulari vero primo ponit mandatum, circa huiuſmodi cuſtodiam: & hoc in negotio pudicitiæ; de quo ſpecialius eſt curandũ, tanquam de re maximæ honeſtatis. Secundo, circa admonitionem, ibi, *& ſi hanc &c.* Tertio, circa denuntiationem, ibi, *ſi autem & poſt.* Quarto, circa eandem in genere, ibi, *& hoc quod dixi.* Quinto, circa mala, quę facile dignoſcuntur, ibi, *quicunq; autem in tantũ.* Circa primũ, notandũ; quod ſicut vir nobilis, Zelotypus ſponſæ ſuæ ſolet ponere cuſtodes circa eã; ne faciat aliquid indecẽs; ita Dominus, amator animæ, multos ſtatiut *Cuſtodes pudicitiæ nobis à Deo attributi.*

CAP. LXXXVIII.

Pſalm. 90. circa eam cuſtodes. Aſsignat ad hoc angelos. Pſal. Angelis ſuis Deus mandauit de te; vt cuſtodiant te. Item, Prælatos. Eſai. 62. Super muros tuos Hieruſalem, conſtitui cuſtodes, ſcilicet Prælatos. Item, proximos. Eccleſ. 17. Vnicuiq; mandauit Dominus de proximo ſuo: ſcilicet cuſtodiendo. Vnde Gen. 4. reprehenditur Cain, in eo, quod dixit: Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? porro pudicitia eſt valde precioſa. Eccleſ. 27. Omnis ponderatio, non eſt digna continentis animæ. Item, habet magnam impugnationem: Impugnatur enim à carne, per concupiſcentiam. Item, à mundo, per viſibilia. Item à dæmonibus, qui in hoc, inceſſanter Religioſos *Exemplum.* impugnant. Vnde in vitis patrum legitur, quod quidam dæmon impugnauit quadriginta annos quendam Eremitam, vt cum ſemel ad fornicationem deduceret. Propter hoc dæmones in ſcriptura vocantur locuſtæ; quæ à iuuentute, flores deuorant: ita & ipſi, flores pudicitiæ. Item, vas in quo ſeruatur pudicitia, eſt vas valde fragile, iuxta illud Apoſtoli 2. Corint. 4. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. quæ autem huiuſmodi ſunt, ſolent diligenter mul- *Vbique caute agendum.* tum ſeruari. Item, notandum, quod aliquando contingit, quod perſonæ religioſæ, declinantes loca ſolitaria, propter ſuſpicionem, quam de ſe nolunt generari, dum ſunt cum alijs, non, tamen aduertentibus, & committunt aliquam impudicitiam, actu vel viſu, vel huiuſmodi, circa mulieres. Item, quandoq; in loco ſacro. Item, quandoque illi, de quibus nullatenus crederetur. Et ideo incaute faciunt, qui in aliquo iſtorum confidentes, minus ſollicite cuſtodiunt fratrem ſuum. Item, notandum, quod pudicitiæ obſeruatio, ſpeciale donum Dei eſt, Sap. 8. Sciui quoniam aliter non potui eſſe continens; *Varij modi vitandi impudicitiam.* niſi Deus daret. Sunt autem multi modi; quibus Deus hominé conſeruat ab impudicitia. Vno modo, ex præcedenti virtute animæ cuiuſque. Sic cuſtodiuit Abimelech regem Geraræ; ne tangeret vxorem Abraham propter ſimpliciratem cordis ſui. quia neſciens, quod eſſet vxor Abraham, tulerat eam, vt ſibi acciperet vxorem ſuam, ſecundum glos. Gen. 20. Ego ſcio quod ſimplici corde feceris hoc: & ideo cuſtodiui te, ne tangeres eam. Alio modo, per aduerſitates. Oſee 2. Sepiam viam tuam ſpinis; & ſepiam eam maceria; & ſemitas ſuas non inueniet. Et ſequitur. amatores ſuos, & non apprehendet eos. Tertio modo, per adiutorium humanum; ſicut reges ſolent cuſtodire vxores per eunuchos; quod, ſecundum Apoſtolum, Dei coadiutores ſumus. Sed tamen ſine ipſo, non ad hoc ſuf- *1. Cor. 3.* ficimus. His prænotatis, patet continuatio, & expoſitio præſentis mandati. Dixerat enim immediate ante, quod defigens oculum, abominatio ſit Deo; & ideo concludit. *Quando ergo ſimul eſtis, &c.*

quaſi

quaſi dicat. Ne ergo contingat hoc de vobis, ſcilicet vt ſitis abominatio Deo, cuſtodite vos ipſi, non relinquentes totum cuſtodiæ angelorum, vel Prælatorum. Cuſtodite, inquam, pudicitiam veſtram, quæ eſt res tam precioſa; tam impugnata, & in tam fragili loco poſita. Et hoc facite, quando ſimul eſtis; non confidentes de ſocietate; etiam ſi ſitis in Eccleſia, vel in alio quocunque loco; non confidentes de loci ſanctitate. *& inuicem*, id eſt vnus indiſcriminatim alterum, quicunque ſit; non confidentes de perſonæ conditione quacunque. Quamuis autem ſic faciatis, quod in vobis eſt, tamen non putetis hoc ſufficere, niſi & ipſe Deus hoc faciat; ſed confidite, quia ſi quod veſtra intereſt facitis; ipſe Deus qui habitat in vobis, qui multis modis ſolet ſuos cuſtodire, hoc modo cuſtodiet vos, ex vobis.

IN CAP. XIII. REGVLÆ VGO.

E*Tſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam*: vſque *competenti ſeueritate coerceri.* Hæc ſententia verbis Apoſtolicis concordat & Euangelicis. Ait enim B. Paulus. Si fuerit homo præoccupatus in aliquo delicto; vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi, in ſpiritu lenitatis. Et Dominus in Euangelio. Si peccauerit in te frater tuus; corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audiuerit], lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tibi duos vel tres: vt in ore duorum vel trium, ſtet omne verbum. Summa quidem diligentia inueſtiganda, & corrigenda eſt culpa. Nam ſi ea non emendatur in hoc ſeculo: damnabitur in futuro. Vnde Apoſtolus ait. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Melius eſt ergo hic emendare vitam, quam tunc perire. Qui amat corripi, ſapiens eſt. Vnde ſcriptum eſt. Corripe ſapientem, & amabit te. Stultus autem, ſi corripitur, iraſcitur. Sed quid dicit, Apoſtolus ad diſcipulum? Inſta, inquit, oportune; importune. Oportune dicebat: propter eos qui libenter audiebant verbum prædicationis. Importune: propter eos, qui inuiti audiebant. Similiter eos qui culpas redarguunt, quandoque oportet eſſe importunos. Sed iſta importunitas, non eſt ex ira, ſed ex charitate: & ſæpe is, qui conturbatur quia corripitur, cum cogitare ceperit, cum quanto eum amore frater ſuus reprehenderit, gaudet de reprehenſione: & quod deliquit, ſtudet emendare. *Nec vos iudicetis eſſe*

Pro admonitione, et correctione.
Gal. 6.
Matt. 18.
Prou 9.
2. Tim 4.

maleuolos: *quando hoc indicatis*: vſque, *ne deterius putreſcat in corde.* Si crudelis eſt, qui peccati vulnus in corpore fratris cælat: multo magis crudelis eſt, qui peccati vulnus in anima fratris non indicat. Et reus mortis illius exiſtit, quem tacendo perire permittit. Sicut enim ille ex opere, ita iſte damnatur ex taciturnitate. Quod ſi is crudelis eſt, qui culpam non detegit; è contra ille miſericors eſt, qui eam no abſcondit. Nec maiorem poteſt erga miſerum miſericordiam agere; quam pereunti vitam præſtare. Magna quoque illi merces debetur ab omnipotente, à quo dictum eſt. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et Iacobus ait. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quo autem ordine culpa debeat demonſtrari, oſtendit cum ſubiungit. *Sed antequam aliis demonſtretur*, vſque, *non innoteſcere ceteris.* Culpa cum occulte committitur; ab alijs fratribus, qui eius culpæ conſcij ſunt, hic qui delinquit frater, ſecretè debet corrigi; quos ſi neglexerit audire, patri monaſterij debet indicari: vt & ipſe fratrem ſecreto corrigat; quatenus culpa quæ adhuc latens eſt, ſi forte ſecretius corrigi poterit, non omnibus innoteſcat. Si autem negauerit, tunc teſtes adhibeantur; vt conuictus diſtrictius iudicetur. Et hoc eſt, quod ſubditur. *Si autem negauerit*, vſque, *debebit emendatoriam ſubire vindictam.* Qui blande caſtigatus non corrigitur, neceſſe eſt vt acrius corrigatur. Cum dolore enim abſcindenda ſunt, quæ leniter ſanari non poſſunt. Qui autem admonitus ſecreto de peccato, corrigi negligit; publice arguendus eſt; vt vulnus, quod oculte ſanari neſcit, manifeſte valeat emendari. Manifeſta autem peccata non ſunt occulta ratione purganda. Palam enim arguendi ſunt, qui palam peccant; vt aperta obiurgatione ij, qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Is ergo, qui ſecreto corrigi noluit: publice conuictus, debet emendatoriam ſubire vindictam. *Quam ſi ferre recuſauerit*, vſque, *plurimos perdat.* Melius eſt enim, vt pro multorum ſaluatione, condemnetur vnus; quam, per vnius exemplum, plurimi periclitentur. Hinc Dominus ait in Euangelio. Si oculus tuus ſcandalizauerit te; erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt vnum membrorum tuorum pereat; quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et, ſi dextera manus tua ſcandalizauerit te: abſcinde eam, & proijce abs te. Per dexteram manum poſſumus intelligere aliquem noſtrum neceſſarium amicum. Qui prouidet in cauſsis; oculus noſter eſt. qui miniſtrat in neceſſarijs: manus noſtra eſt. qui etiam prouidet in ſpiritualibus, noſter dexter

Matth. 5.
Iac. 5.
Correctionis modus.
Incorrigibiles ſeparandi.
Matt. 5.

ter

ter oculus, aut dextera manus eſt. Talis & tam neceſſarius, ſi cæteros in Dei ſeruitio ſcandalizauerit, de corpore, ideſt de ſocietate, eſt abſcindendus. Melius eſt enim vnius ſolatium perdere; quam, per vnum, totum corpus perire. *Et hoc quod dixi de oculo non figendo, vſque, & odio vitiorum.* Hinc idem beatus doctor alibi dicit, Sic diligendi ſunt homines, vt non diligantur eorum errores. Aliud eſt enim amaſſe, quod facti ſunt: aliud vero odiſſe, quod faciunt. *In correctione retineatur charitas.* Sunt nonnulli, qui aliorum redarguunt culpas, non tam ex charitate, quam ex odij amaritudine: non tam, vt eos corrigi velint, quam vt odium, quod in corde geſtant exercere valeant. Et hoc non eſt ſecundum Deum. Magis autem ad vindictam pertinet, quam ad diſciplinam. Caueant ergo, vt neminem cum ira & indignatione; ſed potius cum dulcedine, & charitate redarguant. Etſi aliquando, culpa exigente, ſonat in voce aſperitas; ſemper tamen maneat in mente lenitas. Iuxta quod Apoſtolus præcipit dicens. *Gal. 6.* Vos qui ſpirituales eſtis; inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Bene autẽ ſubiungit; Conſiderans temetipſum, ne et tu tenteris. Attende enim te ipſum, qui aliũ reprehendis; quia peccator exiſtis, & fragilis, ne grauiter tenteris, ſi quem reprehendere conaris; indignando potius, quam compatiendo. Fiat ergo cum dilectione hominum, & odio vitiorum; ita vt amor ſeruetur in corde erga hominem, & odium aduerſus vitium; quia diſtrictio debetur vitijs, compaſsio vero naturæ.

VMBERTVS.

CAP. LXXXIX.

ETſi hanc, de qua loquor oculi petulantiam, in aliquo veſtrum aduerteritis: ſtatim admonete: ne male cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Cuſtodia mutua valet ad duo. Ad cauendum peccatum. ideo dixit in præcedenti mandato. Deus qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis; ſcilicet à malo. Item, ad deprehendendum malum, ſi fiat. & circa hoc, tradit hoc mandatum, dicens, quid ſit faciendum quando deprehenditur: ſcilicet quia monitio eſt facienda, & ſtatim. Et ſubiungit cauſſam duplicem; ſcilicet ceſſationem in futuris, ne cœpta progrediantur; & correctionem de præteritis, vt de proximo corrigantur. Et ſic tria continet hoc mandatum; ſcilicet mandati ſubſtantiam, & tempus exequendi, & cauſſam. Sed quæret aliquis circa primum. *An etiã de venialibus ſit fraterne admonendum.* Nunquid tenemur ad correctionem fraternam de venialibus? Id non videtur. Nullus enim tenetur ſe corrigere in venialibus. alioquin per venialia damnaretur. Quid ergo mandat Auguſtinus, dicens, de petulantia oculorum debere nos fratrem corrigere;

cum huiuſmodi petulantia potius iudicanda ſit venialis, quam mortalis? Reſpondetur quod venialia diſponunt ad mortalia. Sed quædam diſponunt remote; quædam propinque; vel ratione multitudinis, ſicut in illo, qui aſsidue huiuſmodi, ſine numero, committit; vel ratione magnitudinis, ſicut ſunt aliqua mendacia, & aliquæ detractiones, & ſimilia; vel ratione connexionis cum mortali; ſicut ſunt colloquia impudica, & viſus, & huiuſmodi circa mulieres. Sicut ergo qui videt aliquem incedentem per viam, per quam putat quod ſtatim incurreret periculum mortis, peccaret, niſi retraheret eum: ita poteſt aliquis peccare mortaliter, niſi corrigat fratrẽ in huiuſmodi venialibus, quæ diſponunt propinque ad mortale: & ex talibus eſt petulantia, de qua hic loquitur. Eſt enim diſpoſitio valde propinqua ad peccatum mortale. Tenemur igitur ad correctionem fraternam in venialibus interdum, non quatenus venialia ſunt, ſed quatenus inducunt, ad mortale. Quod innuit Auguſtinus, cum cauſſam huiuſmodi correctionis aſsignat, dicens, *ne cepta progrediantur*. In alijs autem caſibus; quamuis huiuſmodi correctio non ſit neceſſaria ad ſalutem; tamen ad eam plurimum confert. Ad id quod obiectum eſt contra, dici poteſt, non eſſe id verum quod nullus tenetur ſe corrigere in venialibus. Quamuis enim venialia nunquam ſint mortalia, tamen negligentia corrigendi ſe in venialibus, poteſt eſſe mortalis in caſu, quem attulimus; ſicut & contemptus venialium poteſt eſſe tantus, vt ſit mortalis. Et negligentia in ſuperiori parte rationis non corrigentis inferiorem circa venialia poteſt eſſe mortalis. Sed iterum quæritur circa ſecundum; quare debet ſtatim: cum iſtud mandatum ſit affirmatiuum: affirmatiua vero mandata non ſemper obligant, ſed pro loco & tempore? Reſpondetur, quod quædã ſunt peccata iam commiſſa, quæ correctione impediri non poſſunt; de quibus ſufficit, quod pro loco, & tempore, ſeruata oportunitate, fiat correctio: immo, ſecundum quoſdam, commiſſa iam delicta, non tenemur corrigere niſi ſoli Prælati: quoad alios vero eſt conſilium tantum. Circa alia vero peccata, dum committuntur, ſtatim adhibenda eſt admonitio: Sicut igne accenſo, ſtatim currendum eſt ad aquam, ſine mora. Et de talibus loquitur hic Auguſtinus; ſicut patet ex hoc, quod dicitur. *Et ſi oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis*; ſcilicet in ipſo actu. Circa tertium, notandum, quod, non ſolum propter cauſſas, quas dicit; Sed propter multas alias rationes, debet ſane vigere huiuſmodi admonitio, quæ dicitur fraterna correctio, in Religione. Eſt enim quædam fraternitas, quæ dicitur naturæ; ſecundum quam, omnes deſcendentes ab Adam dicuntur fratres. Alia fidei;

Quare correcti ſtatim facienda.

Pro fraterna admonitione & correctione, maxime inter Religioſos.

fidei; ſecundum quam, omnes Chriſtiani dicuntur fratres, quia habent eandem fidem. Alia profeſsionis; ſecundum quam, dicuntur fratres, qui ſub eadem vitæ profeſsione viuunt; ſed omnes fraternitates concurrunt in Religioſis. Cum ergo huiuſmodi correctio, fiat propter fraternitatem, iuxta illud, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus; corripe eum inter te, & ipſum ſolum: quantum tenentur ad hoc Religioſi, inter quos eſt tanta fraternitas? Item, Ecclef. 19. dicitur, corripe amicum. Ex quo innuitur, quod huiuſmodi correctio impendi debet maxime amicis; iuxta illud Apoſtoli, Quos amo arguo & caſtigo. Et ideo veriores amici magis tenentur corrigere. Sed verior eſt amicitia illa, quæ Chriſti amore eſt cõglutinata, ſicut dicit Hieronymus. & talis eſt in viris Religioſis. Ex quo patet, quod magis tenentur ad huiuſmodi correctionem in fratribus ſuis. Item, propinquitas eſt cauſſa huiuſmodi correctionis. Non enim tantum debemus extraneis, vel remotis quantum vicinis. Ecclef. 19. corripe proximum; ex quo ſequitur quod magis tenemur. Quis autem propinquior quam ille, cum quo continuo verſamur? Sic autem eſt in clauſtro. Item, ſanctitas rei, ex ſe ipſa, prouocare ſolet vt qui videt in ea ſordes, ſtatim eas feſtinet abſtergere; vt ſi quis videret ſordes in altari Deo conſecrato. Cum ergo quilibet Religioſus ſit Deo conſecratus: quomodo poteſt ſe frater eius continere, quin ſtatim enitatur abſtergere ſordes peccati, ſi eas videt in ipſo? Et ideo bene dicitur, Apocal. 22. Sanctus ſanctificetur adhuc: quaſi dicat. Ex hoc quod ſanctus eſt, debet maior eſſe cura de eius ſanctificatione, ſi in aliquo inquinetur. Item, peccatum fratris redundat in damnum commune; iuxta illud; Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Sicut ergo, quando ignis eſt in vna parte domus, quilibet nititur extinguere; ne tota domus comburatur. Ita curandum eſt ſtatim extinguere peccatum, in quocunque ſit, in Religione. Ideo dicit Auguſtinus, *ſtatim admonete; ne male cepta progrediantur.* Item, arguere eſt proprium opus ſpiritus ſancti; ſecundum illud, Ioan. 16. Ille arguet mundum de peccato. Quomodo ergo poteſt exiſtimari quod ſpiritus ſanctus habitet in illis, qui nunquam arguunt? Ideo ſignanter dicit Apoſtolus, Galat. 6. Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi delinquentem. Patet ex his quod viri Religioſi multum tenentur fraternam correctionem exercere, & ratione magnæ fraternitatis: & ratione veræ amicitiæ; & ratione magnæ proximi propinquitatis: & propter ſtatus ſanctitatem; & propter propriã vtilitatem; & propter ſpiritum inhabitantem. Sed notandum, circa modum correctionis, quod huiuſmodi correctio facienda eſt

Heb. 12.

Varius modus in correctione adhibendus.

cum lenitate. Delinquentes enim ſunt, quaſi infirmi: & ideo cum lenitate ſunt tractandi. Gal. 6. Inſtruite in ſpiritu lenitatis. Item, cum humilitate. Superbus eſt enim animus humanus, & ideo cum quis cum eo ſuperbe agit, ſequuntur inde potius iurgia, quam fructus aliquis, iuxta illud, Prou. 13. Inter ſuperbos, ſemper iurgia ſunt. Propter quod dicitur Prouerb. 18. Cum obſecrationibus loquitur pauper, ſcilicet ſpiritu humili. contra vero; In ore ſtulti iurgia ſuperbe: ſcilicet ſuperba correctio. Prouerb. 14. Item, cum compaſsione. Non einm eſt veræ iuſtitiæ indignari peccatoribus, ſed compati, &, ex compaſsione, corrigere, & eos diligere. *Pſal.* 140. Corripiet me iuſtus in miſericordia; ſcilicet compaſsionis. Item, cum diſcretione. Aliter enim corrigendi ſunt maiores; aliter pares; aliter minores; aliter grauia peccata; aliter leuia, aliter occulta; aliter manifeſta ſunt corrigenda, ſeu tractanda. Et in omnibus ſeruandus eſt locus, & tempus, & oportunitas. Quod quia non obſeruant quidam, habentes zelum in correctionibus, ſed non ſecundum ſcientiam, dicit Bernardus: zelum tuum infrænet ſcientia: ſcilicet, diſcretionis. Item, cum moderamine. Non enim de feſtucis proximorum, ſunt faciendę trabes; ſicut faciunt aliqui, qui docti ſunt, ad culpas aliorum arguendas. 2. Timoth. 2. Seruum Dei, cum modeſtia corripientem: ideſt cum modo debito. Eſt autem modus debitus; vt potius culpæ ſemper alleuientur, quam aggrauentur. Seneca. Lauda parce. vitupera parcius. Item, cum tranquillitate. Correctio enim quæ fit, cum turbatus eſt animus, frequenter eſt quædam impatientiæ offenſio; mentiens in ſe correctionem. Eccleſ. 19. Eſt correctio mendax, in ira contumelioſi. Ideo vir ſapiens differt facere correctionem, quouſque habeat animum tranquillum: vt cum tranquillitate iudicet. ſicut Deus cum tranquillitate iudicat. Sapient. 12. Exemplum habes in philoſopho; qui iratus contra famulum ſuum dixit, Iam te verberarem niſi iratus eſſem. Patet ergo modus, quo facienda eſt correctio: nimirum cum lenitate: cum humilitate: cum compaſsione; cum diſcretione; cum moderatione; cum tranquillitate. Porro, ex eiuſmodi correctione, facta debito modo, ſequitur multus fructus. Vnus eſt, animæ liberatio: Si enim correctus audit corrigentem, lucratus is eſt animam fratris. Matth. 18. Si autem non audit; ſaltem ſuam liberat. Ezechiel. 3. Tu vero animam tuam liberaſti; ſcilicet poſtquam dixiſti impio impietatem ſuã Et noluit ſibi cauere. Vnde patet, quod anima vna ſemper liberatur; ſcilicet vel correcti, vel corrigentis. Alius eſt, diaboli fugatio. Fugit enim lupus, vbi inclamatur. Contra vero, ait Bernardus, Securus accedit

Rom. 10.

Exemplum.

Varij fructus debitæ correctionis.

accedit tentator, vbi nullus timetur reprehenſor. Alius eſt, peccati cognitio. Frequenter enim committens culpam, non aduertit quod facit; aut ſi aduertit, non cogitat ſe male feciſſe; aut ſi male, non adeo male. Eccleſ. 19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci hoc; ſcilicet quod tu dicis; vel non feci male. Alius eſt cautio in futuris. Prouerb. 29. Correctio tribuit ſapientiam. quia ſcilicet per hoc homo fit cautior, ad cauendum in futuro. Alius eſt, puritatis augmentum, Vas enim aureũ, vel argenteum, quanto plus confricatur, tanto plus purificatur. Et ita boni viri Religioſi, quanto plus corriguntur, tanto puriores fiunt. Et ideo intelligentes hoc, non ferunt grauiter. Eccleſ. 10. Vir prudens, & diſciplinatus, non murmurabit correctus. Exemplum habes in Auguſtino Epiſcopo, qui dixit; Ego ſenex, & Epiſcopus paratus ſum ab omnibus corrigi, & emendari: & illum amicum meum exiſtimo, cuius linguæ beneficio ante diem extremi iudicij, animæ meæ maculas tergo. Alius eſt, amicitiæ adquiſitio. quamuis enim Religioſus correctus, interdum ferat moleſte, in principio, tamen rediens ad cor, aduertit corrigentem, amicum ſuum verum. Prou. 28. Qui corripit hominem, inueniet gratiam poſtea apud illũ, magis quã ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Quia ergo ex huiuſmodi correctione, ſequitur animæ liberatio; hoſtis fugatio; peccati cognitio; ad cauendum in futuro, ſapientia; puritatis augmentum; amicitiæ adquiſitio; bene dicitur, quod bonum eſt arguere. Patet ex iam dictis, quod ſex ſunt rationes, quare in Religione ſane multum debet vigere fraterna, & cum Charitate facta admonitio. Et ſex, quæ ſunt circa modum correctionis ſeruanda. Et ſex fructus, qui ex hoc ſubſequuntur. *Exemplum.*

Cap. XC.

Si autem & poſt admonitionem, iterum, vel alio quoque die, idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum, ſanandum prodat, quicunque hoc poterit inuenire. Poſtquam, deprehenſa culpa fraterna; facta eſt admonitio ſecreta, & non prodeſt, procedendũ eſt ad denunciationem. Circa quam tria ſolent concurrere. Primum eſt, culpã indicare. Secundum, indicatam conuincere. Tertium, conuictum dijudicare. Et ideo circa iſta tria, tradit mandata tria. Primum hic. Secundum, ibi, *prius tamen eſt alteri.* Tertium, ibi, *conuictus vero.* Circa indicationem vero faciendam, innuuntur quatuor in hoc mandato. ſcilicet quando eſt facienda? nimirum poſt iteratam culpa, iam facta admonitione. Et ideo dicit. *Si poſt admonitionem.* Item, quare eſt facienda? nimirum quia propter periculum delinquentis; & ideo dicit. *Iam velut vulneratum.* Item, ad quid eſt *Quatuor obſeruãda in delatione.*

facienda? nimirum propter bonum; ſcilicet vt ſubueniatur periculo. Ideo dicit, *ſanandum prodat*. Item, à quo eſt facienda? à quolibet, qui hoc deprehenderit. Et ideo dicitur. *Quicunque*. Sed quæret aliquis circa primum; An liceat culpam fratris indicare Prælato, vel fratribus; vel in capitulo proclamare publice, non præmiſſa ſecreta admonitione? Id non videtur. Quia dicunt iura, quod denunciationem debet præcedere charitatiua admonitio, ſecundum illud, Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Et hoc idē videtur Auguſtinus innuere in iſto mandato. Quod ſi ita eſt, tunc videntur omnes Religioſi peccare, qui proclamant culpas fraternas, non præmiſſa admonitione. Ad hoc autem intelligendum; ſciendum eſt, quod ſunt quædam peccata manifeſta, & hæc, quæcunque ſint, ſiue parua ſiue magna, non requirunt ſecretam admonitionem, ſed publice ſunt corrigenda. 1. Timot. 5. Peccantes, coram communibus argue; vt & ceteri timorem habeant. Glos. peccantes, qui manifeſti ſunt. Alia ſunt occulta. Et horum quædam ſunt parua, vt exceſſus in riſu, & huiuſmodi; & ita adnexa fragilitati humanæ, vt vix aliquis ſit, quantumcunque perfectus, qui ſepties in die non offendat in illis. Iſta vero quia ſunt cuiuſdam quaſi neceſsitatis non habent notabilem verecundiam, neque adducunt infamiam. Et ideo non oportet, in his corrigendis, præcedere admonitionē. Ratio enim, quare debet fieri ſecreta admonitio, ſecundum ſanctos, & Doctores, eſt duplex, Vna eſt, ne amiſſa verecundia, ſi corrigatur frater palā, minus timeat peccare. Secunda eſt, vt parcatur famæ fratris, quantū fieri poteſt, ſalua ſalute illius. Cū igitur hæ cauſę non inueniantur circa peccata iſta: non exigitur ordo huiuſmodi in iſtis; ſed ſine præcedenti admonitione, poteſt frater in capitulo proclamari: ſiue ſint manifeſta, ſiue occulta. Alia ſunt occulta quidem, ſed maiora, quæ habent infamiam, & verecundiam, vt inebriatio & huiuſmodi, quæ quandoque ſunt venialia, quandoque mortalia. In iſtis autem, ſi interdum contingant, vt creditur probabiliter, per ſecretam correctionem prouideri ſolet ſaluti delinquentis, & ſtatui ſuæ Religionis. vt ſi verbi gratia, contingat aliquem probum virum inebriari, ex fortitudine vini, vel alio caſu fortuito, quod nunquā alias ei contigit, creditur quod poſthac ſibi cauebit, ſi fuerit ſecreto correctus. In talib⁹ ſeruādus eſt ordo correctionis: & peccaret qui hoc indicaret alijs, non præmiſſa admonitione. quia nullus fructus ſequeretur ex tali indicatione, & infamaretur delinquens, ſine cauſa: cum per ſecretam correctionem prouideri

Quomodo liceat fratrum culpam aperire, non præmiſſa admonitione.

Secretæ admonitionis cauſæ.

In quibus peccatis neceſſaria ſecreta correctio.

Quando non neceſſaria ſecreta correctio

prouideri poſsit ſufficienter omni periculo. Aliquando vero contingit, propter aliquas circumſtantias, vt probabiliter putetur, quod per huiuſmodi ſecretam correctionem, nõ ſufficienter prouideretur ſaluti delinquentis, vel ſtatui religionis ſuæ: & tunc poteſt omitti huiuſmodi correctio ſecreta, quia non ſperatur fructus; & poteſt, & debet indicari factum prælato, vel aliquibus bonis viris, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe. Vel etiam, de eorum conſilio, poteſt fieri proclamatio in capitulo; ſi tamen poteſt culpa probari. Aliquando vero contingit probabile eſſe, quod delinquẽs eſt tantæ peruerſitatis, vt ſi corrigeretur ſecreto, ex eo conciperet odium aduerſus corrigentem; vel mala machinaretur contra eum; vel ex hoc conaretur defendere vel cooperire malitiam ſuam. Et tunc, non ſolũ non debet fieri talis correctio; imo debet non fieri: quia extremæ eſt dementiæ, ſecundum Hieronymum, fruſtra niti; & nihil aliud, quàm odium quærere. ſed tamen Prælato, vel alijs bonis viris, ſecundum modum prædictum, eſt indicandum. Ad quæſtionem ergo propoſitam, ſic diſtingue: quia culpa vel eſt manifeſta, vel occulta. In primo caſu non requiritur ſecreta correctio: nec Dominus intellexit de talibus, cum dixit; Si peccauerit in te frater tuus. cum dicat gloſ. id eſt, te ſolo ſciente. In ſecundo caſu iterum diſtingue; quia culpa occulta, aut eſt de minimis, aut de maioribus, quæ habent infamiam ſecum. In primo caſu non requiritur etiam admonitio ſecreta. In ſecundo caſu iterum diſtingue: aut quia putatur, quod proſit correctio ſecreta, & tunc non poteſt ſine peccato omitti; aut non putatur. & hoc iterum dupliciter: vel quia putatur, quod non proſit ſufficiẽter & tamen nõ eſt occaſio mali: tunc poteſt & omitti, & fieri: Vel putatur, quod ſit occaſio mali, & tunc poteſt & debet omitti. Ad illud quod contra obiectum eſt; quod denunciationem præcedere debet charitatiua admonitio: dicendum eſt: quod licet verum ſit communiter; tamen habet exceptiones in caſibus, ſicut & aliæ multæ regulæ generales. quia præcepta affirmatiua non obligant in omni caſu, ſed in caſu oportuno. Item, dubitatur de illo dicto, quod, poſt admonitionem, ſi inuenitur iterum frater delinquere, debet indicari. Videtur enim non ſolum vna monitio, ſed plures eſſe faciendæ, ſicut fit in citãdis reis, ad iudices; & in vitandis hæreticis, qui poſt primã & ſecundam correctionem, id eſt binam admonitionẽ, vitandi ſunt, vt dicitur. 1. Tim. 3. in gloſſa, Ad quod dici poteſt, quod ãtequã pęna inferatur iudiciaria, vel vitetur hæretic⁹, quod eſt genus pęnę, plures præcedere debẽt admonitiones; eo quod pænę ſunt molliendæ, & nõ debẽt inferri, ſine cauſſa valde iuſta, & certa. Indicatio ve-

Variæ diſtinctione opus eſt ad ſecretam correctionem.

ro culpæ fraternæ illis, qui poſſunt prodeſſe, non fit ad pœnam, ſed propter medicinã. Vnde, ſicut medicus, qui vult ſubuenire infirmo & probauit vnum medicinæ genus non prodeſſe ei, ſtatim recurrit ad aliud. Ita poſtquam probatum eſt, ſecretæ admonitionis medicinam non prodeſſe, poteſt recurri ad medicinam denunciationis.

CAP. XCI.

Mala opinio de ijs, qui admoniti, à fœminis non cauent.

Circa ſecundũ, notandum eſt, quod dicit, quod pro vulnerato, ſcilicet in mente, habendus eſt, qui poſt admonitionem ſemel factam, incidit iterum in petulantiam oculorum. Ex quo fit argumentum, valde malam ſuſpicionem habendam eſſe de illis, qui, poſt admonitiones frequentes, nolunt ſe corrigere in notabili familiaritate cum mulieribus. nec mirum. Familiaritas enim huiuſmodi, valde periculoſa eſt viro quantumcunque perfecto, ſicut probatum eſt multa experientia. Auguſt. in libro de ſingularitate clericorũ: Quanti & quales clerici, Epiſcopi, & layci, poſt magnalia & ſigna, & mirabilia, naufragati noſcũtur, cũ voluerint in naui fragili, nauigare; hoc eſt in carne fragili ſe exponere periculoſo mulierũ conſortio? Et poſt. De carbonib⁹ ſcintillæ diſsiliũt; de ferro, rubigo nutritur; morbos aſpides ſibilant; & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. Quam Salomon ſic comparat dicens; De veſtimentis procedit tinea; & à muliere iniquitas viri. Præterea, etſi eſſet vir ſanctus, de re ſua ſecurus; tamen debet timere, ne mulier, quæ eſt res fragilis, facile malè circa ipſum afficiatur in eodem. Poſtremo, etſi animum noſtrum confidimus in hoc ſemper in charitate durare; vel illa ſaltem apud nos debet eſſe ſuſpicio, ne illæ, quæ nobis non conueniunt, & aut in nos ipſos forſitan moueantur, aut incitamentis furialibus ſtimulentur. Præterea, etſi non eſſet reale periculum, certum tamen eſt per huiuſmodi familiaritatem ſtatum, ſanctitatis infamia maculari. Quod quam graue ſit, oſtendit idem Auguſtin. in eodem libro, dicens. Peius eſt quam mæchia, continentiam ducere criminoſam, & infamẽ ducere ſanctimoniam; blaſphemiamque ingerere Religioni. Et poſt. Continentiæ bonum fruſtra intrinſecus laborioſo agone cuſtodit, qui forinſecus inficit, & infamat. & ideo dicit Apoſtolus Rom. 14. Ne blaſphemetur bonũ veſtrum. Cũ igitur ex huiuſmodi familiaritate ſequatur periculum proprium & alterius, & tam grauis infamia ſanctitatis; qualis opinio poteſt haberi de ijs, qui & iſta ſciunt, & tamen nunquam volunt ſe corrigere ſuper iſtis. Veruntamen eſt timendum, & eis & alijs, ne intrinſecu libidine ſint infecti; quamuis mulieribus non vtantur, ſicut auarus cupiditate ligatur, cum pecuniam à ſe ſeparari pati non poteſt; quamuis

Periculoſiſsima eſt cuiuis etiam perfecto, familiaritas cum fœminis.

Eccli. 42.

uis eadem non vtatur. Idem, in eodem libro ait; Habent multi diuitias, quas ſuis vſibus negant; ſed pro cupiditate conſeruant, quibus animo perfruantur; etſi in vſu non tangantur. ita, etſi qui diſpexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis alligatur, quamuis nullo concubitu miſceatur, deſiderio tamen, & viſu, & colloquio oblectatur. Præteerea minorum eſt, exempla ſequi maiorum. ſi ergo viri perfecti & ſecuri inhæreant familiaritatibus prædictis, dant occaſionem minoribus idem faciendi; qui, cum ſint infirmi, facile ſimilia agunt; & pereunt aliorum exemplo. Vnde in eodem libro, ait. Quale præmium ſanctitatis expectat, qui perniciosum præbet exemplum; vt infirmi, ſub prætextu dilectionis, ſubtiliter fornicentur: & pudicus, impuducisſimæ caſtitatis præbeat magiſterium, deſtruens quod Apoſtolus comminatur Peribit, inquit, frater infirmus, in tua conſciētia, propter quē Chriſtus paſſus eſt. Et poſt. Eleazarus maluit vitā ſuam tormentis addicere, quam cuiquā magiſter perditionis exiſtere: & nos, vbi nulla tormenta ſunt, fluxibus ſolis, ſeu amicitijs cum fœminis, nolumus anteponere fratres ſaluandos? Item, ex hoc, grauis turbatio generatur in ſocijs; quorum pax, eſſet ſummo ſtudio ſeruanda. Virorum enim ſanctorum eſt zelare non ſolum pro caſtitate ſtatus ſui, ſed etiam pro pulchritudine caſtitatis, quæ oritur ex ea; iuxta illud ſapientiæ 4. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate; ſcilicet famæ. Et ideo, cum videat eam offuſcari, non poteſt non turbari. 1. Machab. 2. dicit Mathathias; Et ecce pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt. Et ſuper offuſcationem pulchritudinis, & claritatis corporalis, ipſi & filij planxerunt valdè. Quanto datur maior occaſio doloris viris ſanctis, cum pulchritudo ſanctimoniæ ſpiritualis offuſcatur? Item, Prælati, in quibus Deus vel auditur vel ſpernitur, ſecundum euangelium, ſolent frequenter ab huiuſmodi familiaritate ſubditos coercere. Et ideo, qui ſe non corrigit, non poteſt de inobedientiæ malo erga Deū & ſuos miniſtros, ſe excuſare. Auguſtinns in eodem lib. poſſunt parentes; poſſunt filij; poſſunt fratres: etiam ipſa (quod plus eſt) à Deo conceſſa ſibi naturæ vincula dirūpere & clerici, Deo non concedente, imo inſuper prohibente, mulierū nexibus compeditam, non volunt recuſare charitatem? Qualis ergo bona exiſtimatio de his haberi poteſt, quos nec ruinæ infirmorum; nec turbatio ſociorum; nec voluntas maiorum, retrahere poteſt à familiaritate prædicta? Sanè ſolent aliqui ſe ſemper ſuper hoc excuſare. Et hoc tripliciter. Primo, ex vtilitate, dicentes quod hoc faciunt propter aliquam vtilitatem temporalem, quæ ex hoc venit. Ad quod reſpondet Auguſtin,

Cauendum maxime à ſpecie mali.

1. Cor 8.

2. Mach. 2.

Exempla quorundam fraternitatem perturbant.

Luc. 10.

Excuſationes familiaritatis cum fœminis.

Auguſtinus in eodem lib. dicens; Si fæmina vtilior æſtimatur, non oportebat carnalia emolumenta præponere vtilitatibus ſpiritualium commodorum. Secundo, ex charitate, dicentes, quod quidquid circa hoc faciunt, faciunt ex charitate, propter ſalutem earum. Ad quod idem in eodem lib. reſpondet, dicens. O dilectio, quæ ſibi inuidet: O charitas, quæ cupit ſe in vituperatione laudari. Grande miraculum, vt virginum caſtitas, virgines faciat, velut coniuges, ardere. Tertio, ex ſanctorum exemplis: Auguſtinus in eodem lib. Sed aiunt. Si de coniunctione, ſcilicet cũ mulieribus clerici notantur, notandi ſunt & ſancti pleriq; nobiſcum: ſiue Helias, qui manſit apud

3 Reg. 17. viduam; ſiue Apoſtoli, qui mulieres ſecum comites circumduce-

1. Cor. 9. bant; aut Ioannes, qui matrem Domini aſſumpſit, Domino delegante; aut ipſe Dominus, cui de ſuis facultatibus alimenta præſtabant

Ioan. 19. mulieres aliquæ religioſæ; cui etiam Martha miniſtrabat ad menſam: qui & ſingulariter locutus eſt, ad puteum ſedens, cum mulie-

Ioan. 4. re alienigena Samaritana: vel cui recumbenti fęmina pedes lauit lacrymis. Ad quod reſpondet Auguſtinus dicens. Si callidi argumentatores, & Iuriſperiti fallaces volunt præuaricari; ipſa iura tranſuertunt, & inconuenientibus exemplis, velut ſimiles coniecturas obijciunt. qui per Salomonem, ipſius legis ſagacitate produntur.

Eccl. 32. Peccator, inquit, homo vitabit correctionem; & ſecundum voluntatem ſuam inueniet cooperationem. patet autem eos fraudulenter

Vitioſa in hoc genere argumenta. iura obijcere, quatuor modis. Primo, quia faciunt argumentum à maiori affirmatiue; quod non valet. ſicut enim non valet hoc argumentum; Ille miles fortis ſubijt tale certamen, & vicit, ergo iſte debilis poteſt idem facere & vincet: ita non valet, Apoſtoli & Prophetæ habitauerunt cum mulieribus & euaſerunt ſine peccato, ergo, & nos propter hoc, idem poſſumus facere. Vnde idem in eodem lib. hos deridet dicens; Reuera homines magni qui ſe comparant ſanctis, vt eximia conuerſatio eorum ſit, quæ Prophetis vel Apoſtolis videatur æqualis. Secundo, quia ſi in hoc, imitandos dicunt ſanctos & imitari volunt; deberent eos & in alijs virtutum operibus imitari; quod tamen nolunt. Idem in eodem lib. Ad occaſionem luxuriæ noſtræ in peruerſum, ſanctos volumus imitari; & in cęteros actus, veſtigia imi-

2 Corint. 6. tari nolumus. In omnibus dicit Apoſtolus, exhibeamus nos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, &c. Ad has imitationes infirmi ſumus; & ad deducendas mulieres, poſſibilitatẽ nobis imitationis tribuimus. Tertio, quia nõ eſt in

Quare Christum, & Apoſtoli fæminas admiſerint. nobis, eadẽ cauſa quæ fuit in ſanctis. Dominus enim præuidens quod erant futuri hæretici, qui & nuptias condemnarent, noluit mulie-

res

res à ſe,& ab Apoſtolis omnino repellere, ne ex hoc error ille confirmaretur. Idem in eodem lib. Præuidebantur à Domino qui nuptias auferrēt; quibus iam tunc per inductas auctoritates prohibebatur, ne maritatæ mulieres accedere vetarentur ad Chriſtum, cui in præſentia ſeruirent. Quarto, quia præmiſſa familiaritas ad horam, & ex cauſa, fuit valde moderata. Idem in eodem lib. ſed non ſine moderamine fuit illa permiſsio. Nam ſi allocutus eſt Dominus ſamaritanam, ad horam: docuit, & receſsit. Et factum eſt, inquit euangeliſta, *Luc. 8.* deinceps: & iter ipſe faciebat per caſtella & ciuitates; prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo; & mulieres, quæ erāt curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria, quæ vocabatur Magdalene, de qua eiecerat ſeptem dæmonia; Et Ioanna, vxor Cuzæ, procuratoris Herodis, & Suſanna; & aliæ multę quæ miniſtrabant illi de facultatibus ſuis. Nūquid adhærebant ſingularib9 ſingulares? aut indiſciplinatæ cōmorationes perſeuerabant; illecebroſe cōuerſātes, vbi tota Eccleſia propemodū videbatur? Et poſt. Vt de Apoſtolis breuiter probē, quātū illis potuit fluxa familiaritas diſplicere, qui cōpulſi ſunt, & de ipſo Domino loquēte cū fæmina, dubitare, niſi eos maieſtatis notitia probata cōpeſceret. Et mirabātur, inquit, quod *Ioan. 4.* cū muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi, quid quæris aut quid loqueris cū illa? Quid autē loquar acceſſum fæminę ad pedes Domini prouolutæ, cuius luctus & planctus ad defenſionem ſui non erubeſcunt improbi flagitare? Et poſt: Ioannes autem matrem domini ſuſcepiſſe videtur; ſed matris eius mores, maternum indicat nomen. Helias vero iuſſus eſt à Domino relinquere ſolitudinem, & ingredi *Helias quomodo apud fæminas.* tabernaculum viduæ, ad magnalia facienda; vt famis tēpore tam ipſi viduæ, quàm pupillis eius ſufficientia tribueret alimenta, qui ieiunijs vſquequaque afflictus, tolerauerat abſtinentiam. Qualis illic fuit communitatis affectus, vbi non erat victus? & qualem ad viduam habuit introitum, cui fames dedit hoſpitium? Quiſquis es, qui te vis de commemoratione viduæ, Heliæ vocari diſcipulum; prius ſolitudines, afflictiones & quadraginta dierum tolera ieiunia. Ex his ergo patet, quod nec vtilitas temporalis, nec charitas ſpiritualis, nec exempla ſanctorum hos excuſant. Sed allegationes huiuſmodi reputādæ ſunt fictæ ad excuſandas excuſationes, in peccatis. Poſtremo notandum, quanto zelo moueatur idem vir ſanctus contra tales familiaritates inſeparabiles. Oſtendit enim eorum ſtultitiam talem eſſe, ſicut illius qui vno febris genere laboraret, & aliud curaret, vt haberet du- *Quam damnoſa, ac ſuſpicioſa ſit familiaritas cum fæminis.* plicem: addens, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. habes carnem tuam, quam ſuperes ſemper; quid tibi vis aliam adducere? Nemo ſuper vnam febrē, cupit habere peiorē, ne incipiat hemitritæo ſeu du- *Gal. 5.*

X plici

plici tertiana febri inſanabili laborare. Item, oſtendit multiplices diaboli fraudes, circa tales, dicens. Diabolus his adnititur blandimẽtis, vt ſubtractis omnibus iaculis concupiſcentiæ, tam diu ſopitũ ignẽ, ſine vllis flammis, occultet, donec duas faculas iungens, ſimul ambas accendat: & tam diu ceſſat ſæuitiæ ſuæ tela ſupponere, donec ſicut peritus venator, quos occiſurus eſt, laquei ſui vinculis alliget. Itẽ ait, Nullis procellis diabolus inquietat, & hanc exhibet lenitatẽ vt duas naues connectat ad inuicem quiete: quod cum fecerit, iunctas, repẽtinis turbinibus in ſemetipſas elidere poſsit, & perdere. Item, præfert iſtis ſeculares cõiuges, dicens: adhuc habeo quod mirari poſsim, cũ ex Chriſtianis videam pleroſque, maritos pariter, & vxores, continentiam vouẽtes, domicilia ſingularia eligere; & apud ſpadones noſtros, fœminæ cohabitatio nunquã poteſt habere faſtidium. Item, præfert iſtis Iudæos, dicens. Iudæos conſiderẽt vſque hodie pro legis imperio, carnis ſuæ partem circumciſione truncare; & ſciant quid merentur,
Luc. 12. qui Euangelio iubente, diſsimulant, circumfuſi mulierum præſentia, peragere domini volũtatem. Item, præfert iſtis ſacerdotes idolorum, qui ob reuerentiã ſuorum ſimulachrorum eunuchantur voluntarie, dicens: puto quod & de gallis ſuis nobis exprobrantur. Inſultent qui abſcindentes ſemetipſos libenter excruciant, dũmodo ſimulachrorum diſsimulationes pereãt. Clerici vero pro dignitate ſacerdotij cęleſtis, non fundunt ſanguinem, non ferrum tolerant, non eſt aliquod vulnus: nõ eſt aliquis cruciatus: ſed ſolum contra Dominũ, fœminæ tenet aſpectum. Item, inducit contra iſtos amorem Chriſti in Eccleſiam, dicens. Auſus ſum dicere; à Deo patre miſſus eſt filius de ſinu patris, vt Eccleſiã faceret innocentem. & clericus fœminæ latus deſerere non poteſt, ne Chriſti Eccleſiã reddat infamem. Item, inducit contra iſtos fragilitatẽ propriam, dicens. Vnuſquiſq; qui ſecurus eſt, quia nec dum tentatur, timeat ne tentetur: quia nihil de illo dicitur, proſpiciat ne dicatur. Patet ex his quod mala opinio poteſt haberi de talibus, contra quos vir ſanctus tanta deteſtatione inuehitur. Procul dubio falſa eſt dilectio, non vera charitas, quæ ſic iungit. Vnde idẽ, in eodem lib. Malum, velamento boni nominis tegunt. Vnde apud eos falſa dilectione, vera dilectio violatur. Sed exclamat charitas, & appellat, Tales ergo nõ iũxi: altera eſt, quę me ſimulando, coniunxit: nunquam fluxus, ſiue amicitias cũ fœminis foueo: per me ſanctitas nõ poteſt culpari. Patet ex iã dictis quam malã præſumptionem generant, qui tam inſeparaliter adhærent nimiæ mulierum familiaritati.

CAP. XCII. *Fratres male deferre graue peccatũ eſt.* Circa tertium, notandum, quod ſunt quidam, qui ex aliqua mala commotione, interdum accuſant fratres ſuos, non ad ſanandũ, ſed ad confundendũ. Huiuſmodi accuſatio eſt diabolica. Ipſe enim diabolus

bolus dicitur accuſator fratrū. Apoc. 12. Et conſtat quod non accuſat ad ſanandum, ſed ad perdendum: Sic iſti ſunt, qui vulneratis addunt vulnera; ſecundum Iob. 13. Concidit me vulnere ſuper vulnus. Pſal. *Pſalm. 68.* Et ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Iſti ſunt, ſicut medici proditores, qui ſub ſpecie medicinæ, miniſtrant venenum: quia ſub ſpecie correctionis, quæ debet eſſe medicinalis, intendunt hominem confundere. En decies, inquit Iob. 19. confunditis me: loquens illis qui ſub ſpecie amicitiæ, & correctionis, hoc faciebant. Item, iſti ſunt, ſicut quædam feræ beſtiæ, quæ extrahunt cadauera hominum de ſepulchris, & in ea deſæuiunt: ſic etiam iſti ſcrutantur hinc inde multa mala, & producentes ea in lucem, deſæuiunt in illos, quos peccatum occidit. Et ideo vertunt Religionem, quæ eſt hæreditas domini, in ſpeluncam. Hier. 12. Facta eſt hæreditas mea mihi, quaſi leo in ſilua: vel ſecundum ſeptuaginta, Nunquid ſpelunca hyænæ, hæreditas mea mihi? Hyæna, nocturna beſtia, mortuorum deuorat cadavera; & de ſepulchris effodit corpora. Iſti, tanquam ſpirtitu malo exagitati, non ſolent ſeruare modum in accuſando; modo occulta indebite publicando; modo ſuſpiciones conſectando; modo falſa imponendo; modo clamoribus totum Capitulum replendo; modo diſciplinam traditam in accuſando, penitus omittendo; & huiuſmodi multa committendo; Et ideo, faciunt Capitulū omnibus odioſum. Amos. 5. Qui cōuertitis iudicium in abſynthiū. quod quidem fit, cum Capitulum, quod eſt locus iudicij, redditur odioſum propter amaritudines ibidem iniuſte oppreſſorum. Iſti interdum deſæuiunt in peccatores, iam compūctos & mortificatos per pænitentiam. Et ſunt in crudelitate, ſimiles illi, qui Chriſtum iam mortuū lancea confodit. Pſal. Nō eſt recordatus facere miſericordiā: *Pſal. 108.* & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Porro ex his peſtiferis accuſationibus, ſolent tria *Malæ delationis incommoda.* mala ſequi; ſcilicet primo, malū in accuſato. Quandoq; enim incurrit inde grauem turbationē. Gen. 37. Ioſeph accuſauit fratres ſuos apud patrem ſuū crimine peſſimo. Et poſtea ſecutum eſt tantum odiū fratrum in eum, vt eum vendiderint. Nunquid nos meliores ſumus illis patriarchis, quibus illa accuſatio fuit præcipua occaſio tanti mali? ſecūdū malū, eſt in accuſante. Solet enim Deus ſe habere ad hominem, ſicut ipſe ſe habet ad fratrem ſuum, ſecundū illud, Nolite iudicare & nō iudicabimini: Dimittite, & dimittetur, & ſimilia. Et ideo, *Matth. 7.* Deo permittente, accidit interdum, vt qui ſic intendit fratrem corrigere & confundere, ipſe confundatur in ſimilibus. Exemplum *Exemplum.* in vitis, patrum. Frater quidam ſenem interrogauit, ſi videro

 inquit,

inquit, culpam fratris mei, eſt ne bonum cælare eam? Dixit ei ſenex. Quotieſcunque tegimus peccatum fratris noſtri, toties teget & Deus noſtrum. quando vero prodiderimus culpam fratris, & Deus ſimiliter noſtram prodet. Tertiũ malum eſt in ijs, qui adſunt; qui ex hoc ſcandalizantur, & mouentur contra eos, qui ſic accuſant. Dicunt Euangeliſtæ, quod Pilatus, videns malitiam Iudæorum accuſantium Chriſtum coram ſe, eos reputauit inuidos: & ipſe compatiens, nitebatur eum liberare. Dicitur item Deut. 25. quod Iudæi non permittebant aliquem Iudæum coram ſe lacerari verberibus, quantum meruiſſet. Quomodo ergo viſcera Chriſtiana poterũt ſe continere, quin moueantur contra illos, qui & Chriſtiani ſunt, & tamen coram ſe, accuſationibus innumeris fratrem ſuum lacerant Chriſtianum? Proinde virorũ ſanctorũ eſt, nunquam fratris culpam indicare illis, qui non poſſunt prodeſſe; ſed tantum ad hoc, vt iuuent. Sicut infirmitas infirmi ſolet oſtendi medico, ad hoc, vt iuuet. Vnde & ſorores Lazari ſic indicauerunt infirmitatem fratris ſui bono medico, qui eum poterat iuuare, dicentes Ioan. 11. Domine quem amas, infirmatur. Et ideo bene dicit vir ſanctus, *ſanãdum prodat*. quaſi dicat, ad hoc prodat, vt ſanetur, & non ob aliud. Circa quartum, videtur quod maledicat, cum ait, *quod indicet culpam fratris, iterum delinquẽtis quicunq́ potuerit hoc inuenire.* Poteſt enim hoc inuenire aliquis, qui non correxit eum alias, & talis videtur debere in ſecreto corrigere, priuſquam indicet modo ſupradicto. Præterea, quid faciendum illi, qui inuenit huiuſmodi culpam, & nunquam correxit fratrem ſuper hoc, ſcit tamen fuiſſe correctum ab alio? Reſpondetur. Ille qui nunquam correxit fratrẽ, neſcit ab alio correctum, debet corrigere ſecreto, antequam procedat ad indicationem. Nec de tali loquitur hîc; ſed de illo qui corrigit, vel ſcit correctum. Quod patet ex ipſa littera, quæ dicit, *ſi poſt admonitionẽ; idipſum facere eũ videritis.* Et eſt idem, ſiue ipſe qui inuenit ipſum monuerit; ſiue ſciat monitum ab alio; quia eadẽ eſt coniectura cõtracti vulneris. Sed quid eſt quod dicit, *poterit inuenire*? Nunquid debet frater eſſe ſolicitus de indaganda culpa fratris? Reſpondetur. Eſt quædam ſolicitudo plena ſuſpicionis; & hæc non eſt bonarum mentium. Eſt alia plena compaſsionis; ſicut quando aliquis videt aliquem infirmum conualuiſſe, ex compaſsione ſæpius, atque anxius, cogitat de eo, ne forte iterum in morbum incidat, quam de illo, qui nunquam fuit infirmus; & hæc eſt charitas. Et ita, quãdo aliquis ſcit fratrem ſuũ quandoq; peccaſſe, ex charitate poteſt plus circa illum eſſe ſollicitus ne relabatur, quam circa alium, quem neſcit ſic peccaſſe. Et ſic ad Religioſum pertinet, quando

Matth. 27.

Culpa fratris apud quos deferenda.

quando aduertit fratrem ſuum infirmum, ob hoc illum deferre, vt ei ſubueniatur: ita hic, quicunque talem inuenit, debet indicare.

Prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandus: vt duorum, vel trium poßit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Dato mandato circa rationem indicandi; tradit mandatum circa rationem conuincendi. Et primo circa quædam coniuncta cum conuincendo: ſecundo circa ipſum conuincere, ibi, *ſi autem negauerit.* Accidentia vero ſunt duo: Vnum eſt, procuratio teſtium: aliud, admonitio cum charitate corã ſolo Prælato; circa quod tradit mandatum, ibi, *ſed antequam aliis demonſtretur.* Circa procurationem teſtium: Primo tradit mandatum circa modum procurandi: ſecundo circa teſtificandi impedimenta, ibi, *nec vos iudicetis.* Dicit ergo, *prius tamen.* quaſi dicat: Quamuis mandatum ſit vt, poſt admonitioné, indicetur peccatum inuentum, tamen, quia aliqui ſolent interdum negare culpam ſuam, priuſquam indicentur; coram alijs publice oſtendatur culpa delinquentis: cum tamen oſtenderit alteri, vel tertio; vt duorum, ſcilicet ſui, & alterius, quando vni ſoli oſtenditur; vel trium: ſcilicet ſui & aliorum duorum, quando tertio demonſtratur, poſsit ore conuinci; ſecundum illud, In ore duorum vel trium ſtet omne verbum, Matth. 18. & competenti, ſecundum culpæ rationem, & negationis grauitatem, ſeueritate coerceri, qui noluit per admonitionem cum charitate factam corrigi. CAP. XCIII.

Sed quæritur hic circa accuſationes, quas faciunt Religioſi in ſuis Capitulis, ad quas pertinet præſens mandatum: Primo, An liceat accuſare ſine teſte? Ad quod dicitur, quod in illis caſibus, quibus non requiritur præſens admonitio, ſecundum diſtinctionem ſupra poſitam, nec requiritur ſolemnitas teſtimonij: quia non habent infamiam huiuſmodi leues accuſationes, & periret fructus talium accuſationum, propter difficultatem quærendi teſtes in talibus: nec de talibus loquitur hic; ſed ſolum de illis, in quibus præceſsit admonitio, ſicut patet in littera. Secundo quæritur, An vnicus teſtis ſufficiat ſic accuſanti? Et videtur ſufficere propter illud, quod dicit, *alteri.* In eo enim caſu non habet accuſans, niſi vnum teſtem. Contrarium vero videtur per Euangelium, quod dicit, Non in ore vnius, ſed duorum, vel trium ſtet omne verbum. ergo & mandatum B. Auguſtini eodem modo eſſe debet. Ad hoc dicitur, quod quando agitur de peccato per modum denunciationis ad pœnitentiam, ſufficit vnicus teſtis cum denunciante: quia denuncians habetur in eo caſu, pro primo teſte, eo quod agitur Dei negotium, cuius ſunt teſtes vterque. Ita & verbum Euangelij ſeruatur, quia duo ſunt teſtes in hoc facto.

CAP. XCIIII. De culpis Religioſorum aperte in Capitulo.

Quando vnus teſtis ſufficiat.

Matth. 18.

Cum vero agitur de peccato per modum accuſationis,eo quod accuſans agit proprium negotiũ, indiget duobus teſtibus alijs. In proclamationibus ergo Religioſorum in Capitulis, ſufficit cum proclamante, vnicus teſtis: eo quod huiuſmodi proclamationes, reputantur denunciationes, & non accuſationes ſecundum iura. Tertio quæritur. Quid faciendum ſit in delictis, quæ non plene emendantur, nec tamen iterantur, quia ibi non poteſt fieri quod dicit Auguſtinus, videlicet vt demonſtretur alteri, cum illud non iterum committatur: verbi gratia. Aliquis eſt furatus aliquid; frater ſciens hoc, correxit eum ſecreto: poſtea non iterat furtum: tamen non reddit ablatum, & poſſet reddere. Reſpondetur, ſi corrector aliquem conſcium habet primi facti: tunc debet procedere ſicut hic dicitur. Si autem non habet, vel ipſi, quos habet, nolunt teſtificari; ſatis eſt eum primo ſecreto monere, ac deinde rem indicare Prælato, vel prudentibus, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe: ita tamen, vt aperiat Prælato illum, vel illos qui poſſunt teſtificari; vt eos compellat ad teſtimoniũ, ſi noluerint. Quod ſi fecerit, procedat vt hic dicitur. Si autem noluerit corrigere, vel ipſi noluerint obedire, liber eſt ab huiuſmodi negotio, eo quod teſtes proferre non poſſit. Quarto quæritur, Quid faciendum ſit cuipiam in facto, quod iteratur, ſed non inuenitur qui velit cum eo rem explorare; vel explorantes nequeunt deprehendere culpam? Reſpondetur, quod in primo caſu debet is recurrere ad Prælatum, vt aliquos ad hoc compellat. Quod ſi noluerint, vel factum deprehendi nequiuerit, liber eſt, vt in caſu præcedenti. Quinto quæritur, An quilibet teneatur procedere vſq; ad huiuſmodi accuſationem, cum poteſt, cum hoc videatur nimis laborioſum? Reſpondetur, cum omnes teneamur pro ſalute fratrum animas ponere, multo magis & ad hoc tenemur. Vnde Dominus non ſolum dicit de correctione ſecreta facienda, ſed etiam addit de teſtibus adhibendis, & de dicendo Eccleſiæ. Matth. 18. Qui vero ſub Regula B. Auguſtini eſt, non ſolum ratione Euangelij, ſed etiam ratione Regulę, plus quam alius quiſpiam tenetur. Sunt tamen caſus, in quibus ad hæc non tenemur, ad quæ tamen in genere regulariter tenemur. Vnus eſt, quando non eſt ſpes fructus, vel non eſt qui iudicet, neque qui ſimul teſtentur, vel certe qui corrigendus eſt, ita, nequior efficietur. Alius eſt, quando Prælatus, & alij communiter ſciunt culpam delinquentis, extra confeſſionem. Alius eſt, quando aliquis vacat melioribus, vel æque bonis rebus, quæ impediunt eum ab huiuſmodi denunciatione. Alius, quando per alium res hæc ſufficienter curatur. Alius eſt, quando Obedientia trahit eum ad alia, & alij forte plures fratres

De peccato nec emendato, nec repetito.

De peccato ſine teſtibus.

De debito accuſandi.

Quando deferre nō tenemur.

fratres. Niſi ergo propter caſum aliquem rationabilem excuſetur frater, quilibet tenetur procedere, vt prædictum eſt, pro loco, & tempore, & oportunitate; poſtquam admonitiones ſecretæ non proſunt. Sexto quæritur, quid ſit faciendum, quando non poſſunt inueniri teſtes, niſi tales, de quibus creditur, quod, ſi oſtenditur eis, oberunt inſultando delinquenti, & ſimilia faciendo. Item, quæritur, quid agendum, quando iudex, & aſsiſtens creduntur & ipſi ita obfuturi. Reſpondetur. Quatuor poſſunt eſſe huiuſmodi teſtium genera. Poſſunt enim eſſe tales, vt credatur probabiliter, quod nec proderunt, nec oberunt: aut tales, qui oberunt, & non proderunt: aut tales, qui ad aliquid proderunt, & ad aliquid oberunt. In primo caſu, poteſt ſuperſederi. In ſecũdo, debet ſuperſederi. In tertio, eſt procedẽdũ omnino. In quarto, eſt diſtinguendũ, comparando nocumentũ cum vtilitate. Si enim maior eſt vtilitas, quam damnum, eſt procedendum. Si vero contra, non eſt procedendum. verbi gratia. Si quia indicatur culpa mortalis, iſte corrigitur, & non confunditur, niſi inter fratres ſuos, maior eſt vtilitas, quam damnũ, & eſt procedendum: Si autem delinquens corrigitur quidẽ, ſed totus cõuentus infamatur in aliqua magna ciuitate, maius eſt, quoad bonum commune, nocumentum, quã vtilitas, & non eſt procedendum. Idẽ autem quod dicitur de teſtibus, dici poteſt de iudice, & aſsiſtentibus. Vltimo notandum, quod ex accuſationibus iſtis, ſequuntur ijdem fructus, qui ſupra notati ſunt circa fraternam admonitionem. Et præter illos fructus, multa ſunt, quæ debent ad hoc inducere. Qui enim ſciunt culpas, & per accuſationes poſſunt corrigere, & non faciunt, reputantur conſentientes, ſecundum decretalem, quæ illos conſentientes interpretatur; qui, cum poſsint reſiſtere, manifeſto facinori deſinunt obuiare. Et ideo dicit Auguſt. infra. *Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* Item, quando fit iuſtitia de delicto conuicto, boni redduntur cautiores ad cauẽdum ſimile. Prou. 21. Mulctato peſtilente, ſapientior erit paruulus: ſcilicet ad cauendũ. Malorũ etiã audacia reprimitur. Vnde Eccleſ. 8. viciſsim dicitur. Quia non cito profertur contra malos ſententia; idcirco abſque vllo timore filij hominum perpetrant mala. Patet ergo per huiuſmodi, quod accuſationes vtiles ſunt proximis, & bonis, & malis, quando manifeſta correctio cedit ad vtilitatem communẽ, pro qua debent viri, charitatem habentes, multum zelare: ſicut homines mundi, pro bono communi patriæ, vel communitatis. Ei ideo reprehendit Dominus per Ezechiel. Cap. 33. hæc omittentes, dicens. Non ex aduerſo aſcendiſtis, neque oppoſuiſtis vos, nimirum pro domo

De defectu accuſatorum teſtium, aut indicum.

Bonum eſt, beneficia fratres deferre, & contra malum.

domo Iſrael. Item, Chriſtus, qui in hoc apparuit, vt deſtruat opera diaboli, ſicut dicitur Ioan. 3. petiuit in hoc auxiliũ contra malos dicens, Pſalm. 93. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes: aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Quomodo ergo poſſunt ſe excuſare ab infidelitate homines Chriſti, qui viriliter ſe non accingunt ad pugnandum cum eo, aduerſus peccatum, etiã vſq; ad ſanguinem, ſi fuerit neceſſe, ſicut & ipſe pugnauit? & quãto magis vſque ad proclamationem? Item, dicitur de Moyſe Exod. 32. quod ipſe cum filijs Leui, zelo Domini accenſi contra peccatores, occiderunt vno die quaſi viginti tria millia. Num. 4. Phinees eodem zelo interfecit Iſraelitam virum concumbentem cum Madianitide. Dauid Pſalm. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ; vt diſperderem de ciuitate omnes operantes iniquitatem. Iudas Machabæus 1. Machab. 3. perſequutus eſt iniquos, perſcrutans eos: & eos, qui perturbabant populum ſuum ſuccendit. Quid ergo dicent his conſideratis exemplis, homines qui vſque ad accuſationem conſurgere nolunt, aduerſus peccatum. Vbi eſt ſpiritus ille, qui in igne apparuit ſupra diſcipulos, in ſignum zeli, ſecundum Gregor. quem habere deberent? Item, homines mundi infatigabiliter perſequuntur in iudicio iniurias ſuas, & ſuorum. Et heu, nos, ſecundum Chryſoſtomum, in iniurijs Dei patientes ſumus? Contra certe dicitur, Eccleſ. 4. Vſque ad mortem certa pro iuſtitia. Si ergo nolumus inuolui reatu delinquentium: ſi proximorum bonum volumus: ſi pro communi bono zelamus: ſi Chriſto fidelitatem ſeruare volumus: ſi ſanctorum exempla nos mouent; ſi Chriſti iniuriæ nos tangunt; debemus pro loco & tempore fratres proclamare in charitate, pro correctione eorum.

CAP. XCV. *Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis. magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultare, dum timet ſecari; nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto potius ergo debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde?* Aliqui retrahuntur interdum à fratrum proclamatione, exiſtimantes quod hoc non poſsit fieri ſine peccato. Et ideo, poſt mandatum de modo procurandi teſtes; tradit hic mandatum circa huius rei impedimentum. In quo tria tangit. Primo dicit, quod huiuſmodi indicatio non eſt adſcribenda malitiæ. Secundo, oſtendit contrarium potius eſſe peccatum, dicens, *magis quippe.* Tertio, ponit huius rationem, dicens, *Si enim frater tuus &c.*

Circa

Contra timorē impedientem denunciationem.

Circa primum, notandum, quod triplex eſt timor, propter quem interdum retrahitur aliquis à proclamationibus faciendis, ſcilicet timor offenſæ proximi: timor proprij damni: timor offenſæ Dei. Quidam enim retrahũtur, quia timẽt turbare proclamatos, & hoc eſt malum; quia ſalus eorum, paci præferenda eſt. Et ideo dicitur Eccleſ. 4. Ne reuerearis fratrem tuum in caſu ſuo. Ne retineas verbum in tempore ſalutis. Alij, quia timent ne aliqua occaſione, obueniant ſibi aliqua mala, in ſe, vel in amicis ſuis: & iſti præferunt bona propria bonis Dei. Gregor. Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos ſurgere odia formidamus, iam non lucra Dei quærimus, ſed noſtra. Alij, quia timent peccare: & hoc maxime in viris ſanctis ſolet accidere, qui trepidant frequenter timore vbi non eſſet timendum. Solet autem eis hoc accidere interdum ex diaboli calliditate. Ipſe enim, ſciens quantum bonum ſequatur in Religione ex proclamationibus, & ſciens quod boni viri nullo modo deſiſterent ab hoc, quandiu crederent illud eſſe bonum; ſuggerit eis, hoc procedere ex malitia, vt ſic eos retrahat. Et eſt ſimile quantum ad effectum in Domini paſsione. quia poſtquam diabolus eam cognouit fructuoſam eſſe mũdo, ſicut expoſitores obſeruant voluit, eam impedire ſub ſpecie boni, ſuggerens vxori Pilati, vt virum ab hoc retraheret; mandando illi quanta paſſa fuerat in nocte per viſum propter eum. Interdum ex ſimplicitate. Sunt enim aliqui, qui, propter ſimplicitatem, quandoque quod bonum eſt, reputant malum, vt Zelum iuſtitiæ, crudelitatem, & huiuſmodi. quod non eſt laudabile in diſcipulis Domini, qui iubentur non ſolum eſſe ſimplices vt columbæ, ſed & prudentes vt ſerpentes. Et ideo dicit Apoſtolus Rom. vltimo. Volo vos ſapientes eſſe in bono: ſcilicet, diſcernendo. Interdum ex magna bonitate, quæ facit eos timere peccatum. Gregor. bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, id eſt timere, vbi culpa non eſt. Quamuis autem, vt dictum eſt, ſit triplex timor retrahens à proclamationibus: tamen, circa tertium potius tradit mandatum; quia ille ſubtilius poteſt decipere Religioſos, quam alij duo, qui clarius apparent mali. Et nota, quod non dicit; nec vos timeatis, ſed *vos iudicetis maleuolos*, quia boni poſſunt omnia bona ſua vereri, & habere ſuſpecta de aliquo malo, ſicut Iob. non tamen id iudicant, apud ſe definiendo. Sed nũquid poteſt hoc iudicari ab illo, qui ſcit ſe ex malitia accuſare? Reſpondetur quod poteſt. Et hoc non vetat B. Auguſtin. ſed dicit; quod ipſum ſimplex iudicare, non debet iudicari eſſe malum.

Iob. 9.

Etiam maleuolus poteſt deferre.

Non deferre, ſæpe eſt peccatum & grauis.

Circa ſecundum, notandum, quod ſicut peccatur lingua in loquendo, ita peccatur & tacendo: quia Eccleſ. 3. dicitur. Tempus lo-

 quendi,

quendi, et tempus tacendi. Gregor. Sicut mali Deum exaſperant, qui loquuntur & faciunt mala; ita nonnunquam boni, qui tacent bona. Quod ita eſſe in caſu propoſito patet, Eſa. 6. dicit enim Eſaias, lamentando, Væ mihi, quia tacui. gloſ. quare? quia Oziam, & alios libere non reprehendi. Item, ſancti Patres de hoc grauiter admodum, ac ſeuere ſcribunt. Gregor. Qui proximi mala conſpiciunt, & ſilentio premunt, quaſi conſpectis vulneribus, vſum medicamentis ſubtrahunt; & eo mortis auctores ſunt, quo vulnus quod curare poterant, nolunt. Auguſtin. Tu vulnus fratris contemnis? Tu eum perire vides, & negligis? peior es tacendo, quam ille committendo. Item, omnes Doctores concorditer docent, quod currit cum fure, qui ſciuit furtum, & non indicauit. Et eadem ratione videtur particeps cuiuslibet delicti, qui ſcit ipſum, & non indicat, vt corrigatur. Gregor. Qui enim dare poteſt, & negligit; participem procul dubio ſe delicti conſtituit. Et iterum. Quæcunque loquendo corrigi poſſunt: ſilentium, conſenſum eſſe pertimeſcamus. Cum ergo tantus Propheta ſuper huiuſmodi taciturnitate, tam grauiter ſuper ſe lamentetur: cum ſancti tam graue hoc iudicent: cum ſecundum omnes Doctores hoc reputetur conſenſus in delictis; bene dicitur, *innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos, indicando, corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* Et verè non ſunt tales innocentes. Nocent enim ſibi, labia polluendo alieno delicto, & non ſunt digni Deum videre. Eſaiæ 6. Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labijs ego ſum. ſcilicet ex iſta taciturnitate. Gloſ. quare? quia Oziam, & alios non reprehendi libere. ideo cum angelis Deum laudare non merui; & timeo ne dicatur mihi, Quare tu enarras iuſtitias meas? Item, nocent ei, qui eſt proclamandus. & hoc dupliciter: Primo, exemplum ſubtrahendo. Auguſtin. in epiſtola ad Hieronymum, Obſecro te, per manſuetudinem Chriſti, ſi læſi te, dimittas mihi: nec me viciſsim lædendo, reddas pro malo malum. Lædis enim, ſi tacueris mihi errorem meum, quem in factis meis, vel dictis inueneris. Et iterum, malum inferendo quodam modo. Gregor. Tot occidimus, quot ad mortem ire, trepidi, & tacentes videmus. Item, nocent ſocijs, qui eorum exemplo tacentes, idem peccatum taciturnitatis incurrunt. Mos enim eſt apud viros diſciplinatos, ſocios ſuos, pro reuerentia, ſuperiores arbitrantes, quod non incipiunt prius loqui, ſecundum conſilium ſapientis. qui Eccleſ. 32. inſtruit minorem, vt diſcat à maiori. Loquere maior natu: decet enim te primum verbum: & ne impedias muſicam, id eſt verba aliorum,

Qui nõ defert, ſæpe multis nocet.

Pſal. 49.

aliorum, dum te tacente, etiam alij tacent: ſicut facit cantor, quando non incipit cantum. Quomodo ergo ſunt innocentes tales, qui ex taciturnitate tam grauiter nocent, & ſibi, & fratri accuſando, & ſocijs ſuis? vere non ſunt innocentes; immo culpabiles valde. Auguſtin. in lib. de ciuitate Dei. Culpabile eſt quod hi, qui diſſimiliter viuunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ obiurgare deberent. Hoc autem non eſt verum, niſi quando indicatio prodeſt ad correctionem. Et ideo explicate dicit, *quos indicando corrigere poteſtis.*

CAP. XCVI. Peccatum, eſt vulnus, & graue.

Circa tertium, notandum, quod peccatum, dicitur vulnus: ſecundum illud quod dicitur, Luc. 10. de latronibus, qui homini deſcendenti ab Hieruſalem in Hiericho impoſuerunt plagas. quod intelligitur de peccatis. Bene dicitur peccatum, vulnus. quia vulnus debilitat, & peccatum ſimiliter. Vnde Pſal. Cor meum *Pſalm. 108.* conturbatum eſt in me. ſcilicet per peccatum. & poſt. Dereliquit me virtus mea. id eſt fortitudo mea. Exemplum de Achab, qui vulneratus, curauit ſe educi de prælio, quaſi iam pugnare non valentem. 3. Reg. vltimo. Item, vulnus infert dolorem; propter quod dicitur. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt: ita & peccatum; Propter quod peccata, dolores dicuntur in Pſalmo. *Pſalm. 17.* dolores inferni, &cet. Eccleſ. 3. Cor nequam grauabitur in doloribus. Tanta eſt enim Dei iuſtitia, vt nunquam anima in peccato, ſit ſine grauamine, amaritudine, & anguſtia affligente. Item, vulnus humiliat. Exemplum habes Alexandri. de quo ſcribitur, quod percuſſus ſagitta, dixit, Omnes vocant me filium Iouis; ſed vulnus oſtendit, me eſſe hominem. Quot autem, & quanti, poſt ruinam in peccatũ, facti ſunt humiliores, iuxta illud Pſalm. Pri- *Pſalm. 118.* uſquam humiliarer, ego deliqui. Pſalm. Tu humiliaſti, ſicut *Pſalm. 88.* vulneratum, ſuperbum. Non ſolum autem eſt vulnus, immo vulnus valde graue. Vulnus enim tanto grauius, quantò profundius. Tale autem eſt peccatum, ſecundum auctoritatem Eccleſiæ dicentis: Peccata mea Domine, ſicut ſagitta, infixa ſunt in me, ſcilicet quæ profunde penetrant; ita & peccatum vſque ad intima penetrans. quod acceptum eſt ex Pſalm. vbi dicitur. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. *Pſalme 37.* Item, vulnus tanto grauius eſt, quanto in parte nobiliori, vt in corde, vel cerebro: vulnus autem peccati, omne eſt in anima, quæ eſt nobiliſsima pars hominis. Bernar. O anima, inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, dotata ſpiritu,

 redempta

redempta ſanguine, deputata cum angelis, hæres beatitudinis. Item, vulnera tantò grauiora ſunt, quanto magis abſcondita: talia autem ſunt peccatorũ vulnera. Gregor. in paſtorali. Quis neſciat occultiora vulnera eſſe cogitationum, quàm viſcerum. Item, ad grauitatem vulneris facit, cum, propter ſanationem vulneris, in membro nobili, oportet facere vulnus in membro nobiliori; ita eſt in caſu propoſito. In corpore enim myſtico Chriſti, ipſe Chriſtus, qui eſt nobiliſsimum membrum, vulneratus eſt, propter vulnera aliorum membrorum ſananda. Eſai. 53. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Ad quod attendendum hortatur Bernard. dicens. O homo quàm grauia ſunt vulnera illa, pro quibus oportuit Chriſtum Dominum vulnerari. Item, ad idem facit, quod non poteſt vulnus bene ſanari, niſi per precioſa & inſolita remedia. & ita eſt hîc. Bernard. Filius Dei iubetur occidi, vt noſtris vulneribus, precioſo illius ſanguinis balſamo medeatur. Itẽ, huc ſpectat, quod nõ quilibet chyrurgus, ſed ſolũ paucisſimi, & excellẽtes posſũt ſubuenire vulnerato. Vulnerato enim per peccatũ ſubuenire qui poſsit nullus eſt niſi vnicus, ſcilicet Deus. Eccl. 2. Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas; & plagæ illius non eſt ſanitas; ſcilicet, niſi à ſolo Deo; ſicut dicitur in morbis deſperatis, de aliquo, quod non poteſt ſanari; & intelligitur, niſi à ſolo Deo, & non ſecundum curſum naturæ, ab alio. Cum igitur peccatum ſit vulnus, & grauius omni vulnere corporali; bene ratiocinatur à minori vir ſanctus: dicens. *Si enim frater tuus vulnus habet in corpore.* Et nota quod dicit *deterius putreſcat in corde.* ſicut enim vulnus ſpirituale deterius eſt, quàm vulnus corporale, ita & putrefactio eius eſt deterior. Dicitur autem huiuſmodi vulnus putreſcere, quando non ſanatur per correctionem: quia vulnus putreſcens corrumpit magis, & magis, totum. ita & peccatum, quod non per pænitentiam ſanatur, ſecũdum illud 1. Cor. 6. Modicum fermentum corrumpit totam maſſam. Item, reddit fœtorem: ita & peccatum non poteſt diu eſſe in corde, quin aliquis fœtor egrediatur. Gregor. Sicut bonus odor ex virtute eſt, ſic fœtor ex vitio. Item, fit grauius, quaſi inſanabile, per putrefactionem; ita & peccatum tanto grauius eſt, quantò diutius detinet animam infelicem. ſicut dicit decretalis. Exemplum. de his tribus habetur 2. Mach. 9. de Antiocho, qui (ſicut dicitur ibi) ita fuit corruptus, vt vermes de ipſius carne, ſcaturirent. Ita fœtidus, vt intolerabilis eſſet omnibus fœtor eius. Ita percuſſus, vt fuerit plaga eius inſanabilis. Mira ergo fatuitas eſt ſic cælare plagam vulnerati Pſalm. 37. Propter quod dicit, Putruerũt, & corruptæ
Pſalm. 37. ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Mira crudelitas, ſcire huiuſ-

huiuſmodi vulnera, & non indicare ſananda. Propter quod bene dicit Auguſtinus, crudeliter hoc cœlari, & miſericorditer indicari.

Sed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit; prius Præpoſito debet oſtendi; ſi admonitus neglexerit corrigi: ne forte poßit ſecretius correctus: non innoteſcere ceteris. Tradita ſunt duo mandata prædicta circa teſtes procurandos quod eſt vnum ex ijs, quæ ad conuincendũ valent. hic loquitur de oſtenſione facienda Prælato; quod eſt aliud etiam præmittendum. Et nota, quod ſecundum expoſitionem Regulæ ſenſus huius clauſulæ eſt, quod poſt admonitionem ſecretam, cum ſic admonitus non vult corrigi, debet res dici Prælato, antequam procedatur ad conuincendum, coram multis. vt, ſi forte frater corrigi voluerit, ſuperſedeatur publicatione culpæ eius coram multis. Sed quæritur, quomodo iſte ſenſus eliciatur ex littera, cum potius contrariũ videatur contineri, cum hæc dictio, ne, includat negationem in ſe; & ita negatio iſta cum ſequenti, ſcilicet, non innoteſcere, æquipolleant affirmationi; & ita videantur reddere talem ſenſum, quod ſecretius correctus poſsit innoteſcere ceteris. Reſpondetur, quod hæc dictio, ne, eſt æquiuoca: quia quandoque idem eſt quod, vt non: & ſic non poteſt elici prædictus ſenſus ex littera; immo contrarius, vt dictum eſt: quandoque idem eſt, quod, ſi. 2. Timot. 2. cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam. Glos. ne quando, ideſt, ſi aliquando, & ita accipitur hic; vt ſit ſenſus, ne forte poſsit, ideſt ſi forte poſsit. Et huic ſenſui concordat quædam lectio quæ inuenitur cum vna alia negatione, dicens, ne quando non poſſit: in qua lectione accipitur, ne, in primo ſenſu. vt ſit ſenſus, *ne forte non poßit*, ideſt, vt forte poſsit. Circa iſtam ergo oſtenſionẽ, tria tangit. ſcilicet, cui facienda? nimirũ Prælato. Quo ordine? nimirum poſt admonitionem ſecretam, & neglectam, & ante procurationem teſtiũ. propterea dicit, *ſi admonitus*, ſcilicet ſecretius, neglexerit corrigi. & antequam alijs demonſtretur, per quos &c. Quam ob cauſſam? nimirum vt ſi voluerit adhuc ſecreto corrigi per Prælatum, non publicetur alijs. Et hoc eſt, *ne forte poßit &c.* Et nota, circa primum, quod illam ſecundam correctionem, quam Dominus docet faciendam coram vno, vel duobus, Matth. 18. Auguſtinus hic reſtringit in Religioſis, qui ſunt non plene ſui iuris, ad Prælatum, tanquam ad illum de quo poteſt magis exiſtimari quod poſsit prodeſſe, & non obeſſe. Triplex autem eſt vtilitas, quæ poteſt ſperari ex oſtenſione huiuſmodi facta Prælato: Vtilitas ſcilicet delinquentis. quia multæ ſunt cauſæ, quare potius debet Prælati correctioni adquieſcere quam alterius. CAP. XCVII.

alterius. Item, vtilitas Prælati, cui expedit agnoſcere vultum pecoris ſui. Item, vtilitas indicantis, quia per Prælatum melius dirigi potuit, quid ſit ſibi vlterius faciendum. Notandum tamen, vt quibuſdam videtur, quod huiuſmodi oſtenſio non eſt facienda Prælato, coram reo, de re graui; ne forte reus dicat ſibi fieri iniuriam à denunciante, ſi illud non poſsit probare. Item, nota, circa ſecundum, quod eſt facienda oſtenſio huiuſmodi, ante procurationem teſtium ſupra dictam: vt habito Prælati conſilio, diſcretius procedatur vlterius, ſi neceſſe fuerit, in teſtibus procurandis. Item, vt procedi poſſit efficacius, auctoritate interueniente, vel etiam compellente, ad teſtes habendos. Item, vt maior charitas oſtendatur, cum tentatur, ſi Prælati ſolius correctio poſsit prodeſſe, antequam etiam teſtibus culpa publicetur. Item, notandum, circa rem hanc: quod lædere alterum in fama eſt valde graue, ſcilicet faciendo indebite. melius eſt enĩ nomen bonum, quam diuitiæ multæ, ſicut dicitur, Prouerb. 22. Ex quo ſequitur, quod plus nocet, qui aufert famam, quam qui aufert diuitias multas. Præterea, diuitiæ ablatæ poſſunt reſtitui; ſed fama vix. quia forte non crederetur illi, qui poſt læſionem vellet excuſare. Poteſt etiam iam verbum delatum eſſe ad tot, vt quaſi impoſsibile ſit ad tot deuenire excuſationem. Et ideo bene dicitur in gloſſa ſuper Lucam. famam eſſe rem lubricam: quia ſicut aqua æris lubrica facile effunditur, & quaſi impoſsibile eſt eam recolligere: ita & fama. Præterea, lædens famam alterius, non ſolum illum lædit, de quo eſt ſermo, ſicut fur illum ſolum, cui furatur; ſed omnes, quibus loquitur: ſicut ille, qui mouet camerinam, lædit per fœtorem, omnes, coram quibus mouet. Auguſtin. de verbis Domini. Peccat in nos frater, ſi nobis ſcientibus peccat. quia quantum in eo eſt, nos in exemplo corrumpit. Ex quo patet quod audire peccatum alterius, nocet & ipſi audienti. Propter hoc dicit Ambroſius, Tolerabiliores ſunt fures, qui veſtes, & alia bona noſtra diripiunt, quam qui famam noſtram lacerant. Et vere ſic eſt. maius enim eſt quod iſti diripiunt: nec vnquam direptum reſtituunt. Nec vni ſoli, ſed multis nocent. Item, dicit Apoſtolus. 2. Timoth. 4. Opus fac Euangeliſtæ; quod eſt bonum nunciare. Iſti autem, qui infamant, ſemper mala nunciant: ergo ſunt contrarij Euangeliſtis. Præterea, ſuper illud, Lucæ 3. Ad virginem deſponſatam viro, dicit gloſ. Maluit Dominus de ſuo ortu aliquos, quam de matris pudore dubitare. cum ergo Chriſtus tantum curauerit famam alienam, ne illa, occaſione ortus, quod fuit tantum beneficium, læderetur; quam ſunt Chriſto contrarij, qui non curant diligenter cauere à læſione famæ alterius.

Delatio, nõ coram delato fiat.

Graue peccatũ eſt male deferre, & famam lædere.

Præ-

Præterea, lædere famam alterius, eſt opus diabolicum. Gregor. Habet hoc proprium hoſtis antiqui inuidia, vt, quos in prauorum actuum perpetratione, Deo ſibi reſiſtente, ſuperare non valet, opiniones eorum dilaceret. Patet ex his quod lædere famam alienam eſt contrarium Euangeliſtis, & contrarium Chriſto, & malitia diabolica. Et ideo, quantum poſsibile eſt, ſalua iuſtitia, cauendum eſt ab huiuſmodi læſione. Et ideo dicit Auguſtinus, *ſi forte poßit ſecretius correctus, non innoteſcere ceteris*; vt ſcilicet parcatur eius famæ. Si vero quæratur, An peccet, qui omiſſa huiuſmodi oſtenſione coram Prælato, procedit ad teſtes habendos, poteſt dici, ſicut ſupra dictum eſt, de omiſsione correctionis fraternæ ſecreta, cum actum eſt de ordine fraternæ correctionis; quod in caſibus aliquibus eſt malum, & in aliquibus eſt bonum, ſecundum diſtinctionem ibi poſitã.

Si autem negauerit; tunc neganti adhibendi ſunt alij, etiam coram omnibus; vt poßit non ſolum ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Datis mandatis circa ea, quæ ante conuincendũ ſeruanda ſunt; tradit hic mandata circa ipſum conuincendi actum: & innuuntur quatuor in hoc mandato, ſcilicet. Quis conuincendus? nimirum qui negat: propter quod dicit *ſi negauerit.* Item, quando conuincendus eſt? nimirum poſt negationem factam, coram Prælato. Propter quod, dicit, *tunc*, ideſt poſt negationem: & eſt intelligendum, ſtatim, ſi habentur teſtes, conſcij culpæ, vel poſt, quãdo non habẽtur ſtatim, ſcilicet poſtquam fuerint procurati. Item, coram quibus? nimirum etiã coram omnibus: niſi forte videatur Prælato, vt coram paucioribus fiat. & ideo dicit, *etiam coram omnibus.* Item, per quot? nimirũ per plures. Et ideo dicit, *vt poßit,* non ab vno ſolo, ſcilicet denunciante, *argui,* ſed à duobus vel tribus conuinci. Et nota, quod tria ſunt, quæ ſolent hominem retrahere à malo. Primum eſt, amor. Propterea, volens Dominus retrahere Iudam à peccato concepto, hoc modo affatus eſt eum, Amice, ad quid veniſti? Matth. 26. Secundum eſt, pudor: propterea dixit, Qui intingit mecum in paropſide, hic me tradet, vt ita huiuſmodi pudorem incuteret. Tertium eſt, timor. propterea dixit, Væ homini illi, per quem tradetur. Secundum hæc tria B. Auguſtinus tradit tria ad retrahendum à peccato; ſcilicet correctionem ſecretam, quæ pertinet ad amorem: & hoc quoad primum: correctionem coram Prælato, quæ habet pudorem; & hoc quoad ſecundũ; conuictũ in iudicio, quę habet timorẽ, & hoc quoad tertium. Primũ, vbi dixit ſuperiꝰ. *Admonete ne cepta progrediãtur.* Secundũ, vbi priꝰ dixit, *Præpoſito debet oſtendi.* Tertiũ hic. Sunt autẽ multa, de quibus dubitatur, circa iſtam materiam; quæ pertinent ad conuincenda peccata fra-

CAP. XCVIII.

Tria reuocant à malo.

Quomodo liceat alium infamare.

fraterna, publice coram Prælato. Et primo, videtur hoc nunquam licere. Infamare enim fratrem coram vnico, eſt ſemper malum: multo vero magis, coram multitudine: hoc autem fit, cum publice culpa eius nunciatur & conuincitur. Præterea, non ſunt facieda mala, vt veniant bona: ergo, cum infamare fratrem ſit malum, non eſt faciendum hoc, etiam propter correctionem illius, vel aliud qualecunque bonum illius. Præterea, non licet lædere fratrem in temporalibus bonis ſuis, propter bonum animę illius: ergo cum maius ſit fama quam quodlibet bonum temporale, non licet lædere fratrem in fama propter bonum illius ſpirituale. Contra vero eſt illud Matth. 18. dic Eccleſiæ. Ex quo patet quod culpa fratris poteſt dici coram multitudine. Reſpondetur, quod aperire vitium fratris, eſt malum in ſe, non ſecundum ſe. In ſe enim ſemper eſt malum, ſed ex circumſtantia, poteſt eſſe bonum: ſicut affligere proximum eſt in ſe malum: ſed ſi affligitur in carne proximus infirmus vt ſanetur, poteſt eſſe bonum. Ita dicere malum alicuius propter bonum aliquod, poteſt eſſe bonum, licet id in ſe ſemper ſit malum. Dicendum eſt ergo, quod infamare, dupliciter dicitur; ſcilicet preſſe & late. preſſe, idem eſt, quod malum alterius recitare, ſine cauſa bona; & ſic ſemper eſt malum. Late, idem eſt, quod malum alterius publicare, quacunque ex cauſa fiat hoc; & hoc ſemper non eſt malum: quia ſi fiat ex cauſa bona, poteſt eſſe bonum, vt ſi fiat pro ſalute illius, quia ſalus pręponenda eſt famæ. Ad primum ergo dicendum, quod & coram vno, & coram multis, poteſt aliquis infamari, ſecundum acceptionem ſecundam; quando ſcilicet fit ex cauſa bona. Ad ſecundum, dicendum, quod illa quæ ſunt mala ſecundum ſe, vt furari, fornicari, & ſimilia, nunquam ſunt facienda propter aliquod bonum, ſed illa quæ ſunt mala in ſe, non ſecundum ſe, vt eſt occidere, poſſunt fieri propter aliquod bonum, et tale eſt recitare proximi mala. Ad tertium dicendum, quod læſio proximi in temporalibus, vt cum aliquis furatur, vel aufert ei bona ipſius, & huiuſmodi, eſt malum ſecundum ſe. Et ideo non licet illud facere, propter aliquod bonum proximi: ſed recitare malum proximi, non eſt malum ſecundum ſe: & ideo poteſt fieri propter bonam cauſam. ſicut licet oſtendere infirmitatem infirmi, vt ſanetur. Secundo quæritur, An liceat proclamare delinquentes, cum non poſſunt probari? & videtur licere. Licet enim talia dicere illis, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe, etiam ſine teſtibus: ergo, ſi omnes de collegio ſunt tales, licet coram illis ſic proclamare. Contra vero, Iura dicunt, quod denuncians, qui non poteſt probare crimen denunciatum, puniendus eſt. ſicut dicitur extra de, calumnijs. c. cum

Quomodo liceat infamare quod non poteſt probari.

c. cum dilectus: nullus autē puniendus eſt ſine culpa, ergo talis peccat. Reſpondetur id eſſe verum, quando res fit in forma iuris. Ex quo patet quod obiectum eſt. Quando vero cum charitate dicitur, extra formam iuris, poteſt dici aliquibus, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe, etiam ſi ſint multi. ſed non ſequitur quod ideo poſsit dici coram multis in forma iudicij; quia grauius eſt agere in iure cōtra aliquem, quàm cum charitate illum monere, vel curare moneri. Tertio quæritur; Si aliquis ex ſimplicitate, & bono Zelo motus proclamat crimen, quod non poteſt probare, vel putabat ſe poſſe, & deficit in probatione; An talis ſit puniendus? vel excuſetur per decretalem prædictam; in qua dicitur quod denuncians, qui non probauit crimen, ſuſpendatur, donec canonice probauerit innocentiam ſuam, quod nō animo calumniandi, ad huiuſmodi crimina proceſsit proponenda. Ex quo relinquitur, quod qui non facit animo calumniandi, nō videtur puniendus. & ita nec peccare videtur. Sed ſi hoc dicatur, tunc videntur ſtulti & ſimplices melioris conditionis eſſe, quam ſapientes. cum ex ſtulta ſimplicitate reportent commodum. Reſpondetur, tales nō excuſari omnino, ſed ex parte: & puniendi ſunt arbitrio iudicis; plus vel minus ſecundum quantitatem exceſsus. Ex hoc autem, quod dicit decretalis, quod ſuſpendatur, donec probet ſuam innocentiam, non ſequitur quod nullo modo ſit puniendus, ſed quod tanta pœna ſit relaxanda. Quarto quæritur, An proclamante parato probare crimen, quod denunciat, Iudex poſsit examinare accuſatum ſuper ea re, antequā teſtes producantur; vt nimirū reſpondeat, an ſit verū quod illi imponitur necne? Si enim verum eſt, & reſpondere cogatur, aut debebit mentiri, aut ſe ipſum infamare. Si autem non cogatur reſpondere; quomodo producentur teſtes, qui non ſolent produci, antequam reus neget? Et hoc ipſum videtur dicere Auguſtinus in hoc mandato, cum dicit, *tunc neganti adhibendi ſunt etiam alij &c.* Reſpondetur, quod ſi eſt denunciatio ſimplex peccati, nullam vere infamiam inquiſitione dignam, inducentis; non eſt cogendus denunciatus reſpondere, num vera ſint, quæ obijciuntur. Neque enim durius debet agere pater ſpiritualis cum ſubdito, quàm princeps ſacerdotum, vel Pilatus egerit cum Chriſto. De quorū vtroque legitur; quod Chriſto accuſato coram ſe, neuter inquiſiuit de veritate dicenda. ſed princeps dixit, Matth. 26. Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Pilatus vero dixit, ibidem. 27. Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? Eſt autem hoc conſentaneum ijs, quæ dicunt Iuriſperiti, quod quando proceditur contra ali-

Quomodo quis ex ſimplicitate in infamādo excuſetur.

Quomodo non liceat reum cogere ad infamie confeſsionem.

quem de crimine per modum inquiſitionis, quam aliquis pomouet, non eſt imponendum iuramentum de dicenda veritate illi, contra quem eſt inquiſitio; ne ex hoc aduerſarius inſtruatur fortiori ratione: quæ ratio & hîc valet. Eadem enim eſt vis quoad Deum in iuramento, & in verbo ſimplici. Et ideo non eſt ſecundum Deum, quod cogatur aliquis in hoc caſu affirmare, vel negare: ſed poteſt dicere iudex homini accuſato, Ecce, audis quid dicatur de te: quid dicis tu ad hæc? qui relinquendus eſt voluntati ſuæ, vt vel deneget, vel concedat, vel dicat, Non agnoſco quod dicitur: vel, ſum paratus audire probationem, & ſimilia. Quod autem dicit Auguſtinus, quod neganti adhibendi ſunt teſtes. intelligi poteſt, quod qui non fatetur, is negare putandus eſt.& in iſto caſu ſufficit huiuſmodi negatio, vt teſtes adhibeantur. Si vero quæratur, quare in proceſſu per modum denunciationis, non compellatur reus dicere veritatem, ſicut per modum inquiſitionis, in proceſſu ex officio, vel per modum accuſationis; poteſt dici quod in inquiſitione tali, in qua agitur de remouendo aliquo ab adminiſtratione; & in accuſatione, in qua agitur de degradatione, quæritur quod ſpectat ad bonum, non ſolum rei, ſed & aliorum. In denunciatione vero, in qua agitur de correctione, ſolum quæritur bonum rei. Et ideo diſtrictius agitur contra reum in duobus illis proceſſibus, quàm in iſto tertio. Et diſtrictius agi poteſt ſecundum Deum, ne ex remiſſione lædatur vtilitas aliorum.

Non tenetur quis infamiam obiectam fateri, etiam Prelato.

Quinto quæritur, An ſubditus, in iſto caſu, teneatur obedire Prælato, ſi forte præcipiat ei, quamuis male, vt fateatur crimen, de quo eſt notatus. Reſpondeo poſſe dici, non teneri: ſicut non tenetur ſubditus obedire Prælato, ſi præciperet, vt peccata ſua extra forum confeſſionis aperiret; quamuis hoc ſine peccato facere poſſet. Multa enim ſunt, quæ non ſunt peccata, in quibus tamen non tenetur Religioſus obedire Prælato: vt ſunt aliqua, quæ ſunt ſupra Regulam, & votum ſuum, & his ſimilia: cum ipſe non promiſerit obedientiam ſimpliciter, ſed ſecundum Regulam, & ſtatuta aliqua. Quis enim auderet dicere ſubditum teneri confiteri ſua peccata omnibus ſacerdotibus ſui conuentus, ſi hoc Abbas ei præcipiat, & multa ſimilia, quæ tamen poſſunt fieri ſine peccato?

Non tantum ſpectanda correctio rei, ſed & aliorum bonum.

Sexto quæritur, An liceat procedere ad huiuſmodi proclamationem, & conuictionem per teſtes, quando non ſperatur hominis proclamati correctio. Reſpondetur: licet non ſperetur fructus correctionis eius; ſi tamẽ ſperatur fructus in alijs, ſcilicet quia magis

magis timebunt, vel alia vtilitas Congregationis inde ſequatur, licere procedere. ſicut licet probare aliquem, leproſum eſſe, non quia ſperetur ex hoc ſanandus, ſed quia eſt vtile alijs. Septimo quæritur, ſi in collegio in quo hæc hoc agũtur in publico ſunt aliqui, quibus id cedit ad vtilitatem: alij vero quibus ad damnum: an ſit hoc omittendum? Reſpondetur, differi tunc poſſe, vel quæri oportunitatem, quo fiant iſta coram illis ſolum, quibus prodeſt. Si autem hoc non poteſt fieri; videtur tandem eſſe omittendum bonum aliquorum, propter malum aliorum, in operibus iuſtitiæ; maxime, cum bonum ſequens non reputatur maius, quàm damnum illud.

Infamia non ſemper coram omnibus dijudicanda.

CAP. XCIX.

Conuictus vero, ſecundum Præpoſiti, vel Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer: ne contagione peſtifera plurimos perdat. Traditis mandatis cirba peccata conuincenda; tradit hic mandatum circa iudicanda. Et tanguntur hîc tria, ſcilicet per quos ſunt iudicanda, nimirum per Præpoſitum, vel Presbyterum: ibi *ſecundum Præpoſiti.* Item, qua pœna iudicanda. nimirum ſatisfactione emendatoria, ibi, *debet emendatoriam.* Item, quid faciendum de illo, qui recuſat huiuſmodi pœnam ferre. quod nimirũ expellendus ſit, ibi, *quam ſi ferre.* Sed additur cauſa, cum dicitur, *Non enim & hoc fit.* Et nota circa primum, quod presbyter, interdum vocatur Epiſcopus ciuitatis, ad Titum 1. presbyteros Gloſ. Epiſcopos. Et dicitur Epiſcopus, presbyter, id eſt ſenior, grauis moribus, & exemplo. Præpoſitus autem dicitur qui ſub Epiſcopo quidem eſt, maior tamen in Congregatione. Vnde Præpoſitus, id eſt ante alios poſitus, quia maior; & reſpicit inferiores, eo quod eſt præ illis: & ſuperiorem, eo quod non à ſe, ſed ab illo poſitus ſit. Videtur autẽ tempore Auguſtini Eccleſia illa cathedralis ita fuiſſe ordinata, ſicut adhuc ſunt multæ in multis locis; vt Capitulũ haberet pro maiore ipſum quidẽ Epiſcopum; ſub illo vero aliquem, qui Præpoſitus tunc dicebatur: licet modo, apud diuerſas Eccleſias, diuerſis alijs nominibus nominetur. & quod iſti duo, circa conuentum, diuerſas habeant iuriſdictiones, patet ibi. *ſecundum Præpoſiti, vel Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium:* vt Epiſcopus, in caſibus ad ſe pertinentibus, ſententiam ferret. Circa ſecundum, nota, quod vindicta quandoq; preſſe accipitur, cũ redditur malum pro malo, & ſic nulli licet ſe vindicare: quandoq; late, pro pœna, iuſtitia exigente, inflicta à iudice, & ſic licet. Debet autem prædictus Prælatus, non ſolum punire pro præteritis, ſed aliquas cautiones apponere

Presbyteri nomine intelligitur Epiſcopus.

Vindicta, pro pœna.

circa futura: vt ſi quis offendit frequenter in locutorio; iniungere ei vt non intret ad tempus: ſi nimis loquitur cum muliere aliqua; iniungere ei vt non loquatur, ad tempus, & ſimilia. Et ideo dicit, *vindictam emendatoriam*: vindictam; quo ad ſatisfactionem de præteritis; emendatoriam, quoad cautionem de futuris.

De incorrigibilitate.

Circa tertium, notandum, quod vitium eorum, qui culpas committunt, & pænitentiam recuſant, dicitur incorrigibilitas. Huiuſmodi autem incorrigibilitas eſt grauiſsimum peccatum. Eſt enim diabolicũ. Ipſe enim diabolus, poſtquam peccauit, nunquam pœnitere voluit. Item, eſt infirmitas periculoſiſsima. Non enim eſt infirmitas adeo parua, quin ſi recuſetur remediũ, verti poſsit in magnum periculum. Item, hoc eſt vitium, quod totam Religionem deſtruit; obedientiæ reſiſtendo, in qua tota virtus Religionis conſiſtit. Item, eſt ſumme contagioſum, ſicut lepra, quæ non admittit curationem: Item, hoc eſt, quod ſolum damnat homines. Nullus enim quantuſcunque peccator, aliter damnatur, niſi quia ſe non corrigit. Inter varias enim ſpecies peccati in ſpiritum ſanctum, quod eſt horribibile peccatum; in omni caſu videtur grauiſsima finalis impænitentia. Incorrigibilitas autem eſt huic annexa: propterea peccatum hoc in nullo, quantumcunque magno, eſt tolerandum; quamuis fortè alia aliqua interdum tolerentur ex cauſa. Vnde Ambroſius, cum Theodoſium Imperatorem repuliſſet ab Eccleſia propter culpas aliquas ipſius, nunquam voluit eum reconciliare, donec publicam pænitentiam egit. Et, cum diceret ei Imperator, etiam Dauidem adulterium, & homicidium commiſiſſe; illicò dixit ei Ambroſius: Secutus es errantem, ſequere pænitentem. Ad quod verbum compunctus, publicam pænitentiam fecit. Propter hoc etiam, omnes ſolent inſurgere contra tales: & nullus ex conuentu audet in aliquo, talibus præſtare fauorem, quamuis in alijs, eiſdem faueant interdum. Propter quod dixit Dominus Matth. 18. Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus: quos, ſcilicet, omnes fideles abominantur. Propter hoc etiam dicit nunc Auguſtinus, ipſos grauiſsime puniendos. Quæ enim pæna poteſt grauior excogitari, quam de ſocietate expelli? Et ſciendũ, quod iſtam expulſionem quidam interpretantur, quoddam genus excommunicationis; vt quando interdicitur fratri, ne veniat inter alios in choro, vel refectorio, vel vt nullus ei loquatur, & ſimilia. Alij intellignt hoc de ſequeſtratione, qua aliquis in aliquo loco, quaſi in carcere, includitur. Alij vero intelligunt de eiectione ab ordine, habitu ablato.

De eiectione ex ſocietate.

ablato. Sed melius eſt vt dicatur, quod ſecundũ diuerſas circumſtantias perſonę, & culpæ; quandoq; eſt primũ faciendũ: quandoq; ſecundum; quandoq; tertium: ita vt ſemper mitior pęna præeligatur: dummodo putetur illa eſſe æque medicinalis: neque ſcandalum aliorum, aut conſeruato iuſtitiæ, ad aliud inducat. Item, ſciendum, quod incorrigibilitas dicitur vitium contagioſum, quia tales exemplo manifeſto, & verbis, quibus ſe defendere ſolent, & tolerantia, qua alijs ſolent præſtare audaciam ad ſimilia, corrumpunt alios. Et ideo, cum peccent in ſocietatẽ, ipſam corrumpendo, dum delinquunt, ac ſe defendunt, expedit, vt de ſocietate expellantur. Et ideo bene dicit, *de veſtra ſocietate proijciantur; ne contagione peſtifera plurimos perdant.* Nec eſt adſcribendum hoc crudelitati; ſed potius miſericordiæ: quia maioris eſt pietatis, compati multis in damno ſpirituali, quam vni parcere in pœna aliqua medicinali. Sed ſunt multa, de quibus dubitatur circa huiuſmodi expulſionem. Et primo quæritur, An pro ſola incorrigibilitate ſit Religioſus expellendus à ſocietate aliorum, an etiam pro alijs culpis? Reſpondetur, quod Religiones aliquę approbatæ habeant in vſu expellere fures, percuſſores, ſodomitas. Primi enim, nocent in rebus: ſecundi, in corporibus: tertij, in animabus. Verum hoc non probatur, niſi quando non ſperatur talium correctio; & habentur rationes probabiles, quod tales cenſendi ſunt incorrigibiles. Sola ergo incorrigibilitas; vel vera, vt quando recuſatur pænitentia; vel ſane probabilis, vt in caſibus prædictis, inducere debet ad expulſionem, ſi accipiatur prima expoſitio pro excõmunicatione iuris. Si vero accipiatur pro quacunq; ſequeſtratione, vel à refectorio, vel à Capitulo, & ſimilibus, vt accipit B. Benedictus in Regula ſua, poteſt hæc pæna infligi pro multis alijs delictis, ſed corrigibilibus. Verum eſto, quod aliquis frequenter offendat in aliquo, qui tamen ſemper offert ſe ad pænitentiam, nunquid talis poteſt expelli? Reſpondetur non poſſe expelli, quoad excommunicationem iuris, ſecundum primam expoſitionem: quia talis ſententia proferenda eſt propter factum, non propter opinionem rei futuræ. Vnde quamuis non ſperetur correctio in futuro; quia tamen offert ſe ad pænitentiam de præterito delicto, non poteſt pro præterito delicto excommunicari: poteſt tamen, quoad expulſionem ſequeſtrationis, vel eiectionis ex ordine puniri, in caſibus maxime prædictis, in quibus eſt damnoſa eius ſocietas Congregationi: neq; ſperatur correctio propter facta aliqua præcedentia, quæ contrarium plane oſtendunt ei, quod verbo dicit, offerens ſe ad pænitentiam & correctionem. Prouidendum tamen eſt, vt non expellatur ex Ordine, ſi ſit talis perſona,

Non ſoli incorrigibiles expellendi.

Qui ſemper paratus eſt dare pænas, quomodo tractandus.

de qua probabiliter credatur, quod eiecta deſæuiet in res: ſicut faciunt aliqui, comburentes bona Monaſterij, vel ſimilia faciendo: vel in perſonas, vt interficiẽdo, vel verberando: vel ſi credatur, quod peccatis multis alios inficiet, quales ſunt ſodomitæ, vel hæretici; ſed includatur in loco forti, vt minus poſsit nocere. Si vero non eſt locus aptus ad hoc, recurrendum eſt ad maiores, vt per eos remedium adhibeatur. Illi vero nociui, de quibus non timetur, quod eiecti talia cõmittant, ſed potius putatur, quod confuſio eiectionis cedat eis ad correctionem, ſecurius poſſunt ab Ordine expelli; vt ſic humiliati, in melius emendentur. Sed nunquid peccant illi; qui fratres oneroſos & moleſtos propter illorũ intolerabilitatem expellunt, vel diſſimulant, ſi egrediuntur? Reſpondetur, quod poſtquam ſunt profeſsi, & pro culpis ſemper parati ſatisfacere, niſi ſint tales, qui damnum faciant in rebus, vt fures: vel in perſonis, vt percuſſores; vel inficiant peccatis alios, vt hæretici, & ſodomitæ, & ſeminantes diſcordias, & ſolicitãtes alios, ad apoſtaſiã, & ſimiles; nullo modo propter quodcũq; onus ipſorum, ſunt expellendi, ſed ferendi, tanquam qui forte ſunt dati à Deo ad patientiam, & charitatem fraternam excitandam, nec ſine graui peccato, poſſunt qui habent eorum curam, diſsimulare eorum apoſtoſiam. Sed quid faciendum eſt, cum eiecti petunt recipi? Reſpondetur, ſi culpæ incorrrigibilitatis, propter quas iuſtæ eiecti ſunt, adhuc durant, non tenentur eiectores, eos recipere, imo ex ijsdẽ cauſis, vt iuſte ſunt eiecti, ita iuſte poſſunt à receptione repelli. Nec obſtat decretalis, quæ dicit, fugitiuos eſſe requirendos. quia hoc intelligitur, quando ſunt tales, qui cum vtilitate Congregationis poſſunt tolerari: aliter non. ſicut ouis morbida, non ſolet reduci ad ouile, ſed potius relinquitur ipſis lupis. Si vero credatur probabiliter, quod culpas priores correxerint, & quod ceſſabunt; tenentur eiectores eos recipere, ſalua diſciplina Ordinis; & etiam requirere pro loco, & tempore. Sed quid interim faciendum eſt, ſi eiectus, de cuius correctione non ſperatur, offert ſe ad carcerem? Reſpondetur, poteſt dici, quod ſi ille, qui ſic petit recipi, eſt talis, vt faciat ſcandala, & multiplicet mala, recipiendus eſt ad carcerem, dummodo habeatur talis locus, in quo ſecure poſsit cuſtodiri. Per hoc enim, & ei prouidetur, quia à multis malis ſic ceſſabit; & Congregationi non nocebit, propter ſequeſtrationem. Poteſt autem in tali caſu recipi, habitu tunc non reddito; ſed progreſſu temporis, ſi ſigna bona apparuerint in eo, recipi poterit ad gratiam ampliorem. Si vero talis eſt, vt ſcandala non faciat in ſeculo, nec peccata noua committat, & creditur quod ex difficultate receptionis

Qui tantum ſunt oneroſi, nõ ſunt eijciendi, ſed ſeparand.

De eiectis recipiendis.

ptionis cautior fiet in poſterum, poteſt differri receptio, licet tandem non ſit neganda. Si autem quæratur circa prædicta, quomodo propter furtum, quod eſt damnum temporale, abijciendus ſit frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Dicendum, quod fures in Religione, deſperati, non ſolum nocent in rebus temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus; ſubtrahendo ea, quæ ad ſeruiendum Domino ſunt neceſſaria, & conturbando ſanctam Congregationem: & ſic impediunt bonum aliorum ſpirituale. Item, eiectio eorum, non fit ſolum propter bonum aliorum, ſed etiam propter bonum ipſorum, vt ex hoc, per confuſiones, & tribulationes, ad cor reuertantur. Et ideo, propter bonum eorum, & etiam aliorum ſpirituale, licet eis infligere pœnam iuſtam. Sed iterum quæritur: Si qui eijciendus eſſet ab ordine, petat licentiam tranſeundi ad aliam Religionem mitiorem, vbi poſsit melius cauere à peccatis, quam in ſeculo, eſt ne danda? Reſpondetur, non eſſe dandam à Prælato, niſi forte haberet aliquod priuilegium, per quod, hoc poſſet. Nam de iure communi hoc non licet: nec faciendum eſt ab aliquo aliquid illicitum, propter bonum alterius quodcunque. Poteſt tamen diſsimulari interdum, vt hoc faciat propria auctoritate: vel poteſt dici à Prælato, Concedo ſi poſſum, vel quantum poſſum; maxime, quando timetur, ne peius faciat. Si autem intrauerit aliquam Religionem, ita permiſsiue, & credatur ibidem conſueta mala facturus, & à Prælato ſub cuius cura ſe poſuit, ignoretur illius hominis conditio, & mala natura, prior Prælatus facere debet, quod ſibi vellet fieri in hac parte. Poteſt iterum quæri. Si eijciendus petit abſolui ab Ordine, vel retineri, quid faciendum ſit? Reſpondetur, neutrum eſſe faciendum. neque enim paſtor, quando eijcit ouem morbidam à grege, tenetur propter hoc cedere dominio illius, immo ad hoc expellit, vt, ſi forte ſanetur, reducat eam poſt ſanationem, ita & hic. Etſi forte aliquis ex ſimplicitate, vel alij de cauſa abſoluat huiuſmodi eijciendum ab obedientia Ordinis, id non valeret, quia eſſet cōtra rationem. Poteſt iterū quęri. Si petat talis licentiam tranſeundi ad Ordinē arctiorem, cuiusnam intereſt licentiam talem dare? Reſpondetur, cum Vgone, ad Prælatū cum conſenſu conuentus id pertinere: qui etiam hoc ſic probat; quod ſi ſolus Prælatus non poteſt alienare bona temporalia Monaſterij, ergo multo magis nec perſonam. Licet autem hoc verum forte ſit in Monaſterijs, vbi Pręlatus non habet ſuper ſe maiorem; tamen in Ordine fratrum Prædicatorum ſolus Magiſter, cui fiunt profeſsiones omnes, vel Prouincialis, cui data eſt ex conſtitutionibus eadem poteſtas in ſua

Quare propter furtum liceat eiicere.

De tranſitu ad aliam Religionē laxiorem.

Qui eſt eiiciendus, non eſt à Regula abſoluendus.

De tranſitu ad Religionē arctiorem.

Pro-

Prouincia, quã habet Magiſter in toto Ordine, poſſunt dare licentiã: vel alij, eorum auctoritate. Et quamuis Prior conuentualis cũ conuẽtu poſsint recipere fratres, tamẽ non poſſunt de obedientia Magiſtri, vel Prioris Prouincialis, quibus adquiſiti ſunt, eos ſubtrahere, præter voluntatem eorum. Sed iterum poſſet quæri, An illi, qui licentiam dare poſſunt ad aliam Religionem, poſsint eandem dare ad parem Religionem? Reſpondetur, certum eſſe, quod ad laxiorem non poſſunt. Item certum eſt, quod ad arctiorem euidenter; ſi aliqua ſit talis. de pari vero, propter rationes, quæ ſunt ad vtramque partem, eſt ita dubium, vt non ſit ſecurum, neque conſuetum, niſi auctoritate Papæ, vel priuilegiorum ſiqua ſuper hoc haberentur, hoc fieret. Sed nunquid auctoritas Epiſcopi ſufficit hac in parte? Reſpondetur, non eſſe conſuetum, vt pro diſpenſationibus, circa votum Religionis recurratur ad Epiſcopum. Et eſt argumentum iuris ad hoc. Ipſi non poſſunt diſpenſare in voto cruciatæ, quod minus eſt, quam votum Religionis. huiuſmodi vero commutatio voti de pari in par, non poteſt fieri niſi diſpenſatiue, & auctoritate maiori: & ita non videtur iſte caſus pertinere ad Epiſcopos. Poſtremo ſciendum eſt, quod, quando datur licentia Religioſo, tranſeundi ad aliam Religionem; nunquam Prælatus, dans huiuſmodi licentiam, liberatus eſt à cura illius, quocunque modo detur, donec qui dimiſſus eſt, ſecundum modum licitum, in alio ordine profeſſus ſit, alioquin eſſet aliquis cœnobita, & tamen ſub nullius cura. Dixerunt tamen aliqui, quod ſi aliquis, ſua voluntate, obtinuit tranſire ad arctiorem Religionem, quæ eum recipiat, non tenetur qui dimittit, reuertentem recipere. Quod etiamſi eſſet verum, non eſt tamen contra prædicta. Poteſt enim eſſe caſus, in quo eſt aliquis ſub cura alicuius adhuc, & tamen non tenetur eum recipere in aliorum ſocietatem.

De tranſitu ad Religionẽ parẽ.

Quomodo dimiſſus, adhuc ſit ſub cura ſui ſuperioris.

Cap. C.

Et hoc, quod dixi de oculo non figendo; etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis; iudicandisque peccatis, diligenter, & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Tradita ſunt mandata circa culpas corrigendas in materia particulari, ſecundum diſtinctionem prædictam: hic autem tradit mandatum circa idem in genere, dicens quatuor. ſcilicet quid ſeruandum in omni peccato, circa eius animaduerſionem: nimirum idem, quod dictum eſt de oculo figendo. Item, in quibus, & quot: nimirum in quinque: ſcilicet inueniendis, &cet. Item, qualiter: nimirum diligenter, & fideliter. Item, quali motu: ſcilicet, vt caueatur ne fiat aliquid circa hæc, ex perſonæ odio, ſed ex dilectione perſonæ, & odio vitiorum. Et hæc patent in littera.

Circa

Circa primum, notandum, quod ſunt quædam Religiones, in quibus etſi magno zelo non fertur carnis peccatum, tamen interdum alia multa mala tolerantur. Hoc autem eſt diabolicum, peccatum non ex toto deſtruere. Contra quod dicitur. 1. Reg. 15. Vade, & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius. non parcas ei, nec concupiſcas ex rebus eius aliquid. Quod quia non fecit Saul, retentis aliquibus bonis eius, quæ ſibi, & exercitui ſuo placuerunt, priuatus eſt regno, in ſignum, & argumentum, quod Prælati ſic facientes, non ſunt digni regimine; etiamſi multos habeant ſub ſe, & apud ſe, qui hæc conſulant & admittant. Item, tales Religioſi ſunt, ſicut Samaritani, qui ex vna parte colebant Deum, & ex alia parte retinebant idola, ſicut dicitur. 4. Reg. 17. Contra tales vero dicit Helias. 3. Reg. 18. Vſquequo claudicatis in duas partes. Item, Prælati talium, ſunt, ſicut illi Reges, de quibus frequenter dicitur in libro Regum, quod multa mala corrigebant: veruntamen excelſa non auferebant, ſemper aliqua incorrecta relinquentes. 4. Reg. 14. & 15. Et nota, quod Religio, eſt ſicut hortus Domini. Quid autem prodeſt in horto remouere aliquas herbas malas, vel ſpinas, & relinquere alias? Ideo dicitur Hier. 6. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas, qui enim faciunt noualia, diligenter purgant, vt nullam ſpinam relinquant. Item, Religio eſt, ſicut ſpecialis habitationis cubiculum: peccata vero diuerſa, ſunt vt ſtercora animalium diuerſa. Luxuria enim, eſt ſicut ſtercus equinum: nam & ipſi equi ſignificant luxorioſos. gula vero, eſt ſicut ſtercus porcorum. detractio, ſicut ſtercus canum: & ſic de alijs multis. Quis autem volens cubiculum Domini ſui mundare, remouet inde vnum genus ſordium, & dimittit alia, & non potius remouet omnia? Ideo dicitur, Iacob. 1. Abijcientes omnem immunditiam. Quod quidem faciendum eſt ſpecialiter in domo illa, quam ſpecialiter decet ſanctitudo. Item, Religio, eſt ſicut templum Deo conſecratum. In tali autem, non debet remanere aliquod veſtigium idololatriæ diabolicæ, quod eſt peccatum: ſed ſolum imagines ſanctorum, quæ ſunt virtutes. Ideo legitur, quod S. Bonifacius Papa, eliminata omni ſpurcitia dæmonum à templo Pantheon, B. Virgini, & omnibus ſanctis, illud conſecrauit. In huius autem rei figuram, dicit Balaam. Num. 23. Non eſt idolum in Iacob; nec videtur ſimulachrū in Iſrael; Dominus Deus eius cum eo: quia ſcilicet ea, quæ Dei ſunt ſolum, & non ea, quæ ſunt diaboli debent inueniri in veris Iſraelitis. Quia igitur tot inconuenientia ſequuntur, cum ſuſtinentur aliqua in Religione etiam alijs correctis: bene dicit vir ſanctus, vt illud, quod dixit obſeruandum

Nullum vitiū in Religione ferendum.

Variæ cum Religione comparationes.

circa figendum oculum, pertinens ad incontinentiam, ſeruetur in omnibus alijs peccatis: vt non ſolum contra vnum genus peccati, ſed contra omnia peccata, ad ipſa extirpanda, zelus ſanctus accendatur.

Qualis progreſſus in vitiis Religionis tollendis.

Circa ſecundum, notandum, quod circa inuenienda peccata, dedit mandatum ibi, *Cum ergo ſimul eſtis.* Circa prohibenda, per admonitionem fraternam, ibi, *& ſi hanc de qua loquor.* Circa indicanda, ibi, *Si autem, & poſt admonitionem.* Circa conuincenda, ibi, *prius tamen alteri, vel tertio.* Circa iudicanda, ibi, *conuictus vero.* Et vide quam ſufficienter mandat, quidquid poteſt fieri contra peccata. Quid enim poteſt amplius excogitari, niſi vt apponatur diligentia in illis inueniendis? Si autem inueniantur, vt ſtatim corrigantur? quod ſi correctio fraterna non prodeſt, vt indicentur? quod ſi indicata negantur, vt probentur? quod ſi probata fuerint, vt per iudicium iuſte puniantur? Item, nota, per huiuſmodi recapitulationem in quinque prædictis, quam rationabiliter, & ordinate procedit in omnibus Auguſtinus. Quis enim, niſi ipſe recapitulaſſet, aduerteret mandata prædicta verſari circa iſta quinque præciſe. quod claret euidenter ex recapitulatione. Proinde, eſt hinc, argumentum, quod, etiam in alijs, rationabilter, & ordinate procedit, quamuis, per huiuſmodi recapitulationem, vel verbis alijs, hoc non declaret expreſſe.

CAP. CI. Pro zelo tollendi vitia in Religione.

CIRCA tertium, notandum, quod illud dicitur fieri diligenter, quod fit cum vehementi applicatione. Cum ergo, mandat Auguſtinus, vt circa peccata inuenienda, prohibenda, indicanda, cōuincenda iudicandaq; vſq; ad expulſionem etiam delinquentis, diligentia, & fidelitas obſeruetur; patet quantum zelum vult haberi contra peccata omnia in Religione. Porro, ad hoc debet nos incitare ſeuerum illud exemplum. Dum enim peccatum ſpirituale ſuperbiæ, in cælo *2. Pet. 2.* commiſſum; carnale vero gulæ, in paradiſo perpetratum; *Gen. 3.* ſeculare vero de negotiatione, in templo inuentum, *Ioan. 2.* tanto zelo puniuit, vt illos, qui deliquerant in talibus locis, inde expelleret, præter alias pœnas quibus puniuit eoſdem: certe, cum Religio ſit quaſi quoddam cælum, in quo habitant viri ſpirituales, ſicut in cælo ſpiritus: & quedam paradiſus in terra; & ſpeciale Domini templum, quanto zelo perſequenda ſunt in ipſa peccata, ſiue ſpiritualia ſiue carnalia, ſiue ſecularia? *Religio variis rebus comparatur.* Item, tria ſunt propter quæ ſolent res aliquę cum diligentia maiori purgari. Vnum, precioſitas: ſicut vas aureum, vel argenteum, ſi contrahat aliquam rubiginem: ita viros Religioſos, quanto meliores ſunt, tanto conuenit magis purgari. Ideo Malach. 3. dicitur de filijs Leui, qui debebant eſſe meliores, quam

quam alij. Et purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum. Colatura vero huiuſmodi, eſt efficaciſsiſima ad purgandum. Aliud eſt, ſanctitas. Nimis enim male hærent ſordes in re ſancta. Et ideo dicitur. 1. Machab. 4. Et mundauerunt ſancta. Aliud eſt, vtilitas, ſicut purgantur arbores hortenſes, vt fructificent melius. Et ſic de homine. Ioan. 15. Et omnem, qui fert fructum, purgabit ſtum, vt fructum plus afferat. Cum ergo Religio ſit ſtatus precioſiſsimus, ſtatus ſanctiſsimus, & hortus Domini ſpecialis, habens arbores diuerſas, ad fructus optimos producendos, quanta cum cura, ſunt rubigines, & ſordes, & ſuperfluitates malæ tollendæ? Item, Religioſi ſuccedunt in hæreditate viris ſanctis. Et ideo valde graue eſt, ſi in hæreditate eorum, in qua ipſi rationabiliter, quoad virtutes, vixerunt, ruſticitates peccatorum committant. Ideo dicitur, Eſaiæ 26. In terra ſanctorum iniqua geſsit, & non videbit gloriam Dei. Ipſi etiam viuunt de bonis Domini, habentes continue ab eo bona ſtipendia. Quanta eſt ergo perditio, ſi tales faciunt aliquid contra eum? Ideo dicitur, contra tales in Pſalm. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Tu vero, qui ſimul mecum capiebas cibos, &cet. et poſt: veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes. Ipſi etiam ad hoc electi ſunt, & ſequeſtrati à mundo, vt ſint ſancti. Leuit. 20. Sancti eritis mihi: quia ego ſanctus ſum, & ſeperaui vos à ceteris gentibus, vt eſſetis mei. Quanta ergo eſt ingratitudo, cum illi, quibus tanta gratia facta eſt à Domino, in tali electione, viuunt profane? Quantum ergo perſequenda ſunt peccata talium, qui tantopere ab ijs cauere tenentur, & ratione ſucceſsionis ſanctorum, & ratione ſtipendiorum diuinorum, & ratione electionis diuinę? Item, tria ſunt, quę ſolent multum excuſare a peccato. Primum eſt, ignorantia. Sed iſtam non habent Religioſi. quia habent ſcripturas, habent doctrinam, habent ſapientes, à quibus ſemper poſſunt certificari de dubijs. Et ideo dicuntur viri Iſraelitæ, ideſt cognoſcentes Deum, quia magnam habent notitiam diuinorum. Secundum eſt, mala ſocietas, quæ frequenter impellit ad malum. ſed & iſtam non habent, immo è conuerſo, bonam trahentem ad bonum. Et ideo, ſicut peruertitur homo cum peruerſis, & ipſi cum ſanctis deberent eſſe ſancti. Tertium eſt, negotia mundi, quę frequenter dant occaſionem peccati; vt onus domus regendæ, auaritiæ, negotiationes, mendacia, diſcurſus malus, cõcupiſcentiæ eorũ, quę videntur, & ſimilia. Propter quod dicitur. 1. Io. 5. Totus mundus in maligno poſitus eſt, ideſt in malo igne, ideſt in occaſionib⁹ inflãmãtibus

Vitia in Religione, grauiora.

Pſalm. 54.

Tria, quæ peccatum grauant in Religione.

 ad

ad malum. Religioſi vero, & maxime clauſtrales, non habent huiuſmodi occaſiones: cum non debeant vacare, niſi ſoli Deo. Cum ergo peccata eorum non habeant excuſationes, ſicut peccata multorum aliorum, plus ſunt illa merito perſequenda. Item, peccata in Religione, perdunt animas eorum, qui propter ſalutem ſuam Religionem intrauerunt. Perdunt etiam famam. Sicut enim ſtercora non poſſunt diu eſſe in loco, quantumcunque occulto, quin fęteant, ita & peccata. Perdunt etiam temporalia: quia perdita fama, deuotio hominum, quæ temporalia conferebat, potius ea aufert, quam conferat. Si ergo Abbas, diſsipator temporalium, tam odibilis eſt hominibus, quantum ſunt peccata odienda in Religione, quæ & hæc, & plura multo meliora diſsipant? Itē, cū peccata in Religione non extirpantur, multiplicātur: ſicut herbæ malæ in horto, vel in agro. Prou. 24. Per agrum pigri hominis tranſiui. Et poſt. Et ecce totum repleuerunt vrticæ. Et hoc eſt, quia piger, non extirpauerat ſtatim exortas. Nō ſolum autem augentur mala, quæ non tolluntur, ſed & indurantur; ita vt fiant quaſi incorrigibilia. Auguſt. Dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſsitas. Non ſolū fiunt incorrigibilia, ſed, quod malorū eſt extremum, non reputantur peccata. Auguſt. Obijciuntur Iacob quatuor vxores: quod, quando mos erat, peccatum non erat. id eſt, non reputabatur, ſecundum vnam expoſitionem. Cum ergo ex tolerantia peccatorum, tot inconuenientia conſequantur, non ſunt, vt dicit B. Benedictus in Regula, aliquatenus diſsimulanda: ſed, ſtatim vt orta fuerint, radicitus amputanda. Patet ergo ex prædictis, quod, ſi conſideretur Religionis locus, & ſtatus, peccatorum quoque Religioſorum grauitas, & inexcuſabilitas: damna item, quæ inferunt, & in correctorum pericula; animandi ſunt omnes Religioſi ad zelandum feruenter contra peccata.

Magis pro diſciplina, quam pro temporalibus laborandū.

Vitia non diſsimulanda in Religione.

CAP. CII. Contra uitia in Religione, vt cōtra lupū. eſt cuiuis inſurgendum.

Circa quartum, notandum eſt, quod virorum bonorū eſt à peccato declinare. Pſal. Declina à malo, & fac bonum. non ſolum hoc eſt eorū, ſed, quod melius eſt, fugere peccatum. Eccleſ. 22. Quaſi à facie colubri, fuge peccatum. immo, quod optimum eſt, eorum eſt, odiſſe peccatum. Rom. 12. Odientes malum. Et vere odiendum eſt à bonis peccatum. Deus enim noſter, nihil odit, niſi peccatum: & ipſum ſumme odit, & ideo amici eius debent ſumme odiſſe peccatum. Pſal. 96. Qui diligitis Dominum, odite malū, ſicut ſcilicet, ipſe odit. Præterea, naturale eſt odiſſe rem nociuam: ſicut ouis odit lupum naturaliter. Et ideo dictum eſt. Odio habebis inimicum tuum. Matt. 5. Non quod ſcriptura hoc alibi præcipiat; ſed nimis adhærentes naturæ, hoc dixerunt. Peccatum autē ſumme nocet. Sicut ergo, cum lupus nociuus gregi

gregi comparet, & paſtores, & canes, & totus grex commouetur, tanquam in rem odioſam;ita qualecunque alicui apparet peccatum, debent omnes in illud, tanquam in rem odioſam inſurgere. Præterea, nuncius,qui ſemper nunciat odioſa, ſolet multum haberi odio. de peccato vero nunquam auditur bona cantio, ſed ſemper mala pronoſticat omnis ſcriptura,loquens de eo. ſicut ergo Achab oderat Michæam,quia non nunciabat ei, niſi malum, ſicut dicitur, 3. Reg. 22.quantum odiendum eſt malum omnibus, quod innumerabilia mala, & pronoſtica adducit? Sed ſciendum eſt, quod aliqui, quoad aliquos, male moti, ſub ſpecie perſequendi peccatum, homines perſequuntur interdum.Iſti ſunt ſicut ſcribæ,& phariſæi,qui nō ex charitate,ſed propter inuidiam & odium ipſorum in Chriſtum,accuſabant eum; modo quod ſabbatum violaret; modo,quod ſe filium Dei vocaret,& huiuſmodi.Sunt item ſicut Rex Babylonis,qui, ſub ſpecie potus, dedit Sedechiæ potionem laxatiuam, ob quam confuſus ille eſt coram omnibus, ſicut dicitur in hiſtorijs quibuſdam. Ita & iſti ſub ſpecie charitatiuæ correctionis,homines confundere intendunt. Sunt etiam,ſicut principes,& ſatrapæ Babylonis,qui non quærebant accuſare Danielem,vt ceſſaret à malo,ſed quærebant malum,vt inuenirent occaſionem contra eum.Daniel. 6. Pſal.Scrutati ſunt iniquitates.Sunt alij, qui licet non ex propoſito, in correctionibus, homines perſequantur, tamen ex defectu veræ dilectionis, ſic incaute agunt interdum,calamum quaſſatum confringentes, & linum fumigans extinguentes, vt correctio, quæ debet correctis eſſe ad vitam,cedat eis plerumq; ad mortem. Contra vero dilectio,quam quis habet in vas vitreum ſuum, docet eum, vt lauando ipſum, ita cautè tractet, ne nimium premat, & confringat. Item, dilectio, quam habet mater in filium ſuum paruulum,docet eum, vt abſtergendo ſordes naſi, ita leniter id faciat, ne ſanguinem eliciat. Dilectio item, quam quis habet ad lumen lucernæ, docet eum, vt ita diſcrete emungat,ne lumen extinguat,& fœtorem inducat. Cum ergo quis,alium corrigendo,ſic incaute eum confringat, iuxta illud Pſalm. 88. Deſtruxiſti eum ab emundatione:ita fortiter emungat naſum eius,vt eliciat ſanguinem, prout dicitur. Prouerb. 30. ita lucernam curet contra artem emungendi,vt propterea præceperit Dominus fieri emunctoria,Exod 35. vt totum extinguat; apparet hæc accidere ex defectu dilectionis & charitatis, quæ docet quomodo omnia ſint facienda. Quia ergo vitia ſunt odienda; quando vero propter malum motum, vel non propter dilectionem, alij corriguntur, ſequūtur inde mala prædicta, tam in corrigente quam in correcto; benè dicit vir ſanctus, vt fiat correctio cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

Vitia, non perſonæ inſectandæ.

Pſalm. 63.

Matth 12.

Exempla bene agentium contra vitia.

IN CAP. XIIII. REGVLÆ VGO.

Graue eſt, occu'te accipere.

QVICVNQVE *autem in tantum progreſſus fuerit malum, vſque, & oretur pro eo.* Ideo pogreſſum eſſe in malum magnũ dicit fratrem, qui occultè aliquid recipit, quia aliquid occultare, eſt Ordinem infringere. Magnum malũ incurrit, qui Ordinis ſui præuaricator exiſtit. Niſi Propheta ſanctus, magnum malum eſſe ſciret, quod Giezi, diſcipulus ſuus a Naaman Syro munus occultum accepiſſet, nequaquam eum tam terribiliter, paſsione lepræ percuteret. Exemplo itaq; ſuo nos docuit, graui correctione dignũ eſſe, qui committeret ſimile peccatum. *Tamen ſi hoc vltro cõfitetur, parcendum eſt ei, & orandum pro eo.* Nam culpa leuior efficitur, quæ confeſſione voluntaria humiliter aperitur. Vnde Dauid dicit. Dixi confitebor: & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. *Si autem deprehenditur, grauius emendetur.* quia ſi grauior eſt culpa, grauior competit diſciplina. Grauiter quippe, & mortaliter offendit, qui malum, quod agit, etiam abſcondit. De occultis litteris, & munuſculis B. Hieronymus ita ſcribit. Occultas, inquit, litteras, & ſudariola, & crebra munuſcula, ſanctus amor non habet. Quiſquis talibus delectatur, magna vanitate ſeducitur. Et quo plus delectatur infimis, eo amplius eijcitur à ſupernis. Ex huiuſmodi autem, mala grauia ſolent generari. Sed qui perfecte vitia cauere deſiderat, nõ ſolum ſtudet, vt ea, quæ per ſe ſunt mala, caueat, ſed etiam illa refugit, vnde tantũ etiam, vel praua actio, vel mala opinio procedere poſsit. Nos vero, quos oportet bene viuere, & bonum exemplum alijs demonſtrare, non conuenit talia agere, vnde quis poſsit vel malam ſuſpicionem habere.

4 Reg. 5.

Pſalm. 31.

NB. Res occultę acceptę multum nocent animę.

VMBERTVS.

CAP. CIII.

QVICVNQVE *autem in tantum fuerit progreſſus malum, vt occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit: ſi hoc vltro confitetur, parcatur ei, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur: ſecundum arbitrium Presbyteri, vel Præpoſiti, grauius emendetur.* Tradita ſunt mandata circa correctionem vitiorũ, quæ deprehenduntur, ab illo loco, *Quando ergo ſimul eſtis*, vſque huc, *Quando autem.* Hic autem tradit circa illa, quæ gratis obueniunt. Sicut autẽ ſupra mandata poſuit circa particularẽ materiã, primo, poſtea in genere, ita hic ponit materiam particularem. Et quia de ſimilibus, ſimile

mile debet eſſe iudicium, intelligendum eſt, vt idem obſeruetur in omnibus alijs: ſicut dicit ſupra in alijs, quamuis hoc ibi expreſſe non dicat. Quia vero quæ pertinent ad inhoneſtatem impudicitiæ, quaſi nunquã inueniuntur, niſi comprehendantur; quæ vero pertinent ad vſum alicuius rei tẽporalis gratis datæ, facilius occurrũt, quia non habent ita pudorem adiunctum, vt illa ſuperiora: ſicut ſupra de illis tractat, ita de his hoc loco. Notandum vero, quod accipere litteras, homini cuius volũtas eſt in alterius poteſtate, vel quodlibet munus aliud, quantumcũq; exiguum, illi, qui nihil poteſt habere, eſt culpa non modica, licet quidam non magni hoc faciant. In vitijs enim ſpiritualibus, cum res vſq; ad manum venit, reputantur illa eſſe in ſumo gradu, vt apparet in ira. Grauis enim eſt, cum eſt in corde, grauior cum verbis effunditur, ſed grauiſsima, quando vſque ad manum, percutiendo prorumpit. Similiter in carnalibus, grauis eſt impudicitia in mente, ſed grauior eſt in verbis: grauiſsima vero, cum vſq; ad tactum impudicum procedit. Eadem ratione in ſecularibus, graue eſt delictũ, rem, quam non licet habere concupiſcere: grauius, cum verbis procuratur: ſed grauiſsimum, cũ actu perpetratur. *Litteras & munuſcula occulte accipere graue, & periculoſum.*

Præterea inter membra humana, quædam ſunt, quæ rebellant ſpiritui omnino, vt inferiora: quædam, quæ etſi omnino nõ rebellant, tamẽ difficile obediunt, vt pedes: ſed manus valde obediẽs eſt, & mobilis, modo huc, modo illuc in omnẽ partẽ. Et ideo tãto inexcuſabilior eſt ſpiritus, ſi aliquid mali perpetrat accipiendo illicita, quanto eſt ei obedientior manus. Præterea, quidam ſunt ſenſus, quorum organa, homo velit nolit, patiuntur ab obiecto; vt auris, & nares, quia non habent à natura operculum defendens. quidam vero, quorum organa à natura aliquid defendens habẽt; vt oculi, palpebras. Et ideo quia poſſunt ſe defendere, cum vult ſpiritus, per opercula huiuſmodi, non patiuntur, niſi cũ vult ſpiritus. Senſus vero tactus, cuius ſpeciale organum, manus eſt, non venit ad actum tangendi, etiamſi velit homo, niſi cum labore quodam, & difficultate: eo quod oportet ipſam manum appropinquare ad rem diſtantem, quia tactus non fit per medium, ſicut viſus, ſed eſt rei proximæ. Cum ergo quod habet maiorem difficultatem ad ſui perpetrationem, hoc ipſo ſit grauius, non eſt ſine grandi malo, cum manus extenditur ad aliquid illicite accipiendũ: tum quia malitia in tali facto effunditur vſq; ad manum: tum quia manus ſuper alia membra obediens eſt ſpiritui: tum quia tardior eſt ad actũ ſuum, eo quod niſi cum difficultate à ſpiritu, non trahatur. Et ideo ſignanter dicit vir ſanctus, *in tantum progreſſus fuerit* *Manu quare maxime peccetur.*

fuerit malum, innuens, quod eſt non leue malum, ſed magnum valdè, ſi Religioſi aliquid illicitè accipiant. id eſt ſine licentia. quod vocat occulte fieri, quia fit ſine licentia Prælati. Quanquam autem hoc ſemper ſit vitandum, & tanquam malum cauendum; tamen ſpecialius cauent viri ſancti, à litteris, & munuſculis, accipiendis à mulieribus. Et ideo dicit Hieronymus, Dulces litteras, & crebra munuſcula ſanctus amor non habet. Huiuſmodi enim, olent amantium ſtultum amorem: & ſunt ſpecies mali, à qua cauendum eſt, ſecundum Apoſtolum. Item, per hæc inſpecta, reducitur mulier ad memoriam: per quod ſolet ſanctos diabolus infeſtare. Item, per hoc, nutritur, & augetur affectus, circa mulieres, quod eſt valdè periculoſum, quia facile id degenerat in malum. Item, per hæc, familiaritas mulierũ adquiritur, quæ quam ſit reprehenſibilis, patet ex ſupra dictis. Item, huiuſmodi munera ſunt quaſi inutilia, & recipienti, & alijs. & ideo tanquam à ſuperfluis cauent, qui non curant niſi neceſſaria in hoc mundo. Item, notandum, quod quidam ſunt qui ratione antiquitatis, vel alicuius excellentiæ qualiſcunq;, ſolent aliquando plus excedere in huiuſmodi rebus accipiendis; reputantes quod verecundũ ſit eis, vel indecens, licentiam aſsidue petere, pro huiuſmodi rebus minutis accipiendis. Et ſane Prælati quidã, qui in minoribus fratribus iſta rigide corrigunt, maiores vero non audent corrigere, tales inquam, ſunt ſicut myrmicoleon, qui dicitur leo formicarum, qui in formicas deſæuit, ita & iſti in minores. contra vero faciebat Dauid, qui pugnauit cum leonibus, quod quidem eſt probitatis; primum autem ignauiæ.

NB.

A fœminis litteras, vel munuſcula occulte accipere, periculoſiſsimũ.

1. Theſ. 5.

cap. 81. in Cap. 12. Reg.

Regula ab antiquioribus in primis ſeruanda, & quare.

1. Reg. 17.

CAP. CV.

Et attende, quod tale delictum, ſiue aliud quodcunque, magis eſt corrigendum in maioribus. Ipſi enim ſunt exemplar minorum. Exemplar vero vnde alia tranſcribuntur, primo, & diligentius ſolet corrigi. Itẽ, ipſi ſunt caput minorũ. Sapiẽti vero medico maior eſt cura curandi capitis in infirmo per totũ corpus patiente, eo quod inde fluunt bona, & mala in alia membra. Item, ipſi ſunt fons, vnde fluũt riuuli exemplorum. Nõ poſſunt autem riuuli eſſe clari, fonte turbato. Et ideo primo purgandus eſt fons, vt puri ſint riuuli. Hinc eſt, quod in purgando Iſraelitico populo à mulieribus alienigenis, primo inceptũ eſt à maioribus, ſcilicet à filijs Ioſedech & fratribus eius. ſicut habetur. 3. Eſdræ. 9. Hinc eſt etiã, quod Dominus plus increpat maiores inter Iudæos; ſcilicet ſcribas, & phariſæos, quam minores; licet omnes eſſent reprehenſibiles. Hinc eſt iterum, quod in die cænæ apud multos prius lauatur maius altare, quam minora; quia ad purgationem maiorum, primo, & principalius eſt intendendum. Et ideo

ideo Ezechiel. 9. dicitur viris deferentibus vaſa interfectionis, A ſanctuario meo incipite. Ceperunt ergo à viris ſenioribus, qui erant ante faciem domus. Cum ergo tot rationes oſtendant, maiores magis corrigendos eſſe, quanto magis, abſq; acceptione perſonæ, qui ſub eodem voto viuunt, ſunt ſicut alij corrigendi? Et ideo dicit vir ſanctus, *quicunq*. quaſi dicat, quicunq; ille ſit, abſq; acceptione perſonæ.

Item, attendendũ eſt, quod ille, qui gratis ſponte agnoſcit culpam, videtur, magis pænitens, quam ille, qui non agnoſcit, niſi conuictus. Et ideo dignus eſt maiori miſericordia. Luc. 18. ſi pænitentiam egerit, dimitte. Præterea, quanto benignius agitur cum illo, qui gratis culpam ſuam recognoſcit, tantò videntes animantur ad ſimilia: ſic ad Dominum Ieſum audacius appropinquabant peccatores, propter benignitatem, quam eis exhibebat, vt patet Luc. 15. Præterea, reus, quantò plus fatigat actorem, & iudicem, tantò, ſi tandem inuenitur in culpa, dignior eſt pæna maiori; & quo minus fatigat, eo dignior eſt gratia. Qui autẽ non agnoſcit culpam, niſi conuictus, multũ laboris exhibet iniquitate ſua, & accuſanti, & iudici. Qui autẽ gratis agnoſcit, quaſi nullum laborem eis præſtat. Ex his ergo patet, quod agnoſcentes culpam ſuam gratis, multò minus puniendi ſunt, quam conuicti: & ratione ſui, quia pænitentes vidẽtur; & ratione aſsiſtentium, qui ad bonum ex hoc prouocantur; & ratione contra eos agentium, quos minus fatigant. Et propter hoc, bene dicit, *parcatur illi*. quod intelligendum eſt, non ex toto, ſed ex parte, *& oretur pro eo*: vt ſicut benigne agitur cum eo ab homine, ita & Deus pie agat cum eo. Sic igitur circa prædictum mandatum, declarata ſunt tria. Vnum eſt, quod non paruum eſt malum Religioſo, aliquid quantumcunque modicum ſine licentia accipere. Quod innuit Auguſtinus, cũ dicit, *in tantum progreſſus fuerit malum*. Aliud, quod iſtud corrigendum eſt in omnibus, abſque perſonæ acceptione. quod innuit, cum dicit, *qui autem &c*. Tertium eſt, quod leuius eſt iſtud puniendum in ſponte fatente, quam in conuicto: quod tangit, cum dicit, *ſi hoc vltro, &c*. quod intelligendum eſt ſimiliter faciendum in omnibus alijs culpis, ſponte apertis.

Cap. CVI. Qui ſponte agnoſcit & fatetur culpam, mitius tractandus.

In Cap. XV. Regulæ Ugo.

CAP. VIII De cuſtodia rerum communium.

VESTES *veſtras in vnum habeatis*, vſque, *ne à tinea lædantur.* Quod veſtes præcipit reponi ſub vno cuſtode, vel pluribus, duæ videntur cauſæ. prima videlicet, ne per incuriam neglectæ, à tineis corrumpantur. Secũda, ne frater hanc ipſam veſtẽ, quam habet, in propriam ſe habere crederet, ſi in proprio loco ſibi reponere liceret. Huic autẽ ſententiæ videntur verba concordare, quæ ſequũtur. ait enim. *Et, ſi fieri poteſt, ad vos non pertineat,* vſque, *prout cuique opus eſt, non negetur.* Ideo ait, ſi fieri poteſt; vt, ſi cui videatur difficile, liceat ipſum, quod depoſuerat veſtimentum, ſuſcipere. Ad maiorem enim perfectionem pertineret, ſi ad tantum contemptum ſui quis perueniſſet, vt eo ſolũmodo, quod opus eſt corpori, contentus eſſet, iuxta quod ait Apoſtolus. Habentes victum, & veſtitum, his cõtenti eſſe debemus. Non determinat quantum, vel quale, ſed tantum ea notat, quæ ſufficiant naturæ. Nam in imperfectis plus ſemper voluptas appetit, quam neceſsitas. Sic autem ait B. Auguſtinus, Humana natura modico contenta eſt: ſed conſuetudo multa addit: voluntas, atque voluptas plura copulauit. Si quis Deum perfecte diligeret, ſi carnalibus deſiderijs omnino renunciaret, multa reſecaret ſuperflua, quæ modo tenet quaſi neceſſaria. Diſcamus ergo Deum toto corde diligere, quatenus per ipſius amorem ſtudeamus, & contenti eſſe neceſſarijs, & ſuperflua reſecare, vt, dum quod opus eſt vnicuique, non negetur, vltra quod opus eſt, à nemine requiratur. Charitas non quærit quæ ſua ſunt; charitas communia anteponit: charitas facit eſſe abiectum in domo Dei. Hanc ſi quiſquam perfecte poſsidet, etiam ex eo, quod opus erit, ſibimet ipſi reſecabit. *Si autem hinc inter vos contentiones oriuntur*, vſque, *qui pro habitu corporis litigatis.* Habitus cordis veſtri ſanctificatur per gratiam Dei, per inhabitationem ſpiritus ſancti, quando ineſt pax, charitas, bonitas, humilitas, patientia, concordia, manſuetudo, & alia huiuſmodi. Hæ ſunt noſtræ interiores diuitiæ, ſcilicet boni mores, & virtutes. Sed ſi incipimus inter nos contendere, murmurare, & litigare, ſtatim ab his ſpiritualibus bonis vacui remanemus. Virtutes enim cum vitijs remanere non poſſunt. Nam fermentum modicum totam maſſam corrumpit. Hinc ſe debet quiſque probare, & ſolicite penſare, quantum illi intus deſit. Et quam magnum damnum incurrit, qui pro rebus tranſeuntibus, hoc vnde debet eſſe beatus, perdit. Valde ergo nobis cauendæ ſunt lites, & contentiones, quia hæc ſunt opera carnis. Et ſicut ait Apoſtolus, Qui talia agunt, regnum Dei non conſequenter. Ideo nos admonet in alio loco, dicens, Nihil per contentiones, aut inanem gloriam;

Cauſſæ cuſtodiendarũ veſtium.

Perfectionis eſt, veſtium curam negligere.

1. Tim. 6.

Gal. 5.

Contra murmurationem, & contentionem.

1. Cor. 5.

Gal. 5.

Philip. 2.

gloriam; ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Non ea quæ ſua ſunt ſinguli cogitantes, ſed ea quæ ſunt alterius. Plurimum enim valent hæc duo ad remouendas lites, & generandam concordiam; cum quis ſe inferiorem omnibus iudicat, & ea, quæ ſunt alterius, magis quam ſua propria, penſat. In his enim duobus humilitas, & charitas commendatur: quæ non ſolum, non diſcordare ſolent, ſed etiam diſcordantes ad concordiam reducere. Et quia hæc, quæ dicta ſunt, ad perfectiores pertinent; propter minus perfectos, temperat ſententiam, cum ſubiungit. *Tamen, ſi veſtra toleratur infirmitas*, vſque, *habete quod ponitis*. Vt videlicet, dum in communi loco reponitur, hoc ipſum quod in proprium vſum ſuſcipitur, non proprium eſſe, ſed commune credamus.

VMBERTVS.

VESTES *veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint, ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur.* Hoc eſt quartum capitulum Regulæ, in quo agitur de his, quæ pertinent ad Religioſos, quatenus ſunt in ſtatu neceſsitatum multarum. Primo autem tradit mandata, circa huiuſmodi neceſsitates. Secundo, circa officiales, qui circa hæc ſunt neceſſarij, ibi, *ſiue autem qui cellario, ſiue qui veſtibus præponuntur*. Licet autem ſint variæ neceſsitates Religioſorum, tamen duæ ſunt maiores, & circa quas ſolent fieri frequentius defectus; ſcilicet indigentia veſtium, & infirmitas. Et ideo circa hæc ſpecialiter, tradit mandatum. Circa ſecundum, ibi, *lauacrum etiam corpori*. Circa primum hic. Et notandum, quod interdum peccatur in Religione, in negligentia cuſtodiendi veſtes. Et ideo tradit mandatum circa cuſtodiam veſtiũ, dicens, *Veſtes veſtras &c.* interdum circa carentiam, & ideo tradit mandatum circa prouiſionem dicens, *& ſicut paſcimini*. quandoque circa diſtributionem, & ideo tradit mandatum circa hoc, dicens, *ſi fieri poteſt &cet.* quandoque circa operationem. Et ideo tradit circa hoc mandatum, dicens, *tamen ſi veſtra toleratur infirmitas &c.* quandoq; circa receptionem veſtium collatarum; & ideo tradit mandatũ circa hoc, dicens, *conſequens eſt &c.* quãdoq; circa lotionẽ, & ideo tradit mandatum circa hoc, dicens. *indumenta veſtra &c.* Circa primum attendendum eſt, quod aliqui, licet cuſtodiant veſtes à lacerationibus, & igne, & huiuſmodi magnis læſionibus, tamen non à

Quartum Cap. Regulæ. *CAP. CVII.*

Vitia in aſſeruandis veſtibus.

modicis, ſicut eſt à corroſione vermium, & ſimilibus. Alij vero ita ſunt ſoliciti cuſtodire veſtes ſuas, vt reponant eas in arcis ſuis, & non in loco communi. Aliquando vero, cum ponuntur in loco communi, ſunt ibi tot veſtes, & tam pauci cuſtodes communes, vt non ſufficiant. Et ideo in iſto mandato, quod eſt circa cuſtodiam veſtium, tria dicuntur contra iſta tria. Contra primum, *ne à tinea lædantur*. contra ſecundum, *in vnum habeatis*. contra tertium, *ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poßint*.

CAP. CVIII. Pro diligenti rerum Monaſterij cuſtodia.

Eſt autem argumentum ex hoc manifeſtum, quod res communes Monaſterij, ſiue ad veſtitum, ſiue ad victum, ſiue ad alia quæcunque pertinentes, ſunt cum magna diligentia conſeruandæ, quantumcunque ſint modicæ. Hinc eſt, quod ſicut ſupra dictum eſt, legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater in ſua hebdomada lauaret legumina, & tria grana lentis, per negligentiam cecidiſſent in terram, collapſa de manu eius; quidam alius pertranſiens, & videns, hoc denunciauit Abbati. qui vero indicatus eſt, quaſi ſacri peculij neglector, ſuſpenſus eſt ab oratione, nec aliter admiſſus, niſi eum prius publica pænitentia diluiſſet. Hinc eſt etiam quod dicit Dominus, Ioannis. 6. Colligite fragmenta, ne pereant. Hinc eſt iterum, quod diues Euangelicus, propter micas menſæ ſuæ, malè cuſtoditas, cum canes illas comederent, & Lazarus non poſſet ex eis habere, punitus eſt in inferno, gutta aquæ illi negata. Gregor. Guttam petijt, qui micam negauit. Porro multiplex eſt ratio, quare à Religioſis, & maxime cum ſint pauperes, huiuſmodi, licet modica, diligenter ſeruanda ſint. Si enim diuites ſeculi huius res ſuas malè cuſtodiunt, non oportet inde eos & alios grauari, quærendo, cum adhuc abundent. pauperes vero Religioſi, his perditis, quærere debent ab alijs, & quantò plus quærunt, tantò plus & ſe, & alios grauant. Paulus, ne alios grauaret, laborabat manibus ſuis, vt dicitur 1. Theſſa. 4. Quanto igitur magis, elaborata ab alijs, debẽt cuſtodiri, ne iterum homines grauentur? Item, apud ſeculares frequenter veteres veſtes, & reſidua bonorum aliorum, malè expenduntur: apud Religioſos vero, expenduntur in pauperes. Si ergo ſecundum verbum Apoſtoli operandum eſt manibus proprijs, vt habeat quis vnde tribuat neceſsitatem patientibus, Epheſ. 4. quantò magis iſti debent ſeruare diligenter, quæ ſunt futura pauperum? Item, frequenter ea quæ habent Religioſi, ſunt neceſſaria pauperibus, quæ, ſibi illi ſubtrahendo, Monaſterijs largiuntur. qua ergo conſcientia, poſſunt hæc negligenter cuſtodiri à

Exemplum.

Luc. 16.

ſeruis Dei, quæ, propter eos, vitæ ſuæ pauperes ſubtraxerunt? Quale ſcelus fuiſſet, ſi Helias panem paruulum, quem dedit pauper vidua, de ſuæ vitę neceſsitate, perire permiſiſſet? Non ſic fecit, ſed ipſe, & ipſa, & domus eius comedit, &, meritis eius, diuina virtute, in viduæ vſus farinula, & lecythus olei non defecerunt. 3. Reg. 17. Item, huiuſmodi quæ dantur Religioſis pauperibus, dantur pro peccatis, & ideo ſunt precium animarum. quale autem eſt, rem, quæ eſt animarum precium, non curare qualiter tractetur? 2. Reg. 23. dicitur de Dauid, quod noluit bibere periculum animarum, de aqua ciſternæ Bethleem ſibi allata: quanto magis cauendum eſt Dei ſeruis, ne precium animarum inutilius pereat apud eos? Item, ſicut perſonæ Religioſæ ſunt Domino conſecratæ, ita & bona, quæ eis dantur, Domino conſecrantur. res autem ſacræ ſolent diligentius cuſtodiri. Ideo dicitur in libro collationum, de antiquis patribus: Omnia quę ſua ſunt, credunt Domino conſecrata. Propter quod, ſi quid fuerit in Monaſterium illatum, vt ſacramentum, cum omni decernunt reuerentia debere tractari. Certum autem eſt, quod illud quod ſic tractatur, diligenter cuſtoditur. Item, ſunt quidam domini, qui non exigunt diſtrictam rationem à ſuis miniſtris bonorum, manibus eorum commiſſorum. Et ideo miniſtri eorum ſolent negligentius bona eorum cuſtodire. Dominus autem, non eſt talis: immo adeo requirit rationẽ diſtrictam, vt ponat in carcere miniſtros ſuos, donec reddant nouiſsimum minutum, ſicut dicitur, Lucæ 12. Cum ergo Religioſi ſint non domini, ſed miniſtri bonorum eius: quanta ſolicitudine debent illa cuſtodire, de quibus exigetur ratio tam diſtricta? Attendant ergo Religioſi pauperes, quod ea quæ habet Monaſterium, data ſunt eis tanquam pauperibus, &, quod eis ſuperfluit, eſt in pauperes expendendum. Ipſi quoque, qui largiuntur, interdum ſunt pauperes, & ipſis oblata, ſunt animarum precium. Sunt etiam ipſa Deo conſecrata, & quod de eis oportebit diſtrictam reddere rationem. Et ne pereant, aut inutiliter conſumantur, vel ex aliqua negligentia deteriora fiant, vel ne lædantur, diligenter ea cuſtodiant.

Diſtricta ratio pro rebus Monaſterij reddenda.

CAP. CIX.

Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic & induamini ex vno veſtiario. Hoc eſt mandatum quod traditur circa veſtium prouiſionem. Et tanguntur hic tria. ſcilicet ſubſtantia mandati, cum dicitur, *induamini.* modus implendi, cum dicitur *ex vno veſtiario.* ratio mandati, à ſimili deducta, cum dicitur, *ſicut paſcimini, ex vno cellario.* Circa primum, notandum, quod multa mala ſolent ſequi ex negligentia prouidendi competenter Religioſis in veſtibus. Sequuntur enim

Pro cura veſtium Religioſorum.

 ex

ex hoc infirmitates corporum, quæ facile ex frigore contrahuntur, quas & interdum mors ſequitur. Hinc eſt, quod ille ſummus Abbas, poſtquā primi parentes facti ſunt paſsibiles & mortales, fecit eis, ſicut dicitur, Gen. 3. tunicas pelliceas, quę valent contra frigus. relinquens in hoc exemplum alijs Abbatibus, vt ſuis ſubditis, competenter prouideant in veſtibus, contra morbos, & mortes. Item, vitia animorum, ſcilicet contentiones, & murmura: cum conqueritur aliquis ſe deterius accepiſſe, quam prius habuerat, & indignum ſe eſſe, quod non ita veſtiatur, ſicut alius frater veſtiebatur, ſicut dicit, infra Auguſtinus. Item, contemptus apud imperitos, qui videntes pauperem in ſordido habitu, non honorant eum, ſicut veſtitum decenter: ſed contemnentes, dicunt ei, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum, ſicut dicitur, Iacob. 2. Et ex hoc conſurgit, quod minus decenter veſtiti, apud homines mundi non habentes acceſſum, non poſſunt apud eos proficere; ſicut expedit eorum ſaluti. Item, honor Religionis. Honorant enim multi veſtimentum, vel ſpeciem. Et ideo hoc videntes in Religioſis, fugiunt eorum Religionem. qui propter hoc poteſt dicere illud, Pſal. Qui viderunt me, foras fugerūt à me. Item infamatio eiuſdem. Exemplum. Cum diceret quidam coram quodam Philoſopho de duobus, quorum vnus erat pauper, alter diues, quod eſſent amici. Dixit philoſophus. Cum vnus ergo pauper ſit, alter diues, amicus non eſt, qui fortunæ particeps non eſt. Item, poſſunt dicere multi, videntes iſtum beneveſtitum, alterū male, quę eſt ita fraternitas, quę eſt apud iſtos, qui ſic diſsimiliter ſunt veſtiti? Item, charitas ſic male prouidentium in veſtibus, ſuis ſubditis ſuperatur à natura, cui ſumma cura eſt beneveſtiendi omnia, quæ ſunt ſub cura ſua. Non ſolum enim greſsibilibus dedit pedes, & volatilibus plumas, & natatilibus coria, ſed etiam terræ naſcentibus pulchrum colorem. Ideo Dominus, Matth. 6. docet hoc conſiderare, dicens, Conſiderate lilia agri. dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Quid poteſt paterna cura ad hæc dicere, conſiderata naturæ diligentia erga ſuos? Propterea, ad prædicta mala cauenda, valde curandum eſt correctoribus Religionum, vt fratribus prouideatur in veſtibus diligenter.

Pſalm. 30.
Exemplum.

CAP. CX.
Aliquot mali modi prouidendi fratribus circa veſtitum.

CIRCA ſecundum, notandum, quod in quibuſdam Religionibus, maxime poſſeſsiones habentibus, prouidetur fratribus hoc modo; videlicet vt, detur cuilibet certa ſumma pecuniæ, quolibet anno, ex qua prouidet ſibi in veſtibus, ſicut vult. Sed hoc eſt ex

expreſſe contra Regulam, quæ dicit ſupra. *diſtribuatur victus & tegumentum, vel veſtimentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.* Per huiuſmodi autem pecuniam, æque prouidetur, magis, ac minus indigenti. Pręterea, hęc vel eſt proprietas, vel ſaltē proprietatis ſpecies manifeſta: quorū vtrumq; cauendū eſt. Item, per hoc, datur indigenti occaſio expendendi, quod pro veſtibus datur, in vſus alios, prȩter Domini voluntatem; quod furtum reputatur: & adhuc remanet eadē indigentia veſtium. Propter hoc, alij, hęc inconuenientia declinare volentes, aliter faciunt, ordinantes vt illud quod datur pro veſtibus fratri, ſiue à Prælato, ſiue ab amicis, ſiue in panno, ſiue in pecunia; ſeruetur eidem, ſub communi cuſtodia: ita tamen, vt alij nunquam detur. Sed hoc iterum eſt contra Regulam, quæ vult omnia eſſe communia. & infra dicit expreſſe de huiuſmodi, vt in locum communem redacta, cui neceſſe fuerit, præbeantur. Præterea, per hoc aufertur viris ſanctis illa confidentia de Deo, quæ dicit eis nō eſſe cogitandum de craſtino; cum ipſis per hoc prouideatur per annum, vel certe per magnum tempus de veſtibus, per huiuſmodi ordinationē; contra illud, Matth. 7. Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis. Item, hoc non caret ſpecie proprietatis. æque enim proprietarius eſt ille, qui curat ſibi aliquid ab alio illicite ſeruari, ſicut ille, qui ſeruàt apud ſe. Propter hoc, alij reprobantes hos modos, tenent alium modum, præcipue in pauperibus Religionibus, dantes licentiam ſingulis, vt ſibi prouideant, tempore neceſsitatis, quærendo ab amicis, vel familiaribus. Sed hoc videtur iterum reprobandum; quia ſequitur ex hoc multa inæqualitas, cum videlicet vnus habet à quo requirat: alter non. Vnus cum facilitate multa poteſt adquirere; alter non ſine multa difficultate. Vnus inuenit, qui dat ei bonas veſtes; alter nō niſi viles. Si autem apud ſeculares tantum curatur æqualitas, vt abundantia diuitum debeat ſupplere indigentias pauperum, ſecundum Apoſtolum. 2. Corint. 8. vt fiat æqualitas; quanto magis viris eiuſdem profeſsionis? Pręterea, ex huiuſmodi ordinatione, coguntur homines reſumere curā ſui, quā depoſuerāt, contra illud Bernardi, Qui nobis ſemel curam veſtri cōmiſiſtis, quid iterum de vobis, vos intromittitis. Item, ex tali ordinatione, minuitur meritū charitatis, quæ, communia magis curans, magis etiam proficit. Sicut dicitur infra, *his autem relictis, pertinentibus ad commune, propriis intenditur.* Propterea, iſtis tribus modis reprobatis, ordinandum eſt apud pàuperes, vt ita quęratur, quidquid quæritur pro veſtibus, vt etiā in cōmuni ponatur, qudiquid datur, quidquid habetur pro veſtib⁹: & ex vno veſtiario prouideatur omnibus, ſicut dicit vir ſanctus. Nec eſt diffidendū, quin

Pecunia nō danda pro veſtibus.

Bonus modus prouidendi fratribus circa veſtium.

quin, bonis viris, modum iſtum magis ſanctum ſeruantibus, prouideat ille, qui quærentibus iuſtitiam promittit, Matth. 6. non ſolũ victum, ſed etiam veſtitum. Circa tertium, notandum, quod victus, & veſtitus habent ſimile aliquid; quia vtrumque eſt neceſsitatis humanæ. Propter quod Paulus coniungit ea, dicens. 1. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et eadem de cauſa, Dominus iniungit eadē in Euangelio, dicens, Matth. 7. Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis; neque corpori veſtro, quid induamini. Et ideo bene adducit Auguſtinus vnum, ad probandum alterum, dicens, *ſicut paſcimini ex vno &c.*

CAP. CXI. Pro communi menſa & cibo communi.

Verum, cum probans debeat eſſe certius probato, relinquitur ex hoc, pro certo, quod magis eſt ſeruanda communitas in victu, quam in veſtitu: cum Auguſtin. hanc oſtendat per illam. Quam reprehenſibile eſt ergo in Religione, vt aliqui procurent ſibi ſingulares comeſtiones in ferculis, & vinis, & huiuſmodi, in hoſpitijs, et infirmorum loco, quæ communiter non habentur: per quod fit, vt prouiſio conuentus negligatur. Exemplum. Fuit quædam Abbatia, in qua, ex conſuetudine, reſeruabatur quoddam bonum vinum pro conuentu, vſque ad tempus quo ſolebant vina corrumpi. Semel autem, appropinquante tempore illo, venit cellarius, & alij officiales ad Abbatem, qui vir ſanctus reputabatur, & dicunt ei, Domine Abba, ſumus valde grauati debitis, nec videmus, vnde poſsimus ſoluere, niſi vendamus vinum iſtud. Quod audiens Abbas, & compatiens conuentui, dixit eis. Obſecro, videte diligenter an habeamus lanam, vel caſeos, vel frumentum, vel aliquid aliud quod poſsit vendi: quia nimis graue erit conuentui (qui multum ſuſtinet laboris) recreationem, quam ſolent habere ex hoc vino, detrahere. at illi dixerunt. ſatis deliberauimus, & cogitauimus ſuper hoc, ſed non inuenimus aliud conſilium. Tunc Abbas dixit. Venite cras ad Capitulum, & ſtatuemus de hoc aliquod. ipſis ergo, & alijs præſentibus, dicit Abbas conuentui neceſsitatem, quam habebant vendendi vinum illud. Et inducens eos ad patientiam multis modis, inter alia, ſubiunxit. Rogo vos, patienter ferte; promitto enim vobis bona fide, per totum hoc tempus, me non bibiturum aliud vinum, niſi quod vos bibetis, & præcipio in virtute obedientiæ cellario, & omnibus alijs officialibus, vt nullus in domo, vel extra, bibat niſi quod bibit conuentus. Soluto ergo Capitulo, cum aliquot dies bibiſſent cellarius, & alij officiales malum vinum conuentus, inceperunt inter ſe conferre, an poſſent aliud inuenire, vnde debita ſoluerentur. Et inuenientes, regreſsi ad Abbatem dixerunt, Domine Abba, inue-

Cōmunis menſa negligitur, poſitis priuatis.

Exemplum.

inuenimus tale, & tale conſilium, per quod poſſumus ſoluere debita, ſine venditióne vini illius. Quod audiens Abbas, dixit, Deo gratias. bonum eſt conſilium, fiat ita. Quis autem ex his dubitet quin propterea negligatur prouiſio conuentus, quia maiores, habentes ſuas recreationes ſingulares, extra conuentum, exemplo Domini nõ mouentur, vt ſint ſoliciti de turba conuentus, quid comedat, vel bibat? *Mar. 8.*
Item, per hoc, non ſolum negligitur conuentus, imò, quod peius eſt, ſubtrahitur ei quod ſuum erat futurum. Frequenter enim perſonæ deuotæ, quæ huiuſmodi ſingularia conferunt perſonis ſingularibus, cõferrent hæc, vel alia communitati. Sed, vt dicitur, non ſufficit communi molendino aqua, quæ eſt ad proprium iam commodũ deriuata. Et ſic perit Charitas, quæ omnia proprijs anteponit. Item. refectorium relinquitur, ſicut domus deſerta, quæ eſt maledictio prædicta à Domino ſuper Iudæos. *Matth. 23.* propter huiuſmodi enim ſingularitates, & bonas refectiones, quas habent extra refectorium, fugiunt refectorij duritiem, & vitæ communis propterea viri ſancti. amatores Religionis, dant operam omnẽ, vt etiam melius habeatur in refectorio, quam extra. vt per hoc attrahantur omnes, etiam imperfecti, ad ſequendam vitam communem; quia hoc ſine dubio, plus inducit multos ad hoc, quã poſsint inducere admonitiones, vel mandata quæcunq;. Exemplũ. *Exemplum.* Dicitur cuidã nobili Abbatiæ quidã diues reliquiſſe quandam optimam vineam, hoc pacto, vt de vino illius nõ poſſet aliquis bibere, extra refectorium. Singulis autem annis, cũ vinum iſtud bibebatur in refectorio; illi, qui frequenter toto anno erant extra refectoriũ, tunc temporis veniebant ad refectorium, ſiue ſenes, ſiue debiles, ſiue etiam contracti. Sic nimirum volatilia, & animalia cuncta, libentius ad bona paſcua congregantur, ſicut tangitur Apocalip. 19. Item, per hoc, in loco communitatis, magna inæqualitas conſurgit. cum alius eſurit, alius ebrius eſt. cuius contrarium, faciendum oſtedit Dominus in deſerto; cũ manna de cœlo veniens, æqualiter dedit minoribus, & maioribus. 1. Cor. 10. Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt: ſcilicet manna. tam Moyſes, & alij maiores; quam alij minores. Item, ex hoc ſcandalizantur infirmi, cum ſcilicet vident maiores, & qui deberent, dando exemplum durioris vitæ, alios præcedere, ſequi magis vitam delicatam. Cõtra quod dicit Apoſt. 1. Cor. 8. Si eſca mea ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Item, ex hoc accidit, vt homines carnales, qui ſcilicet dati ſunt ventri, ſpiritualibus præponantur in domo Dei. cum iſti delicate, illi dure tranctantur. quod eſt contra iuſtitiam, cum iſti indigni ſint pane, ſecundum Auguſtinum, illi vero digni ſint angelorũ cibo,

Plus ergo debetur illis, quam iſtis. omnibus autem debita ſunt reddenda, ſecundum Apoſtolum. Rom. 13. Propter hæc igitur mala, non ſunt tolerandæ huiuſmodi ſingulares menſæ in clauſtris, ſed de vno communi cellario curandi ſunt omnes multo magis, quam de vno communi veſtiario.

Cap. CXII. *Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum, pro temporum congruentia proferatur; vtrum hoc recipiat vnusquiſq;, quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuiq;, prout cuiq; opus fuerit, non negetur.* Hic incipit tradere mandata, circa diſtributionem veſtium, circa quam ſolent accidere duo ex parte recipientium. Vnum, eſt imperfectionis, alterum, iuſtæ reprehenſionis. primũ eſt, quando quis non ſolum quærit recipere quod eſt neceſsitatis, ſed quærit varietatem, ſecundum temporum cõgruẽtiam: vel contendit recipere, quod depoſuerat, tanquã ius habens maius in illud: & circa hæc traditur hoc mandatum. Secundum eſt, cum contentiones, & murmurationes in recipiendis veſtibus oriuntur. Et circa hoc, traditur ſequens mandatum, ibi, *Si autem hinc inter vos.* Et notandũ circa primum mandatum, quod non eſt prudentis facere mandata circa illa, quæ commode ſeruari nõ poſſunt, propter infirmitatem humanam. pauci autem ſunt illius fortitudinis, & perfectæ virtutis, qui nõ habeant libenter alias veſtes in hyeme, & alias in æſtate; ſicut concedit etiam B. Benedictus in ſua Regula monachis. Et pauci ſunt etiam, qui non refugiant alienas veſtes, propter alienas immunditias, quas magis abominatur natura, quam proprias. ideo nõ dicit ſimpliciter in iſto mandato, *ad vos pertineat*, ſed præmittit, *ſi fieri poteſt*: quaſi dicat, ſi humana fragilitas hoc permittit, *ad vos non pertineat*; id eſt, ita vos habeatis, quaſi ad vos non pertineret, *quod vobis &c.* quaſi dicat, Non ſit vobis curæ de his; dummodo, quod opus eſt, vobis cõferatur.

Cap. CXIII. Perfectionis eſt quærere deteriores veſtes. Hoc autem eſt perfectorum, qui in domo Dei, non ſolum non curant hæc, immo etiam quandoq; abiectiores veſtes affectant. Ipſorum enim eſt nihil ſuperfluum quærere, ſed ſolum neceſſarijs, & minus, quam neceſſarijs eſſe contẽtos. Et ideo dicitur. 1. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Item, ipſorũ eſt, non ſolum patienter ferre paupertatem, ſed & ipſam amare. Propter quod, dicuntur pauperes ſpiritu, id eſt animo; qui dicuntur ab amore. & ideo diligunt veſtiũ paupertatem. Ipſorũ etiam eſt, propter humilitatis, quam habent, perfectionem, non quærere honorem in domo Dei, ſed abiectionem. Pſal. Elegi abiectus eſſe in domo Dei. Huiuſmodi autẽ abiectio, maxime conſiſtit in veſtium humilitate. Item, ipſorum eſt, propter mala, quæ in ſe ſentiunt, indignos ſe reputare (Pſalm. 83.)

victu,

victu,& veſtitu, exemplo Iacob,qui dicit Domino,Gen. 32. Minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Et ideo,cum gratiarum actione, recipiunt, quantumcunq; modicum ſit,quod eis confertur.Item ipſorum eſt,eſſe,quaſi continue,in luctu in mundo iſto,iuxta illud quod dictum eſt eis à Domino. Plorabitis & flebitis vos. Et ideo libenter habent veſtes pauperes; quia luctui ſunt aptæ,exemplo Heſter de qua dicitur, Heſter. 14. Fletibus, & luctui, veſtimenta apta ſuſcepit. Item, Chriſtus,ab initio ingreſſus ſui in mundũ, pannis vilibus fuit indutus.Et B Martinus diabolo ſibi apparrenti,habitu purpureo & ſimulanti ſe Chriſtum eſſe,dixit,Chriſtum purpuratum nō noui.Propter hoc,ipſi,reſpicientes ad exemplar ſuum,& nolentes eſſe maiores Domino ſuo, ſecundum verbum illius, pauperes veſtes diligunt, & abiectas.Item,primus ſanctus noui teſtamenti, ſcilicet S. Ioannes Baptiſta, fuit indutus vilibus,quia de pilis camelorũ. ſimiliter & vltimi, ſcilicet Enoch, & Helias erunt induti vilibus, nimirum ſaccis: ſicut dicitur Apocal. 10. Vt ergo medium non exeat ab extremis,& ſint rectæ ſemitæ Dei noſtri,decet,vt viri ſancti,& perfecti,mediocriter ſimiliter ſint induti. Licet ergo patres Monaſteriorũ debeant habere curam diligentem prouidendi fratribus competenter in veſtitu; tamen ad perfectum ſubditum pertinet,magis abiectas veſtes diligere,quam nimiam curam earum habere pro ſe.

Ioan: 16. *Exemplum.* *Matth. 3.*

CAP. CXIIII.

SI autem hinc inter vos contentiones, & murmurationes oriuntur; cum conqueritur aliquis,ſe deterius accepiſſe,quam prius habuerat,& indignum ſe eſſe, quod non ita veſtiatur, ſicut alius frater veſtiebatur: hinc vos probate,quantum vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis,qui pro habitu corporis litigatis. Hoc eſt ſecundum mandatum,quod pertinet ad reprehenſibilē,circa veſtitum, diſtributionem. Et nota primo, quod contentiones, & murmura differunt;quia murmur, frequenter,eſt circa maiores:cōtentio vero, poteſt eſſe & inter maiores, & pares,& minores.Item murmur poteſt eſſe contra abſentem: contentio vero,ſolum cum præſente. Item,murmur inducit contentionem,quaſi ſit eius origo; contentio vero,eſt effectus. Item,nota ſecũdo,quod duæ ſolent eſſe cauſæ huiuſmodi vitiorum,ratione veſtium. Vna, qādo deterius prouidetur eidem, vno tempore,quam alio. Alia, cum deterius prouidetur vni, quam alij.quæ duo notantur cum dicitur,*cum conqueritur aliquis &c.*&,cum iterum dicit,*Et indignum ſe eſſe.* Item, notandum tertio,quod huiuſmodi vitia non prohibet, quia ſufficit ea eſſe lege Dei prohibita: ſed mandat, vt per hæc, cum oriuntur, veniat quis ad ſuam intrinſecam cognitionem, dicens. *Hinc vos probate, &c.* Circa primũ,dimiſſo vitio contentionis, quod

Quid contentio, quid murmur. *Duæ occaſiones murmurandi pro veſtibus.*

pertinet ad litem, de qua dicetur infra, vbi dicitur, *lites autem nullas habeatis*, dicendum eſt aliquid de vitio murmuris, quod facile ſolet oriri in clauſtris, contra facta, & dicta maiorum.

Contra vitium murmurationis.

Ad huius igitur deteſtationem, ſciendum eſt, quod iſtud vitium ſpecialiter reputatur eſſe contra Deum. Cum enim omnis poteſtas ſit à Deo; ſicut qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, ſecundum Apoſtolum, Rom. 13. ita qui murmurat contra eam, contra Deum dicitur murmurare. Gregor. Qui contra ſuperpoſitam ſibi poteſtatem murmurat, liquet quod eum redarguit, qui eandem poteſtatem homini dedit. Et ideo dicunt Moyſes, & Aaron, Exod. 17. Non eſt murmur veſtrum contra nos, ſed contra Dominum. Item, hoc peccatum filios Iſrael, tranſeuntes per deſertum, excluſit à terra promiſsionis; licet eis promiſſa ſæpius eſſet. Num. 14. Omnes qui murmuraſtis contra me, non intrabitis in terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem. Sic etiam nūc excludit à regno cœlorum. Gregor. Regnum cœlorū nullus, qui murmurat, accipit. Item, hoc eſt peccatum, quod non ſolum in futuro, ſed etiam in præſenti De⁹ horribiliter punit. Propter hoc enim, Maria ſoror Moyſi percuſſa eſt lepra. Num. 12. Propter hoc ignis diuinitus accenſus deuorauit extremam partem caſtrorū. Num. 11. Propter hoc, Dathan, & Abirō abſorpti ſunt à terra viuentes. Num. 16. Propter hoc, ignis egreſſus à Domino combuſsit ducentos & quinquaginta viros. ibidē. Propter hoc miſit Dominus ſerpentes ignitos in populum, qui eos ſubito occidebant. Num. 21. Item, adulatio, mendacium, & multa ſimilia, nō ſeſe adeo diffundunt: murmur autem valde ſui diffuſiuum eſt. quia ſicut ſue grunniente, alij idem incipiunt; ita murmur vnius, facile facit alios murmurare. Ideo dicitur, Num. 14. de illis, qui regreſsi de terra promiſsionis, detraxerūt; quod murmurātes reuerſi, murmurare fecerunt, contra Moyſen, omnem multitudinem. Item dicitur, quod cum quidam, volens ingredi Religionem, quæreret à quodam viro ſancto, quid eſſet ſibi faciendum, dixit ei; Tu, & aſinus vnū eſtote. Aſinus enim, quando non habet quid comedat, vel quando ei imponitur hoc vel illud onus, nihil reclamat, vel murmurat: ita & Religioſus debet facere. Pſal. Iumentum factus ſum apud te. per murmur ergo ponitur Religioſus, extra ſtatum ſuum. Ideo dixit Abbas Paſtor. in vitis patrum. Qui querェloſus eſt, monachus non eſt. Ex quo patet, quod murmur facit de monacho, non monachum. Item, patet ex ſcriptura, quod hoc fuit proprium vitiū Iudæorum in deſerto, in quo grauiter, & frequenter offenderunt Deum, ſcilicet murmurando cōtra Moyſen, & Aaron. Hoc ergo vitium in deſerto Religionis, illos, qui

Exemplum.

Religioſi conditio neceſſaria, plane adquieſcere.

Pſalm. 72.

i

qui deberent eſſe perfectiſsimi Chriſtiani, transfert ad ſtatum infidelium Iudæorum. Patet ex his, quam deteſtabile ſit vitium murmuris in clauſtralibus: cum hæc ſit ſpecialis Dei offenſa, à qua ſumme debent illi cauere: excluſio à regno, ad quod ſumme deberent ſuſpirare: Occaſio grauis, & ſubitæ vindictæ, quam etiam omnes debent valde timere: corruptio ſociorum, quæ valde eſt periculoſa in congregatione: mutatio ſtatus Religioſi in ſtatum alium, quod eſt valde horribile: imitatio Iudæorum, qui ſunt à Domino reprobati, quod eſt miræ inſipientiæ. Ideo dicit Bernardus. Nihil ſic horrendum, vt murmur in congregatione.

Circa ſecundum, notandum, quod Dominus melius facit alicui creaturæ ſuæ tempore vno, quam alio, & in eadem ſpecie, melius interdum vni eiuſdem ſpeciei, quam alij. Item, natura, quandoque plura producit, vno tempore, quam alio. & in rebus eiuſdem generis, plus interdum confert vni, quam alij. Vna enim arbor plures habet fructus, vno anno, quam alio interdum; & plures vna quam alia eiuſdem generis; & ſic de alijs. Item, domini huius mundi ſic etiam faciunt ſuis. Interdum enim tempore caritatis annonæ, parcius prouident, quam tempore abundantiæ, & etiam parcius alijs, quam alijs. Quanta ergo abuſio eſt, vt Religioſus requirat, vt ita fiat ſibi ſemper, ſicut aliquando ſibi factum eſt: vel ſicut fit alij; &, niſi hoc fiat, murmuret & contendat, cum nec Deus, nec natura, nec homines mundi hoc faciant illis quibus debent prouidere? Nunquid non licet patrifamilias interdũ facere quod vult? Vbi eſt apud iſtos illa vita Apoſtolica, vt ſciant abundare, & penuriam pati pro tempore? Nunquid eſt contra viſcera pietatis, vt mater oſtendat interdum plus dilectionis vni filiorũ, quã alij? & eidem vno tempore plus quam alio, cauſis varijs emergentibus? Non eſt ergo rationabile, vt contendat aliquis, vel murmuret, ſi deterius accipit interdum vno tempore, quam alio: vel deterius, quã alius; ſed eſt defectus virtutis: ad quod cognoſcendum inducit vir ſanctus, cum dicit, *hinc vos probate*.

Religioſus veſtitus patitur inæqualitat.

Matth. 20.

Philip. 4.

Circa hoc nota, quod eſt quartum notandum: quod ſunt aliqui, qui magis curant exteriora, quam interiora, & maiorem interdum dant operam ſcire defectum ſolis & lunæ, quam cognoſcere defectus animarum ſuarum. Auguſtinus. Per ipſam ſuperbiam, recedentes à te, à tanto lumine tuo deficientes; defectus ſolis multo tempore ante præuident, & defectum ſuum, in præſenti poſitum, non vident. Non autem ſic faciunt viri ſancti, ſed cura eſt eis multa cognoſcendi defectus ſuos. Vnde rogat Dauid, dicens, vt ſciam quid deſit

Cap. cxv. Pro cura rerũ interiorum, & conſcientiæ.

Pſalm. 38.

ſit mihi. Et hoc eſt vtile valde. Pater enim familias, cum neſcit quid deſit in domo ſua, ſiue vinum, ſiue frumentum, de ijs rebus, non cogitat: cum autē ſcit, eſt ſolicitus in ijs procurandis. Porro, intrinſeca hominis perpenduntur per extrinſeca. Hæc enim ſunt, quæ indicant hominem. Murmur ergo, & contentio exterior indicant vacuitatem intrinſecam: ſicut ſonitus dolij. Item, defectum vnctionis internæ, ſicut rota carri murmurantis. Propter quod dicitur contra de martyribus. Non murmur reſonat, non querimonia. Et hoc quia fuerunt pleni gratia, & vncti ſpiritu ſancto. Huiuſmodi vero gratiæ ſpirituales, quæ, late loquendo, quęcunque ſint, vocantur virtutes, dicuntur habitus interior animæ, triplici de cauſa. Cooperiunt enim turpitudinē peccatorum, ſicut veſtis operit verecunda hominis. Pſal. Et quorum tecta ſunt peccata: ſcilicet per virtutes infuſas, cum remiſsione peccatorum. Item, ornant, ſicut veſtis. Gregor. Ornamenta cælorum, ſunt virtutes prædicantium. Item, calefaciunt, ſicut veſtis, Iob. 32. Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerint auſtro. Murmurans ergo & contendens de habitu corporis, poteſt ex hoc perpendere defectum interioris habitus ſe habere: quia nunquam ſic murmuraret, niſi defectum interioris virtutis haberet. Dicitur, Eſaiæ 53. de Chriſto, propter patientiam eius, quod ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcit, & non aperit os ſuum: cum videlicet, auferentes ei veſtes, ſpoliauerunt eum. Cuiusmodi ergo patientiam habent, qui, non ex eo, quod auferuntur, ſed ex eo, quod non ſibi pro ſua voluntate dantur, murmurant. Ipſe Domine voluit adeo ſuos deponere curam carnis, vt noluerit eos eſſe ſolicitos, etiam de veſtibus, Matt. 6. Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis? Quomodo, obſecro, carent huiuſmodi ſolicitudine, qui non cauent pro veſtibus murmurare? Item, ſanctus Bernardus. Verus humilis, non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari. Quomodo ergo habent veram humilitatē, qui veſtiū humilitatem refugiunt; & pro bonis veſtibus cōtendunt? Et hoc idem patet in multis alijs virtutibus. Conſtat igitur quod murmur prædictum, indicium eſt manifeſtum defectus virtutum. Et ideo bene dicit, *hinc vos probate*: ideſt ex tali murmure. *quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis.* ideſt in virtutibus intrinſecis; *qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod poſueratis, in vno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus, habete quod ponitis: ita ſane, vt nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnū fiant, maiori ſtudio, et frequentiori alacritate; quam ſi vobis ſinguli propria faceretis. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur;*

Habitus ſeu veſtis interior qualis.

Pſal. 31.

Cōtra murmurantes de veſtitu.

1. Cor. 13.

quid

quia communia propriis, non propria cōmunibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem, quam propria veſtra curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis: vt in omnibus, in quibus vtitur tranſitura neceſsitas ſupereminéat quæ permanet Charitas. Hic tradit mandatum circa veſtitum, & opetationem, quia enim poſſet credi, quod ſicut toleratur interdum, vt aliquis recipiat veſtes proprias, quas depoſuit, non quas alius depoſuit, ita proprium locum poſſet quis habere, in quo reponeret eas, vel curaret reponi, quod nequaquam eſt faciendum: ideo dicit, quod etſi hoc toleretur, illud tamē non eſt tolerandum; ſed vno tantum in loco, ſunt veſtes omnium reponendæ, & in communi omnia operanda. Secundo, dicit, qualiter fieri debeant huiuſmodi opera communia, ibi, *maiori ſtudio &c.* Tertio, reddit cauſam illius modi, probans illum modum auctoritate, ibi, *charitas enim*, atque etiam ratione, ibi, *& ideo &c.* Et ſic patet quod in hoc mandato tria tanguntur. ſcilicet ſubſtantia mandati. modus exequendi. & cauſa modi illius. *Pro communi veſtiario.*

Notandum autem, quod ex hoc, quod dicit, *veſtra toleratur infirmitas*, elicitur argumentum, quod infirmitas fratrum eſt toleranda, ſiue ipſi, propter infirmitatem, in aliquibus. Hinc eſt, quod Apoſtolus dicit, Rom. 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere: ſicut ſcilicet columnæ fortiores ſuſtentant alias infirmas domus partes. Hinc etiam eſt, quod dicit Bernardus, Tu, qui in congregatione viuis, bene viuis, ſi viuis ſocialiter, & poſt. ſocialiter diſcas, non ſolum patienter, ſed & libens, infirmitates aliorum portare, tam morum, quam corporum. Hinc eſt iterum, quod dicit Dominus de ſeipſo Oſeæ. 11. Ego quaſi nutricius Effraim, portabam eos in brachijs meis. Sicut enim nutrix paruulum, qui affert ei multa tædia, & onera, non proijcit ſed ſuſtinet omnia, eius amore deuicta; ita facit Dominus de nobis: & ſuo exemplo docet nos, ita de infirmis alijs faciendum. Quid poſſunt ad hæc reſpondere illi, qui fratres oneroſos, propter infirmitates, vel mores aliquos graues, non ceſſant ventilare, procurando crudeliter expulſionem eorum de domo in domum. Iſti ſunt, de quibus dicitur, Ezechiel. 34. Cornibus veſtris ventilabatis omnia pecora infirma. Iſti, qui ſic onus fratrum proijciunt, quomodo obſecro implent legem Chriſti, de qua ſcriptum eſt, Gal. 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti? Item, ſi pes vnus infirmatur, nonne alius portat eū? Si & quodcunq; mēbrū propter infirmitatē graue eſt alijs, nunquid propter hoc proijciunt eū alia membra, & non magis iuuant, & ſupportant? Si autē in membris conſtituentibus vnū corpus per naturā, hoc fit, quanto magis debet fieri in membris conſtituentibus vnum

CAP. C X VI. Fratres, etiam imperfecti tolerandi.

cor-

Exemplum. corpus per gratiam? Exemplum. Fuit Pariſijs quidã diues ciuis, qui habebat ſecum capellanũ quendã, propter Deũ. Cum autem eſſet grauis moribus omnibus domeſticis, ſemel vxor cum filijs, & tota familia conuenerunt, & rogabant dominum, vt expelleret eum de domo. Cum autem quæreret cauſam, quare hoc peterent, dixerunt, Domine adeo grauis eſt iſte homo, vt nullus eum ferre poſsit. Tunc ille dixit, ſi ita eſt, ergo, ſi expellerem eum, moreretur fame, quia nullum inueniret, qui ferret eum, & ideo volo ſuſtinere eum, ne moriatur fame. Si autem ſic fecit homo ſecularis, tolerando extraneum; quid faciendum eſt viro ſpirituali de fratre proprio? Exemplum.

Exemplum. Quidam Prouincialis Ordinis fratrum prædicatorum, vir magnę ſanctitatis, & perfectionis, quando inueniebat aliquem fratrem valde oneroſum in aliquo conuentu, & ex cauſis aliquibus expediebat eum transferri ad alium conuentum, recogitabat, ſi quos Priores haberet, qui eſſent valde ſpirituales, & charitatiui: & ad aliquem illorum mittebat eum; inſinuans, talem fratrem ſe mittere ei, cum quo multum ille poſſet lucrari, exercendo ſuam patientiã, & alias multas virtutes circa eum. Vnde tanquam ſpeciali amico mittebat talem pro magno beneficio; vt multum ſuper hoc deberet gaudere, & ei

Exemplum. gratias copioſe reddere. Item, vidi ego Priorem quendam, qui nunquam rogauit Prouincialem, vel alios maiores ſuos, pro remouendo aliquo fratre oneroſo de domo ſua, licet multos haberet tales. Immo, cum ad fratrum ſuorum inſtantiam, vellet Prouincialis aliquem fratrem talem de illo conuentu remouere, compatiens illi fratri, dedit operam vt relinqueretur: æſtimans, ſe, qui eum iam plenius nouerat, melius quoque ſcire eum portare, quam alios multos. Proinde patet, quam bonorum virorum eſt ſupportare inuicem infirmitates mutuas. quod licet fiat, tamen peccata, vel ea quæ ſunt in damnum Religionis, nunquam ſunt ſuſtinenda. Vnde Apocal. 2. dicitur in laudem angeli Epheſi. Non potes ſuſtinere malos. non dicit, oneroſos. quia etſi ſunt onera mutua ſuſtinenda, tamen mala & noxia, nunquam. Et ideo bene dicit vir ſanctus, *Si veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod poſueratis.* quod ſcilicet eſt humanæ fragilitatis: non tamen eſt tolerandũ, vt priuatim apud vnumquemque veſtes deponantur; vel ſingularitates ſibi quisq; circa hæc procuret. quia huiuſmodi ſingularitas nimis derogaret bono charitatis, in quo maxime conſiſtit Religio, & hoc eſt quod dicit, *in vnum tantum locum, &c.*

IN

IN CAP. XVI. REGVLÆ VGO.

ITA ſane, vt nullus ſibi aliquid operetur, vſque, *quam ſi vobis ſingulis faceretis propria.* Et inde Apoſtolicam ſententiam apponit, & exponit, dicens. *Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, non propria communibus anteponit.* Hæc eſt cauſa, quare nullus ſibi operetur, ſed in commune fiant, maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quam ſi eſſent propria. Hæc cauſa, inquam, quia charitas non quærit quę ſua ſunt, ſed communia proprijs anteponit. Si charitas Chriſti non quærit quæ ſua ſunt, nullus noſtrum debet operari ſibi. Et, ſi Chriſti charitas communia proprijs anteponit, ergo maiori ſtudio, & frequentiori alacritate debemus agere omnia, quaſi eſſent propria. Maior eſt enim fructus Charitatis, quam proprietatis. Nam quod oculus non vidit, nec auris audiuit, hoc præparauit Deus diligentibus ſe. *Et ideo, quanto amplius rem communem curaueritis, ſuperemineat atque permaneat charitas.* Tranſitura quippe neceſsitas vtitur temporalibus rebus, temporalibus ſtudijs, in quibus debet ſemper charitas eminere, quia nullus poteſt placere Deo ſine charitate. In cunctis ergo, quæ agimus, neceſſe eſt, vt ſemper emineat charitas. quia ipſa eſt mater virtutum: ipſa eſt radix omnium bonorum. Hæc eſt via ſublimior, qua tenditur ad cælum; de qua Paulus Apoſtolus ait. Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Multum proficit in hac charitate, qui, pro amore Dei, cuncta quæ huius mundi ſunt, deſpicit: nihil ſibi retinere appetit: quidquid habet, in commune diuidit. Vere per excelſam viam graditur, qui, calcatis terrenis, mente, & deſiderio ad cæleſtia ſubleuatur. Charitas in amore Dei conſtat, & proximi. Amor autem Dei tribus modis exprimitur, vt nihil remaneat in homine, quod non diuinæ dilectioni ſubdatur. Nā Deū præcipimur diligere ex toto corde. videlicet, vt omnes cogitationes noſtras referamus ad Deum. Ex tota mente. vt omnem rationem, qua intelligimus, & diſcernimus habeamus in ipſum. Ex tota anima. vt omnes affectiones animæ dirigamus ad Deum. In dilectione proximi duo ſeruanda ſunt, vt quod tibi non vis fieri, alijs ne feceris. &, Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ex hac gemina virtute delectionis in proximum, omnes virtutes oriuntur; quibus vtiliter aut quæ ſunt appetenda, cupimus, aut quæ vitanda ſunt, vitamus. Ex his duobus articulis congrue diiligitur proximus, dum & beneficijs fouetur,

1. Cor. 13. *1. Cor. 2.* *Charitas cōmunis curanda.* *1. Cor. 12.* *Deut. 6.* *Luc. 6.*

& nulla malitia læditur. *In omnibus ergo, quibus vtitur tranſitoria neceßitas, debet ſemper eminere charitas.* Quia quidquid agimus, aut loquimur, ad Dei charitatem debet reſpicere, aut proximi; vt in omni noſtra conuerſatione, noſtræ intentionis ſumma, verſetur ſemper in charitate. In his autem duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.

Matth. 22.

VMBERTVS.

CAP. CXVII. Ad cõmunes labores multa nos monent.

ET notandum, circa hoc, quod reperiuntur interdum aliqui Religioſi, qui ad opera communia, modo ſunt impotentes, modo negligentes, modo queruloſi, & triſtes. ad propria vero. fortes, & diligentes, & læti. hoc eſt, quod in loco communitatis, ſingularitatem inducit. ſingularitatis enim eſt, talia ſectari. Bernardus. Singularis, ad omnia ſua, eſt ſtrenuus: ad communia, piger. hoc eſt, quod ſeruos Dei præparat ad perículoſa tempora Antichriſti; de quibus dicitur. 1. Tim. 4. In nouiſsimis diebus, inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines, ſe ipſos amantes. Ex huiuſmodi enim amore priuato, procedunt iſta. Hoc eſt, quod charitatem, de qua ſumme curandum eſt, deſtruit. Amor enim ſuiipſius non eſt charitatis. Gregor. Nemo proprie ad ſe charitatem habere dicitur; ſed dilectio ſemper in alterum tendit, vt charitas eſſe poſsit. Hoc eſt iterum, quod naturæ contrariatur. ipſa enim omnia producit ad vtilitatẽ cõmunem. Tullius in officijs. Præclare ſcriptum eſt à Platone, Non nobis ſolis nati ſumus. & poſt. In hoc deberemus naturam ſequi ducem, & cõmunes vtilitates in mediũ proferre. Itẽ, hoc eſt, quod moralis Senecæ ſententiæ aduerſatur. Non poteſt quiſpiam bene viuere, qui ſe intuetur; qui omnia ad ſuas vtilitates cõuertit. Alteri viuas oportet, ſi tibi vis viuere. Item, doctrinę ſanctorum repugnat. Nam dicit Gregor. in Regiſtro. Nemo noſtrum, neglecta vtilitate cõmuni, ſuo lucro proſpiciat. Et Ambroſius. Qui perfecte ſapit, neſcit ſua ſpectare commoda; ſed ad illud, quod honeſtum eſt, toto affectu intendit, quærens, non quod ſibi vtile eſt, ſed quod omnibus. Et Bernard. Dominus, communi diſciplina, communi vita, cõmunibus ſtudijs delectatur. vſquequo miſer diuerticula captas? Item, hoc eſt contra mandata Apoſtolica: immo contra mandata principum Apoſtolorum. Dicit enim Paulus ad Philip. 2. Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. 1. Pet. 4. dicitur Vnuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum, illam adminiſtrantes

ſtrantes. Item, hoc eſt quod facit à Chriſti veſtigijs deuiare. Propterea contra dicit Chryſoſt. Imitatores fieri Chriſti, eſt ad communem vtilitatem omnia negotiari, & non quæ ſunt noſtra quærere. Item, hoc eſt quod ipſum hominem reddit ſibi inutilem. Ambroſ. Nihil iudicandum vtile, niſi quod in commune proſit. Et poſt. Mihi crede, non videtur qui inutilis eſt omnibus, ſibi vtilis eſſe poſſe. Item, hoc eſt quod Religionem deſtruit. Quot enim Abbatiæ ſunt & temporaliter, & ſpiritualiter deſtructæ, quia relictis communibus bonis, vacauerunt multi ſuis proprijs commodis? Et ideo bene dicitur in Pſalm. Singularis ferus depaſtus eſt eam. ideſt, vineam Domini. quia huiuſmodi ſingularitates, Religionem deſtruunt. Propterea, ex aduerſo, dicit Tullius. Præceptum eſt Platonis, vt qui Reipub. prodeſſe volunt, ad vtilitatem ciuium ſic inſtituantur, vt quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Quia ergo tot mala ſequuntur in Religione, cum, relictis cõmunibus, ſinguli vacant proprijs; bene dicit vir ſanctus; vt omnia in vnum fiant ſtudioſius, & alacrius, quam propria: quia hoc requirit charitas, & cedit ad profectum maiorem. Si enim multum meretur charitas vni ſeruiens, quanto magis, qui ſeruit multitudini magnæ?

Propria commoda euerterunt multa Religioſorũ loca.

Pſal. 79.

In Cap. XVII. Regulæ Ugo.

Conſequens ergo eſt, *&c.* vſque, *cui neceſſe fuerit, præbeatur.* In omni enim vita nihil licet occulte recipere vel recipi, nihil proprium retinere: ſed ſi quid alicui datur, reddendum eſt Præpoſito, vt, cui neceſſe fuerit, præbeatur de proprijs. Sic extinguitur auaritia, ſic ſuperfluitas reſecatur. Sic nutritur charitas, & paupertas ſancta cuſtoditur. quia, dum non licet terrena retinere, cogitur animus cæleſtia cogitare. Sed ſunt quidam, qui grauiter conturbantur, cum ea, quæ ab alijs ſuſcipiunt, non permittuntur retinere. Amant munuſcula, delectantur in proprijs: & ſæpe ex paruis, & vilibus rebus, tanto inardeſcunt deſiderio; vt earum occaſionibus concordiam fratrum ſoleant conturbare. Quod perſuaſione diabolica fieri dubium non eſt. Callidus enim hoſtis omnium mores nouit, & qualitates, atque eorum affectus diſcernit. in eo vnumquemq; tentat, in quo ſe magis præualere cognoſcit. Nec curat vtrum ex magno, vel ex paruo decipiat; tantũ vt charitatẽ fratris corrumpere valeat. Debemus contra hoſtẽ callidũ cauti, & vigilantes

Priuata munuſcula multum nocent.

eſſe

eſſe; atque eius laqueos in omni rerum materia præcauere: & omnia terrena, quibus decipere poteſt, animi virtute calcare: vt poſsimus cantare cum Propheta. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Sed quia quidam in hoc capiuntur; ideo ſubiunctum eſt, *Quod ſi aliquis, rem ſibi collatam celauerit, & cet.* vſque, *furti iudicio condemnetur.* Apoſtolus dicit, fures, & latrones regnum Dei non poſsidebunt. Furtum enim, criminale peccatum eſt, ſicut ſcriptum eſt. Non adulteraberis. non furtum facies. non falſum teſtimonium dices. &c. Quia ergo inter criminalia mala deputatur, iuxta canonum ſententiam; ſic iudicare debet quiſque de furto, quo mȯdo de adulterio, quo modo de homicidio, quo modo de falſo teſtimonio. Frater, qui rem ſibi collatam celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Eccleſia ſancta, qui fur erat, & latro, & loculos habens, & ea quæ mittebantur Domino, aſportabat, & abſcondebat. Qui tanto cupiditatis, & auaritiæ vitio exarſit, vt Dominum ſuum, ſicut diabolus in cor miſerat, venderet, & traderet. Sed appetendo lucrum, inuenit mortem, ſicut cantatur. Dum ſitit lucrum, peruenit ad laqueum. Tales ſunt fructus auaritiæ. Caueant ergo fratres, ne lucra appetant. ne quamlibet rem abſcondant. ne, dum ſuadente diabolo, tam deteſtabilem perpetrant culpam, iuſto omnipotentis Dei iudicio, mortis, & damnationis perpetuæ incurrant pænam.

Pſalm. 123.

1. Cor. 6.

Res occulte acceptæ, vt furta.

VMBERTVS.

COnſequens ergo eſt, vt, etiam cum quis filijs ſuis. aut aliqua neceſſitate ad ſe pertinentibus, in monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum; non occulte accipiatur. ſed ſit in poteſtate Præpoſiti; vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur. quod ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit: furti iudicio condemnetur. Secundum diſtinctionem ſupra poſitam, tradit hic mandatum de veſtibus ac ſimilibus dono acceptis. Et notandum, quod ſicut omnia opera, circa veſtes, debent fieri in communi, ita & veſtes collatæ debent poni in communi. Et ideo infert à ſimili, dicens, *Conſequens ergo eſt.* Et hæc eſt ratio mandati, quæ primo ponitur. ſecundo ponitur ipſum mandatum, continens tria. ſcilicet quid cauendum in accipiendo. nempe occultatio. & ideo dicit, *non occultate.* quid faciendum de acceptis: ſcilicet quia ponendum in Præpoſiti poteſtate, & ideo dicit, *ſed ſit in poteſtate Præpoſiti,* quare faciendum ſit: & ideo dicit

dicit, *vt in rem communem redactum*, Tertio ponitur pœna tranſgreſsionis huius mandati, cum dicitur, *quod ſi aliquis*. Porro vtilitas mandati conſiſtit in tribus. Vnum eſt, quidquid Religioſo alicui obuenit, vt in commune ponatur, Aliud eſt, vt poſitum in commune, non cuique, ſed cui neceſſe fuerit præbeatur. Tertium, quod celantes, quæ ſibi collata ſunt, vt fures puniendi ſunt.

Circa primum, notandum, quod illud requirit fraternitas ſpiritualis. Auguſt. Melior eſt fraternitas Chriſti, fraternitate ſanguinis. Illa enim communia inter ſe diuidit, cum æmulatione: hæc autem, ſua communicat, cum gratulatione. Item, hoc requirunt iura, quæ volunt, vt quidquid adquirit Religioſus, & ei debetur, vel alio modo quocunque obuenit ei, id totum cedat in ius communitatis. Item, natura hoc monſtrat, in quibuſdam animalibus viuentibus in commune, vt ſunt formicæ, quæ quidquid laborant in granis colligendis, totum ponunt in commune. Ita ad hoc faciendum confortat nos Chryſoſtom. dicens. Omne, quod noſtrum eſt, tunc noſtrum magis erit, ſi ſit nobis commune cum fratribus. Item, dicit Ambroſ. ſuper Lucam. Volatilibus cæli idcirco ſine labore, pabuli vſus exuberat; quod fructus ad communem eſcam, ſpeciali ſibi quodam neſciunt vendicare dominatu. Quod ſi ſic eſt de victu, eadem ratione ſimile de veſtitu: cum de vtroque illorum ſimiliter euangelium loquatur. Ex quo patet, quod ex huiuſmodi communicatione, ſequitur etiam temporalis abundantia. Item dicit Seneca. In hoc gaudeo aliquid diſcere. vt doceam; nec me res vlla delectabit, licet ſit eximia, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum. Ideo, ſi laudabilius videtur in philoſopho, rem quamcunque communicare, quam ſibi retinere, ſicut ſcientiam; quantò magis in Religioſo?

Cap. CXVIII. Quæ cuique Religioſo dantur, ſint communia.

Circa ſecundum, notandum, quod ſunt quidam, qui diſpenſando bona communia, non attendunt interdum indigentias fratrum, ſed perſonas; dum conferunt illis, qui non indigent, & indigentes relinquunt inanes. Contra illam diſpenſationem dicitur. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Iſti ſunt ſicut hortulanus, qui terram aquoſam rigat, & aridam omittit. contra vero dicitur, Eſa. 35. Et erit arida, in ſtagnum; & ſitiens, in fontes aquarum. Iſti ſunt, ſicut medicus, qui valentibus, confert medicinam; & relinquit male habentes. Contra quod dicitur, Ezech. 34. Quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum, conſolidabo. Sunt etiam iſti, ſicut ille, qui ſuper faciē poneret veſtē, qua illa nō eget, alias vero partes, quæ indigent, nudas dimitteret. Contra quod dicitur 1. Cor. 12. Quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem

Cap. CXIX. Res alicui donatæ, pro cuiuſque neceſſitate diſpenſandæ.

Luc. 1.

IN CAPVT XVIII. REG.

VGO.

INDVMENTA *veſtra, ſecundum arbitrium Præpoſiti, lauentur, à ſiue vobis, ſiue à fullonibus: ne interiores animæ, ſordes cõtrahat, mundæ veſtis nimius appetitus.* Quare veſtimenta lauari ſecundum arbitrium Præpoſiti iuſſerit; ipſe idem cauſam exponit: ne videlicet frater ſordes in animo contrahat, ſi, vltra modum, veſtes mundas habere concupiſcit. tantum enim quiſq; polluitur intus, quantum ad inanem gloriam foris mundatur. Curare ergo debent Prælati, ne, per nitorem veſtium, delinquant ſubiecti. Non enim nitor veſtium, ſed morum honeſtas ornat clericum. Vnde Apoſtolus nos admonet, dicens. Nolite cõformari huic ſeculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri. Nam qui formam huius ſeculi appetunt, formam interioris hominis non requirunt. Et quantũ exterior pulchritudo diligitur, tantũ interior minus curatur. Hæc eſt autem vera & ſpiritualis munditia, quam requirit in nobis Deus, dicens, Lauamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Non enim ait. Beati mundo corpore, ſed beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. & ne quis putaret curam carnis ſimiliter eſſe reſecandam, adiungit quæ poſt ſequuntur.

De munditia veſtiũ & corporum. Cap. 9. Munditiei exterior curanda.

Rom. 12.

Eſai. 1.

Matt. 5.

VMBERTVS.

INDVMENTA *veſtra, ſecundum arbitrium Præpoſiti, lauentur*, vſq;, *nimius appetitus*. Hoc eſt ſeptimum, & vltimum mandatum circa veſtium neceſsitatem, ſcilicet de lotione earum. De qua quidam, ſub ſpecie ſanctitatis, poſſent minus curare. ideo tradit mandatum præſens, continens tria, circa lotionem veſtium. Vnum eſt, vt lauentur, cum dicit, *Indumenta veſtra*. aliud, à quo lauentur, cum dicit, *ſiue à vobis ſiue à fullonibus*. Tertium, quando lauentur, cum dicit, *ſecundum arbitrium Præpoſiti*. & addit cauſam, dicens, *ne interiores animæ ſordes &c.*

CAP. CXXI.

CIRCA primum, nota quod non ſolum ſpiritualis, ſed etiam carnalis munditia placet Deo. Exod. 23. Ipſi lauent veſtimenta ſua; & ſint parati in diem tertium. Item homines quodammodo naturaliter horrẽt ſordes in alijs, prẹſertim cohabitãtib⁹. propter quod perſonarũ acceptores, pauperi introeũti ad ſe, in ſordido habitu, dicunt illud

Munditiei exterior, Religioſo curanda.

illud Iacob. 2. Tu ſta illic. Item ſicut nimius ſplendor in veſte, ſapit vitium; ita & ſordes. Vnde Seneca. Non ſplendeat toga, nec ſordeat. Cum ergo Religioſi, frequenter adſtare debeant coram Domino; & continue cum alijs conuerſari; & ſpirituali munditiæ inuigilare, curanda eſt illis veſtium munditia, & propter Deum, & propter ſemetipſos, ne vitium incurrant. propter quod bene dicitur eis, *Indumenta veſtra lauentur.* Sed quia ſunt aliqui, qui dedignantur hoc facere in propria perſona; addit, *ſiue à fullonibus*, condeſcendendo infirmitati eorum. A vobis vero dicit, quia potius à fratribus eſt facienda ſemper ea res, vel ſaltem frequenter. Et hoc tribus de cauſis. Primo, propter vitandum infirmorum ſcandalum. interdum enim in veſtibus, maxime quæ carni adhærent, inueniuntur immunditiæ, etiam quæ accidunt ſanctis in ſomnis: quaſi res pudendæ ſecularibus, & maxime & ſemper mulieribus. Religioſorum eſt enim, tanquam perfectorum, cauere etiam à licitis, propter ſcandalum infirmorum. Secundo, propter maius præmium. Meritum enim ſurgit ex opere proprio, non alieno. quia vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem, ſecundum Apoſtolum. Tertio, propter humilitatis exemplum. ſic S. Martinus, etiam famulo ſeruiebat. Hinc eſt etiam, quod in Religionibus approbatis, ipſimet lauant ſcutellas, pedes, capita, nec per extraneos permittũtur iſta fieri. Noui ego quẽdã, qui in ſeculo magnæ fuit auctoritatis, & vanitatis: qui, factus Religioſus, obſeruata hora, accepta aqua, ibat ad loca ſecreta, mundans defœdatas ſedes. Quid autem mirum, ſi hoc faciunt homines, Deum timentes, cum ipſe filius Dei lauerit pedes diſcipulorum? Non debent ergo aliqui dedignari in Religione, ſi imponitur eis vt lauent indumenta. Et, ſi aliquando per fullones iſta fiant, tamen per lotrices mulieres nunquam eſt faciendum.

Indumenta Religioſorum, ab ipſis potius lauanda.

1. Cor. 3.

Exemplum.

IN CAP. XIX. REGVLÆ VGO.

LAVACRVM, *etiam corpori, cum infirmitatis neceſsitas cogit, minime denegetur*, vſque, *ſuæ cupiditati non obediatur.* Hæc ſententia verbis Apoſtolicis videtur concordare, quæ carnis curam fieri prohibet in deſiderijs, non in neceſsitate. Multum enim intereſt inter neceſsitatem, & cupiditatem. Nam quod ex neceſsitate eſt, vtile eſt. quod autem ex cupiditate, vitium eſt. Sunt autem

Caro pro neceſsitate curanda.

Rom. 13.

tem

tem quidam, qui dicunt Religioni non competere corporalem medicinam. Sed ſi diligenter attenderent, ipſi recognoſcerent, quia hoc quod manducamus, & bibimus; quod veſtibus operimur, & terrenis rebus ad neceſsitatem vtimur; corporis medicina eſt. *Fiat ergo de conſilio medici, ſine murmure.* Et bene ait. nolens, in neceſsitate, cogatur; volens, ex cupiditate, reprimatur. quia neceſsitati, non cupiditati obediendum eſt. Nam aliquando etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Ecce quare homo ſuæ cupiditati obedire non debet. quia ſæpe ſic ipſe, ſua cupiditate, decipitur, vt credat id ſibi prodeſſe, quod nocet. Sic fallit homines mala cupiditas: ſic ſimulat bonum eſſe, quod malum, & pernicioſum eſt. Ecce quare adeo damnant cupiditatem ſacræ ſcripturæ, & carnalem delectationem, quia ad mortem trahunt homines, dum ipſi neſciunt. Aliquando, etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Si, iuxta Apoſtoli vocem, oportet nos abſtinere à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, quia caro quidem concupiſcit aduerſus ſpiritum. Sed per diſciplinam ſpiritus, reprimenda eſt concupiſcentia carnis. Sed ſunt quidam, qui rigorem ſpiritus; alij, qui mollitiem carnis, ſupra modum ſectantur. Illi, dum ſpiritualiter viuere appetunt, aliquando cum vitijs, & carnem extinguunt. Sed ſciendum eſt, quia virtus ſi modum non habeat, in vitium vertitur. Illi vero, qui carnaliter volunt viuere, cum curam carnis ſtudent facere, etiam propria deſideria nutriunt. Ponendus eſt vtriſque modus: & cogendi ſunt illi facere, quod faciendum eſt pro ſalute. hi vero reprimendi ſunt, ne faciant, quod carnaliter concupiſcunt. Salus quidem corporis, ad ſeruiendum Deo ſeruata eſt. Cupiditas vero carnis, extinguenda eſt. Et quia de manifeſta infirmitate locutus eſt; de latenti dolore ſubiungit. *Denique ſi latens eſt dolor*, vſque, *ſine dubitatione credatur*, Iure enim credendum eſt illi, quem boni mores, & conuerſatio ſancta famulum Dei eſſe commendant. Non enim ex ore loquentium cognoſcitur veritas aut falſitas; ſed à fructibus eorũ cognoſcetis eos, dicit Dominus. Non ſunt fallaces; non ſunt duplices; non ſunt ex illis, qui in corde, & corde locuti ſunt falſa. Famuli Dei, quales ſunt in corde, tales ſunt in ore. Bona vita, fidem dat verbis. Mala vita, etiam ipſam veritatem facit eſſe ambiguam. Sine dubitatione ergo credatur eis, qui ſine dubitatione ſunt boni. Alio modo. *Si latens eſt dolor, ſine dubitatione credatur.* Famulus enim Dei timet Deum offendere, non ſolum in opere, ſed etiam in ſermone. Tales nos exhibere debemus, vt quidquid dixerimus, ſine dubitatione credatur. Vita debet cõmendare ſermonẽ; & opera

1. Pet. 2.
Gal. 5.
Quomodò credendum fratri ſe ægrum aſſerenti.
Mat. 7.
Pſal. 11.

bona teſtimonium perhibere veritati. ſicut ſaluator noſter de ſe dicit. Si mihi non creditis, vel operibus credite. Opera, inquit, quæ facio, ipſa teſtimonium perhibent de me. Multi enim ſunt, quibus non creditur, etiamſi verum dicant. quare? quia mali ſunt, aut in ſuſpicione habentur quod mali ſint. Sed ſi vita noſtra ſine ſuſpicione ceperit eſſe bona; mox verba noſtra ſine dubitatione credentur eſſe vera. Quanto quiſque minus bonus eſt, tanto minus ei creditur. Quanto ceperit eſſe religioſior, tanto verbis eius maior fides præſtatur, & quia infirmitatis neceſsitas aliquando appetit ea, quæ ſibi ſunt contraria, ideo adiungit. *Sed tamen, vtrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat, ſi non eſt certum, medicus conſulatur.* Credendum eſt eorum verbis; nec tamen ſtatim adquieſcendum eſt eorum deſiderijs. Nam & famulos Dei illicita tentant deſideria. ergo, *ſi non eſt certum, medicus conſulatur.* Quæratur ille, qui de incerto faciat certum. Nec mirum, ſi medicorum conſilia quærimus, cum Apoſtolum Paulum, conſilio medicinæ vſum fuiſſe legamus. Nam per epiſtolam ſuam diſcipulo ſuo Timotheo præcipit, dicens, Modico vino vtere, propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates. A rigore ergo abſtinentiæ diſcretus magiſter diſcipulum temperat, ne, ſcilicet, frequentibus paſsionibus fractus, à bono prædicationis elangueſcat. Bonum quippe erat, vt diſcipulus, ex infirmitate, patientiæ fructum redderet. Sed vtilius eſſe prouidebat Apoſtolus, ſi, vſu medicinæ, aliquantulum conualeſcens, animas, Deo lucrifaceret. Ex diuerſis autem. bonis, vtiliora eligenda ſunt. Hac autem auctoritate fulti, ad hæc, medicinam corporalem quærere debemus, vt inde maiorem fructum Deo referamus.

Ioan. 10. — *Neceſſitatem tentatio ſimulat.* — *1. Tim. 5.*

VMBERTVS.

CAP. CXXII. LAVACRVM, *etiam corpori, cum infirmitas cogit, minime denegetur.* Traditis mandatis circa veſtium neceſsitatem, tradit mandatum circa neceſsitatem infirmitatum. Sunt autem quatuor, quibus interdum indigent infirmi. Vnum eſt, balneum, circa quod hic tradit mandatum, coniungens lauacrum corporis cum lauacro veſtium. Aliud eſt, medicina. Circa quod tradit ſecundum mandatum, ibi, *fiant ſine murmure.* Aliud, eſt iter facere, quod oportet interdum, propter balnea, vel alia loca, ſubire, occaſione infirmitatis. circa quod tradit mandatum, ibi, *Nec eant ad*

ad balnea. Aliud eſt, curator, qui eorum curam gerit ſolicitam. circa quod tradit quartum mandatum, ibi, *Ægrotantium curam.* Nota, quod quidam Religioſi nunquam vtuntur balneis, pro quacunque neceſsitate. Tum quia reputant hoc fœmineum. Exod. 20. de Pharaonis filia. Tum quia reputant nimis verecundum, cum non poſsit fieri ſine denudatione. pudicæ vero mentes ſic erubeſcunt huiuſmodi nuditatem, vt non ſolum coram alijs, ſed nec etiam ſoli poſsint eam ſuſtinere. Propter quod Religioſi plerique dormiunt veſtiti. Tum quia reputant hoc pœnitentiæ, poſteritati Adæ impoſitæ, contrarium. quod certe non eſt improbandum, ſed venerandum: præcipue cum Hieronymus de illuſtribus viris, in laudem magnam B. Iacobi dicat, quod nunquam balneis fuit vſus. Verum B. Auguſtinus, ſicut B. Benedictus, humanius agens, non prohibet balnea, ſed concedit; tamen cum multo temperamento, quia non propter laſciuiam, nec vt abſtergantur ſordes, ſed propter infirmitatem. Ideo dicit, *cum infirmitatis neceſsitas cogit, minime denegatur:* innuens, vt non concedatur, niſi pro ſola infirmitate; & quæ adeo ſit grauis, vt cogat. quod etiam vſque ad petitionem infirmi, vel medici differri poſsit.

Religioſi eſt raro, vel nunquam vti balneis.

Fiat ſine murmure, de conſilio medici, vſque, *medicus conſulatur.* Hoc eſt ſecundum mandatum, circa neceſsitates infirmitatum, quod tradit circa medicinalia, quod continet tria. Mandat enim vt prouideatur infirmis de medicinalibus: ſcilicet, quando ars medicinæ hoc conſulit: ideo dicit, *Fiat de conſilio medici.* Item, qualiter. ideo dicit, ſine murmure. Item, quomodo diuerſimode circa diuerſos, & hoc eſt quod dicit, *ita vt etiamſi nolit.* Nota, quod quidam Religioſi, ex magno ſanctitatis feruore, non curant vti medicinalibus; reputantes id carnalitatem; & imitari volentes B. Agatham, quæ dixit, Medicinam carnalem nunquam corpori meo exhibui. ſed non ſunt ideo reprobandi, qui vtuntur. Ezechias vſus eſt medicina. ſcilicet Eſaiæ Prophetæ. cap. 38. Item, Tobias de conſilio angeli. 10. cap. Item, Eccleſiaſt. 38. Altiſsimus creauit de terra medicinam. Sunt autem tria, quæ incitant ad ſubueniendum fratri in medicinalibus. Primum eſt, natura compaſsionis. Si vnum membrum patitur, compatiuntur ei cetera membra. Secundum, communis vtilitas, quæ impeditur durante infirmitate. Tertium, mercedis expectatio. Matth. 25. Infirmus fui, & viſitaſtis me: quanto magis gratum habet, ſi prouideatur facto ipſo? Nota, etiam, quod infirmitas, eſt occaſio humanæ fragilitati facile murmurãdi de ipſa infirmitate

CAP. CXXIII.

Medicinis interdum vtendum.

Medicinæ curandæ fratribus.

Infirmitatem ſæpe murmur, aut querela ſequitur.

mitate. &, cum ſuper infirmitatem, additur defectus remediorũ, facilius murmuratur. Et ideo boni Prælati eſt liberaliter prouidere infirmis: etſi alia cauſa non eſſet, vt auferatur ab eis cauſa murmurandi. exemplo Moyſi, qui rogauit Dominum, vt daret aliquam aquam miraculoſe filijs Iſrael, vt vel ſic, ceſſarent à murmure. Num. 20. Item, ſunt aliqui Prælati, qui etſi interdum hoc faciant, tamen faciunt cum difficultate, & triſtitia, & quaſi murmurando; & ſic multum diminuitur meritũ ipſorum. quia hilarem datorẽ diligit Deus.

2. Cor 9.

Et ideo vir ſanctus, volens omne murmur excludere, dicit, *fiant ſine murmure*, ſcilicet ægrotantiũ, miniſtrantium, & aſsiſtentiũ. Nota etiã, quod aliqui, præ feruore ſanctitatis, contemnunt medicinalia: aliqui nimis curant: aliqui vero frequenter allegant ſe infirmos. Primi, ſunt compellendi, cum eis expedit. ideo dicit, *ita, vt etiamſi nolit.* Secundi, non ſunt audiendi, cum eis non expedit. ideo dicit, *Si autem velit.* Tertijs, partim eſt credendum de infirmitate; partim nõ, ſcilicet de medicinalibus; ſed medicus eſt conſulendus. Ideo dicit, *denique ſi latens eſt.* Nota etiam circa primos, quod qui nimis volunt ieiunare, & refugiunt recreationes, ſiue medicinas, & huiuſmodi, non eſt eis adquieſcendum.

Contemptus curæ corporis, non permittendus.

Primo, ne Religioſus, qui proprię voluntati renunciauit, in ea nutriatur: quia ex hoc, ſolet confundi Religio. Prouerb. 29. Puer, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. ſcilicet Religionem, in qua quilibet debet eſſe puer, ſub virga diſciplinæ. Secundo, ne iumentum corporis ſui, quod non ſolum ſuo, ſed communitatis ſeruitio deputatum eſt, inutile reddatur. Pſalm. Forditudinem meam ad te cuſtodiam. Hieron. De rapina holocauſtum offert. qui vel ciborum nimia egeſtate, vel ſomni penuria corpus immoderate affligit. Tertio, ne inducatur ſingularitas in Religionem, quæ ipſam deuaſtat. Pſalm. ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Quarto, ne cura corporis, quæ tradita eſt alij, auferatur; cum vult Religioſus corpus ſuum regere, ſecundum voluntatem ſuam. Bernardus. Qui veſtri curam ſemel nobis commiſiſtis, quid rurſus de vobis vos intromittitis? Quinto, ratione ſuperbiæ, quæ oriri ſolet ex his; vt patet in Phariſæo qui, ieiunauit bis in ſabbato, & reputauit ſe maiorem publicano. Bernardus. Quæ maior ſuperbia, quam vt homo toti congregationi iudicium ſuum præferat, tanquam ipſe ſolus ſpiritum Dei habeat. Sexto, quia huiuſmodi ſacrificium minus eſt acceptum Deo. Bernardus in illud. Si in die ieiunij inuenitur voluntas veſtra. Non tale ieiunium eligit ſponſus, nec ſapit illi ieiunium, quod non lilium obedientiæ, ſed vitium propriæ voluntatis facit. E conuerſo,

Pſalm. 58. *Pſalm. 79.* *Luc. 18.* *Eſaie 58.*

cum

cum Prælati ſint patres, medici, & rectores ſubditorum, non debent ſatisfacere eis in carnalibus; cum non expediant. Prohibitum eſt enim homini, ne curam carnis propriȩ faciat in deſiderijs. Et ſecundum Auguſtin. plus debet diligere quilibet animam proximi, quam carnem. Sed carnalia deſideria ſunt contra animam. igitur &c. Bene ergo dicit, quod ſi velit aliqua medicinalia, & non expediunt, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat; vt patet de pomo quod Eua comedit. de edulio lentit Eſau. de eſca, piſcis in hamo. de vino ſplēdente in vitro. Nec etiam omni ſpiritui credendū eſt de infirmitate. Et ideo benè dicit, *famulo Dei, dicenti, quid ſibi doleat.* Nam ſunt quidam, qui ex ijs, quæ in eis videntur, apparent veri ſerui Dei. ſicut dicitur de Simpliciano, qui apparebat Auguſtino verus ſeruus Dei; & lucebat in eo gratia diuina. Signa ſeruorum Dei ſunt, ſeruire Deo die, ac nocte; voluntarie; humiliter; & deuote. obedire Prælato in ijs, quæ non ſunt contra Deum, vel Regulam. quærere bonum commune, & non priuatum. ædificare proximum verbo, & exemplo. Tali famulo Dei, q̄uid ſibi doleat, ſine dubitatione, credatur.

Senſualitas nō permittenda.
Rom. 13.
Gen. 3.
Gen. 25.
Eccleſ. 9.
Prou. 23.
Signa ſerui Dei, cui eſt credendum.

IN CAP. XX. REGVLÆ VGO.

NEC eant ad balnea, ſiue quocunq̄ ire neceſſe fuerit, minus quam duo, vel tres. Et ille, qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus iuſſerit, ire debet. Prouideamus bona, ait Apoſtolus, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Propter nos, conſcientia bona ſufficit nobis; propter alios, fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in nobis. Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt; maxime in hoc loco poſitus. de quo dicit Apoſtolus, ſcribens ad diſcipulum ſuum, Circa omnes, teipſum bonorum operum præbe exemplum. Rurſus alibi dicit. Speculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Qui nos amant, quærunt quid in nobis laudent. Qui vero nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in vtroque medio conſtituti, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & vitam, & famam noſtram ſic cuſtodire debemus, vt non erubeſcamus à detractoribus laudari. Simul ergo ire debent duo, vel tres, & propter ſolatium, & propter bonæ famæ teſtimoniū. Vnde Salomon ait, Vȩ ſoli, quia ſi ceciderit, non ha-

2. Cor. 8.
Occaſiones ſuſpicionum remouendæ.
Tit. 2.
1. Cor. 4.
Eccli. 4.

bet ſubleuantem. ſi fuerint duo, fouebuntur mutuo. Bene autem ait *cum quibus Præpoſitus iuſſerit, ire debet.* ſcilicet, vt à Prælato prouideatur ſecuritas perſonæ, & à ſubdito ſeruetur virtus obedientiæ.

VMBERTVS.

CAP. CXXIIII.

NEC *eant ad balnea,* vſque, *iuſſerit ire debet.* Hoc eſt tertium mandatum, quod tradit circa itinerantes: quod interdum requirunt aliquæ infirmitates; &, hac occaſione, ampliat mandatum ad omne iter faciendum, quacunque neceſsitate fiat. Sunt autem hic duo mandata. primum eſt, circa ſocietatem in via habendam ſemper. Secundum eſt, circa modum habendi ſocium; ibi, *Et ille.* De primo multa ſunt dicta circa hoc mandatum, *Quando proceditis.* Sed nunc quæritur, Vtrũ Prælatus poſsit dare licentiam eundi ſolitarie? Reſpondetur, quod, ex cauſa rationabili poteſt hoc raro, & non ſine cauſa facere. Nam decretalis Innocentij dicit, quod Abbas, non poteſt diſpenſare in voto paupertatis, nec in voto continentiæ. quia hæc ſunt de ſubſtantia Ordinis. Ex hoc habetur argumentũ à contrario ſenſu, quod in ijs, quę nõ ſunt de ſubſtantia Ordinis, poteſt diſpenſare, & tale eſt hoc. Circa ſecundum, nota, quod frater itinerans non debet aſſumere propria voluntate ſocium, ſed ſecundum arbitrium Præpoſiti. Primo, propter bonum obedientiæ; vt in domo obedientiæ, omnia ſecundum obedientiam fiant. Secundo, propter diſcretionem: quia Prælatus, qui omnes noſcere debet animas iumentorum ſuorũ, ſcit melius de hoc ordinare. Tertio, propter commune bonum: quia forte aſſumptus à fratre, erat in conuentu pro communitate neceſſarius. Ad hæc monent nos exempla ſanctorum. Moyſes deſcenſurus in Ægyptum aſſumpſit Aaron ſibi à Domino datũ, Exod. 3. Mariæ peregrinaturæ, prouiſum eſt de Ioſeph, iubente angelo. Matt. 2. & ſic de alijs multis. Prælatus vero, qui habet de ſocio prouidere, cum multa cautela debet hoc facere. Si enim iter facturus eſt minus religioſus, nunquam debet ei aſſociare niſi virum ſanctum, vt cum eo proficiat in ſanctitate, iuxta illud. Cum ſancto ſanctus eris. Si minus prudens, aſsignet prudentem, vt ille diſcat. Prouerb. 13. Qui cum ſapientibus graditur, fit ſapiens. Si vero ſit iuuenis, difficile debet ei concedi vt egrediatur; vel, ſi oportet, aſsignetur ei maior, & grauis: debili, fortis detur. facili ad peccandum, nunquam eſt concedendum, vt vadat cum alio, vel alius cum eo. Item, duo ſuperbi non benè iunguntur. quia vnus

Supra in Cap. 10. Regulæ.

Sine ſocio, cum facultate, iri poteſt.

Extra. de ſta. mon. c. cum ad monaſterium.

Socius, non à fratre, ſed à ſuperiore dandus.

Socius, non quicunque dandus.

Pſalm. 17.

vnus neſcit ſe alteri humiliare.& ideo facile ſe conturbant. Prouerb. 13. Inter ſuperbos, ſemper iurgia ſunt. Nonne hæc tentatio inuaſit diſcipulos Domini, de quibus dicitur, quod inter ſe diſputauerunt in via, quis eorum eſſet maior? Quantum ergo timendum eſt alijs, magis diſpoſitis ad ſuperbiam? porro ad hoc quod aliquis ſit ſocius amabilis, valere ſolent iſta. Primo, amor. Seneca. Si vis amari, ama. Secundo, manſuetudo. Eccleſiaſt. 3. Fili, in manſuetudine opera tua facito; & ſuper gloriam hominum; diligeris. Tertio, affabilitas. Eccleſ. 21. Sapiens, in verbis amabilem ſe facit. Quarto, ſupportatio fraternæ infirmitatis, quoad infirmitates morum, & corporum. Hæc ponit Bernardus.

Qualis debeat eſſe ſocius.

CAP. CXXV. Contra eos, qui ſociũ ſæpe, & male recuſant.

POST hæc, notandum, quod ſicut ſunt aliqui inepti ad ſocietatem aliorum; ita ſunt aliqui, qui laborant hoc vitio, vt vix poſsit inueniri ſocius, qui eis placeat. Iſti ſunt, qui quandoque refutant alios, qui ſolent eſſe cuſtodes fratrum diligentes, & eorum defectus non tacere. Iſti ſunt ſimiles infirmis, qui nolunt habere medicos, qui eorum infirmitatem videant, & remedium apponant. Contra hos dicit Bernardus ad Eugenium: Contubernales tuos habeas, qui vitæ tuæ cuſtodes ſint, & teſtes. Si autem hoc faciendum eſt Papæ, quomodo minores audent hoc renuere? Quandoque vero refutant alios, timore peccati. Timent enim fragilitati ſuæ, ne cum eis incurrant peccatum aliquod impatientiæ, vel iracundiæ, & huiuſmodi. Sed ipſi debent confidere, quod propter bonum obedientiæ, Deus cuſtodiet eos, ne intrent in tentationem. ſi forte eos inuaderet. Item, quandoque refutant alios, ratione maioritatis, volentes magis præeſſe quam ſubeſſe ſocio. Sed contra hoc eſt exemplum Chriſti, qui fugit ne præficeretur in regem. Ioan. 6. Subiectus tamen voluit eſſe parentibus, Luc. 2. Hoc etiam voluit idem obſeruari in diſcipulis. Matth. 22. Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, erit miniſter veſter. Item quandoq;, ratione inflexibilitatis. Sũt enim aliqui, qui ambulantes in ſua propria voluntate, & ſenſu, nõ poſſunt trahi ad aliorum voluntatem. Iſti nolunt ſocios, niſi quos poſſunt ducere ad ſuam voluntatem. Sed contra hos eſt vitium propriæ voluntatis, quod valde reprehenſibile eſt in Religioſo. Itẽ, quandoq;, ratione delictorũ. Sunt enim proni aliqui ad culpas cõmittendas, cum quib⁹ eſſe nolũt. ſed ſi aliquando bonus ãgelus deberet deſerere peccatorẽ, quid nõ faceret ille? Sic boni viri non debent abhorrere à ſocietate malorum: ſed potius, ſicut medici, debent eis aſsiſtere, ea ſpe,

quod

quod meliores fient. Seneca, Illos tecum admitte, quos meliores facere poſsis. Item, quandoque, ratione Religionis. Sunt enim aliqui, qui viris valdè Religioſis nolunt adiungi: ſimiles illis, qui Sapient. 2. dixerunt; Grauis eſt nobis ad videndum; quoniam diſsimilis eſt alijs vita illius. Et tales ſunt ſtulti. quis enim indigens, non vadat potius ad abundantes domos, quam ad vacuas? Indigens fructibus, nō vadat potius ad arbores plenas, quam ad ſteriles? Vnde viris magnæ Religionis debemus nos diligenter adiungere; vt de plenitudine eorum accipiamus. Ex iam dictis tria eliciuntur. ſcilicet quod Prælatus debet eſſe diſcretus in aſſociandis ſubditis; & quod omnes debent ſe ſocios exhibere; & quod nullus debet ſibi aſsignatum ſocium refutare.

IN CAP. XXI. REGVLÆ VGO.

Cura ægrotorum ſecundum charitatem.

AEGROTANTIVM *cura, ſiue poſt ægritudinē reficiendorū: ſiue alia imbecillitate, ſiue etiam febribus laborantium, alicui debet iniungi, vt ipſe de cellario petat, quod cuique opus eſſe perſpexerit.* Eligendus eſt frater timens Deum, qui circa infirmos, curam maximam gerat. et, quod opus eis fuerit, miniſtrare eis ſtudeat: et eo ſtudio, & affectu eis deſeruiat, ac ſi ipſi Domino Ieſu Chriſto deſeruiret. Ipſe enim dicturus eſt in iudicio, Infirmus fui & viſitaſtis me. & iterum. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *Matth. 25.* Debent ergo fortiores, imbecillitaté portare infirmorum. Sic enim diuina charitas adimpletur, teſte Apoſtolo, qui ait. Alter, alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti. *Gal. 6.* Lex Chriſti, eſt dilectio. Dilectionis officium eſt, inuicem onera noſtra portare. Diuerſa vero tempora, & diuerſæ infirmitates faciunt vt onera noſtra portemus inuicem. Nihil autem ſic probat amicum, quam oneris amici portatio. Sed & ipſe infirmus, cui pro Dei amore ſeruitur, debet penſare, & ſummopere cauere, ne ſuperfluitate ſua, aut impatientia, ſibi ſeruientem contriſtet. Studeat autem Deo gratias agere, ne infirmitas quæ data eſt ei ad purgationem animæ, vertatur ad augmentum culpæ.

VMBERTVS.

Ægro-

AEGROTANTIVM *cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorum, ſiue aliqua imbecillitate, etiam ſine febribus laborantium, uni alicui debet iniungi, vt ipſe de cellario petat, quod vnicuique opus eſſe perſpexerit.* Hoc eſt mandatum, quod quarto traditur circa neceſsitates infirmorum; quod verſatur circa ſpecialem curam, quæ eſt exhibenda eis. Nam quando non aſsignatur ſpecialis prouiſor infirmis, in multis negliguntur: quia communis prouiſor non ſufficit. Item, cum non miniſtratur de communi infirmis competenter, datur occaſio multis reſeruandi aliquid pro infirmitatis neceſsitate; quod ſapit proprietatem, etiamſi fiat ſine periculo proprietatis cum licentia. Porro ad habendã magnam curam infirmorum fratrum, ſicut hic tangitur, multa mouent fratres, & maxime Prælatos. Primum eſt, miſeria. inter omnes enim miſerias, ad quas ſolet ſe extendere miſericordia, nulla eſt adeo afflictiua. Item, nulla facit ita impotentem hominem ad ſuam miſeriam iuuandam. Item, nulla miſeria eſt, quæ non facilius releuari poſsit. Præterea Religioſus, propter Chriſtum, relinquit ſua, de quibus poterat ei ſubueniri in infirmitate. relinquit & ſeipſum, qui ſibi poterat, illis deficientibus, aliqua procurare; quod modo non poteſt, ſine alterius voluntate. Quanta ergo impietas eſſet, ſi illi, qui hoc pro Chriſto reliquit, vicarius Chriſti, & ſerui Chriſti non adhiberent curam ſolicitam in ſua infirmitate? Chriſtus enim, exemplar noſtrum, non legitur tantam curam habuiſſe vllorum miſerorum, ſicut infirmorum. Non enim legitur veſtiſſe nudos; ſuſcepiſſe hoſpites; viſitaſſe incarceratos; famelicos legitur recreaſſe, ſed raro. Infirmorum vero, legitur curam diligentem habuiſſe, modo confortando, dicens, Confide fili; modo tangendo propria manu, etiam leproſum; modo erigendo; modo plene ſanando. Item, hoc eſt proprium officium Prælati. Ipſi enim, ſicut boni paſtores, debent curam gerere ouis ægrotantis: ne dicatur eis illud Ezech. 34. Quod infirmum erat, non conſolidaſtis. Item, ſunt medici; quorum eſt, magis curare infirmos, quam ſanos. Matth. 9. Non eſt opus medicus valentibus, ſed male habentibus. Item, ſunt matres. Sed, heu, quidam Prælati, ſua duritia, implent illud Thren. 4. Manus mulierum miſericordium, coxere filios ſuos. Quia, dum debent eſſe miſericordes erga ſubditos ſuos, duris operibus nimis vexant eos; quaſi carnes in lebete. Non eſt hæc natura mulierum erga infirmos. Immo ipſæ ſunt, quæ curam maiorem habere ſolent infirmorum. Eccleſ. 36. Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger.

CAP. CXXV.

Infirmorũ cura neceſſaria.

Chriſtus, maxime infirmorum curam geſſit.

Matth. 9.
Matth. 8.
Marc. 9.
Ioh. 5.

In Cap. XXII. Regulæ

Ugo.

Sive autem qui *veſtibus; ſiue qui codicibus præponitur; ſine murmure. ſeruiant fratribus ſuis.* Tales ſe exhibeant ea charitate: fratribus ſuis deſeruiant: ne ipſi, de miniſterio ſibi commiſſo, peccét in murmure; nec alios, per ſuam negligentiam, faciant murmurare. Graue peccatum eſt murmuratio, teſtante Gregorio, qui ait. Regnum cælorum nullus, qui murmurat, accipit: nullus, qui accipit, murmurare poterit. Et ſapiens. Præcordia fatui, ſicut rota carri; fœnum portat, & murmurat. Tales ergo ſunt in congregatione, qui, carni ſubditi, non ceſſant à murmuratione. Apoſtolus. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Quare à ſerpentibus? niſi quia ſerpens venenoſus eſt, & omnis, qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Iacob. Lingua, inquietum malum, plenum veneno mortifero. Cauendum eſt ergo nobis à murmure; ne mortifero, & diabolico pereamus veneno.

Murmuratio cauenda. *Eccleſ. 33.* *1. Cor. 10.* *Iac. 3.*

Umbertus.

Cap. CXXVII.

Sive *autem qui cellario; ſiue qui veſtibus; ſiue qui codicibus præponuntur; ſine murmure, ſeruiant fratribus ſuis.* Sicut dictum eſt in initio quarti capitis Regulæ: hic incipit tradere officiales circa ſeruitiũ fraternarum neceſsitatum. Et eſt notandum, quod officiales, quandoque offendere ſolent in modo ſeruiendi; ſcilicet quando ſeruitiũ faciunt cum murmure: quandoque in modo diſtribuendi res, ad ſuum officium pertinentes. Circa primum, traditur hic mandatum. Circa ſecundum, poſtea. quando dicitur, *Codices certa hora.* Circa mandatum præſens nota, quod quædam ſunt neceſsitates circa ſpiritualia, vt libri circa ſtudium: quædam circa temporalia. Et hęc circa duo præcipue: ſcilicet circa victũ, & veſtitũ. Et ſecundum hæc, ſcilicet tria, diſtinguit tria genera officialium, dicens, *ſiue qui cellario*; quo ad victum: *ſiue qui veſtibus*, quoad ſecundum, ſcilicet veſtitum, *ſiue qui codicibus*; quo ad ſtudium. Et idem intelligendum eſt in alijs officialibus; ſcilicet, vt ſeruiant fratribus ſuis; & hoc, ſine murmure, faciant. Ex hoc mandato eliciuntur tria. Primum eſt, quod officiales ſunt in monaſterio conſtituendi, circa

diuerſa diuerſi; dicens, *ſiue qui cellario, ſiue qui veſtibus & cet.* Secundum, quod fratres debent ſibi inuicem ſeruire. Tertium, quod ſine murmure. Primum faciendum eſt à Prælatis, propter ſemetipſos, vt ipſi melius vacent ſpiritualibus; quæ magis ad eos pertinent; cum circa neceſsitates proximorum, alij pro eis occupantur. Exemplum autem ſic faciendi, reliquerunt Apoſtoli; qui conſtituerunt miniſtros, qui vacarent menſis, vt dicitur Actorum 6. Conſiderate, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij, plenos ſpiritu ſancto, & ſapientia; quos conſtituamus ſuper hoc opus; nos vero orationi, & miniſterio verbi miniſtrantes erimus. Et ſecundum laudabilem modum conſtituendi officiales; non enim ſubito, ſed cum deliberatione, & conſilio conſtituerunt eos. Conſiderate, inquiunt: quaſi deliberate; habete conſilium. Item, non cum conſilio extraneorũ, ſed ſuorum. Vnde dicunt, Fratres: vos, qui eſtis, ſcilicet, fratres noſtri. Item, non conſtituerunt ad hoc ſexum muliebrem; ſicut permittitur alicubi, vt vetulæ, cognatæ ſeruiant aliquibus; quod abominabile debet eſſe apud Religioſos. Ideo dicunt viros. Item, non extraneos; ſicut fit in quibuſdam monaſterijs: in quibus ſeculares conſtituuntur. Ideo dicunt, ex vobis. Item, non quoſcunque viros, ſed boni teſtimonij. Vnde addunt, plenos ſpiritu ſancto, & ſapientia. Officiales enim propter alios debent eſſe bonæ famæ: quia habent occaſiones multas peccandi, niſi ſanctitas eos retrahat; & ideo debent eſſe ſancti. Quia vero habent diſpenſare multa quæ ſine ſapientia, bene fieri non poſſunt; requiritur in eis ſapientia. Item, faciendum eſt hoc propter ſubditos; quia ſic eis ſeruitur ſufficientius. Exemplum de Moyſe, qui ex conſilio Ietro, diuiſit onus ſuum in plures, vt melius ſeruire populo ſufficeret. Item, faciendum eſt propter ipſius Religionis exigentiam: in qua omnia debent fieri ordinate. Multum autem valet ad confuſiones euitandas; quando diuerſi, in diuerſis ſeruiunt: & ſcit officium ſuum, vnusquisque, ſicut fuit in aula Salomonis; de qua ſcriptum eſt. 3. Reg. 10. quod regina Saba, videns ordinem, ſcilicet in aula eius, non habuit vltra ſpiritum. Item, ad ſecundum debet mouere exemplum Angelorum; qui (vt ait Apoſtolus) omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi. Exemplum, virginis Mariæ. quæ, licet puella tenera, & prægnans, aſcendit in montana, cum feſtinatione, ad ſeruiendum Eliſabeth. Luc. 1. Maximè autem, exemplum Chriſti qui, cum in habitu regio, non poſſet ſeruire hominibus; accepit formam ſerui, vt in ipſa nobis ſeruiret. Ego autem, inquit, in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat. Luc. 22. Nec debet apud Religioſos eſſe conſuetudo vt ſecu-

Officiales ſint ex fratribus, & quales.

Exo. 18.

1. Cor. 14.

Heb. 1.

Religioſi ſibi mutuo inſeruiant, & quare.

lares eis præſentialiter ſeruiant, menſæ miniſtrando, pedes lauando, & ſimilia facientes. Et hoc triplici de cauſa. Primo, quod hoc ſapit ſecularitatem quandam. Secundo, propter infirmitatem ſecularium, qui poſſent videre multa, quamuis licita, apud viros ſanctos, in quibus ſcandalizarentur, ſi aſsiſterent eis in huiuſmodi ſeruitijs. Tertio, propter periculum infamiæ. Lingua enim ſecularium, multum lubrica eſt. & facile apud extraneos deferret aliqua, quæ vident; & augent frequenter. Et ideo ſibi inuicem ſeruientes, non debent recipere ſeculares ad ſua ſeruitia; niſi forte interdum à longe, in coquina, ſutrina, & in ſimilibus; quæ in abſentia eorum fiunt. Ad hoc facit exemplum Chriſti, & Apoſtolorum; qui nuſquam leguntur huiuſmodi famulos habuiſſe. Circa tertium vero, notandum, quod quidam, licet interdum ſeruiant fratribus ſuis, tamen hoc faciunt cùm murmure. ſimiles dæmonibus exeuntibus, mandato Domini, ſed cum clamore. Item, ſunt ſicut rota, quæ vni ſeruiendo, alios inquietat. Eccleſiaſt. 32. Præcordia fatui, quaſi rota carri. & bene dicitur fatuus; quia & opus fatui facit, & mercede ſe priuat. Item, facit ſicut cocus, qui in cibo, quem parat, ponit fel.

IN CAP. XXIII REGVLÆ VGO.

Lectio, perutilis Religioſo. CODICES, *certa hora, petantur. extra horam qui petierit, non accipiat.* Superius præcepit inſtare orationibus temporibus conſtitutis. Tempora ergo ſunt diſtinguenda, quibus debemus orare, & quibus debemus legere. De opere quoq; alibi admonet, vt nullus ſibi aliquid operetur; ſed omnia opera veſtra in vnum fiant. Hæc tria commendat nobis Regula, quæ animæ noſtræ valde ſunt neceſſaria. ſcilicet orationem, lectionem, operationem. Nam oratione, mundamur; lectione, inſtruimur; operatione, beatificamur; ſicut ſpiritus ſanctus dicit in Pſal. (*Pſalm. 127.*) Labores manuum tuarum, quia manducabis. beatus es, & bene tibi erit. Quod autem dicit, vt *codices ſingulis diebus petantur*; frequentia legendi commendatur. Frequenter debet legere ſeruus Dei. Valde enim eſt vtilis diuina lectio. Nam per lectionem diſcimus, quid cauere, quid agere, quo tendere debeamus. Hinc Pſal. ait, (*Pſal. 118.*) Lucerna pedibus meis verbũ tuũ. per lectionem ſenſus, & intellectus augetur. Lectio, oratio, & operatio, ad contéplatiuam vitã inſtruit nos, & actiuam. (*Pſal. 1.*) Ideo in Pſal. Beatus vir

ſcribitur

ſcribitur, qui in lege Domini meditatur die, ac nocte. Hæc ſunt arma, videlicet oratio, lectio, & operatio, quibus diabolus expugnatur. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus æterna vita adquiritur. his armis vitia expelluntur. his alimentis virtutes nutriuntur. Sed etſi à lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi: quia ocioſitas inimica eſt animæ, & antiquus hoſtis, quem à lectione, ſiue ab oratione vacantem inuenerit, facile ad vitia rapit. per vſum namque lectionis, diſcetis qualiter & vos viuatis, & alios doceatis. Per manum operationem, & corporis macerationem, & vitijs alimenta negabitis, & veſtris neceſsitatibus ſubuenietis, & habebitis vnde neceſsitatem patientibus aliquid porrigatis.

VMBERTVS.

Codices, certa hora, ſingulis diebus, petantur. extra horam qui petierit, non accipiat. Sicut errant officiales, ſeruiendo cum murmure: ita errant interdum diſpenſando indebite. Et ideo hic tradit mandatũ circa ſecundum, in quo erratur dupliciter. Aut quando datur, quod dari non debet: aut quando non datur, quod dari debet. Circa primum, traditur hic mandatum in ſpeciali in materia circa libros. circa ſecundum traditur ibi, *veſtimenta vero, & calceamenta.* Porro, intentio huius mandati eſt, rectum modum circa ſtudia tradere. ſæpe enim fit, vt amore ſtudij in libris, aliqui Religioſi interdum dimittant orationes, vel diuinum officium, vel alia ad obſeruantias Regulares pertinentia, quod eſt reprehenſibile. propter quod dicit, *Codices, certa hora, ſingulis diebus petantur.* Ex hoc mandato eliciuntur quinque. ſcilicet, quod libri procurentur vel habeantur. quod habiti diligenter cuſtodiantur. quod cuſtoditi, in vſum ponantur. quod Religio per ſtudium non negligatur. quod tales recipiendi ſunt ad Ordinem, qui ad ſtudium habeant aptitudinem. *Cap. CXXVIII.*

Circa primum nota, quod ſapientia cæleſtis, eſt ſicut fons, qui de cælo venit per canalem librorum. Eccleſ. 24. Ego quaſi aquæ ductus exiui de paradiſo. quaſi dicat ad modum aquæductus, veni per ſcripturam librorum. Sed, heu, ſunt aliqui Religioſi, qui magnam ſolicitudinem ponunt, & magnas expenſas faciunt, ad habendum aquæ ductum, per quem veniat fons aquæ materialis in domum ſuam, ad purgandas ſordes corporeas, ad irrigandos hortos, ad cõmoditates multas habendas, per ſingulas officinas; *Cap. CXXIX. Libri curandi in Religione.*

de aquæductu vero ſapientiæ cæleſtis, per quam ſordes peccatorum purgantur, & corda ad omne bonum proferendum irrigantur, parum curant. Non ſic dicitur de Salomone, qui non ſolum ſuper omnia temporalia, ſed ſuper omnem ſalutem, & omnem pulchritudinem, ſeu ſpeciem corporis diligebat, & æſtimabat ſapientiam. Sicut dicitur, Sap. 7. deprecatus Dominum, dicens. Mitte illam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit. Item, auctoritates, quæ ſumuntur de verbis ſacris, ſunt quaſi arma, quibus & defendimus nos, & impugnamus inimicum. Cum Religio ſit domus Regis, ibi ſemper debet eſſe armamentarium, in quo inueniantur huiuſmodi

Ephes. 6. arma. Conſtat etiam, quod arma concionatoris, ſunt auctoritates ſumptæ de libris. iuxta illud. Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Item, Religio, eſt quaſi caſtrum obſeſſum à dæmonibus; vbi neceſſaria ſunt duo; ſcilicet arma, & victus. Item, dicit Magi-

Exemplum. ſter in hiſtorijs, & Vincentius in ſpeculo hiſtoriali, quod Ptolomeus, ſtudioſus, & librorum cupidus, Demetrium bibliothecæ ſuæ præfecerit. Cumque inquiſiſſet numerum librorum ab eo, reſpondi ille, Viginti milia adeſſe. hic non contentus libris gentilium, audiens in Iudæa libros eſſe legis, petiuit ſeptuaginta duos interpretes; ſcilicet de vnaquaq; tribu ſex, vt eos de Hebræo, in Græcum transferrent. quod vt facilius obtineret. centum viginti millia Iudęorum, qui in regno ſuo erant ſerui, libertati reſtituit: dans pro vnoquoque dominis eorum, centum viginti drachmas argenti. Plato etiam fuit tantus amator librorum, vt, ſicut Hieronymus ait, ſcribens, mor-

Librorum maior cura eſſe debet, quam ædificiorum. tuus ſit. Sed, proh dolor, quidam Religioſi plus curant de ædificijs corporalibus, quam de libris, quibus ædificantur mores. Non fuit talis Auguſtinus; qui tot libros proprio labore compoſuit. Et ſic voluit à profeſſoribus ſuæ Regulæ fieri; cum velit eos ſtudere quotidie, certa hora, & ad hoc libros petere: quod eſſe non poteſt, niſi habeantur.

CAP. CXXX. Libri præſertim ſacri, diligenter aſſeruandi.

Circa ſecundum nota, quod ſicut apud quoſdam, qui negligenter cuſtodiunt caſeos à muribus; poma, & pyra à putrefactionibus; veſtes à tineis; ita male cuſtodiuntur libri ſacri; vt modo, per irreuerentiam, in eorum manibus viliter deturpentur; modo, per negligentiam, amittantur; modo per incuriam deſtruantur: quod eſt valde reprehenſibile. Huiuſmodi enim libri, ſunt res ſacræ. Quod ſic patet. dicit Magiſter in hiſtorijs, & Vincentius in ſpeculo hiſto-

Exemplum. riali, quod, cum Ptolomeus prædictus vellet dare operam, vt libri le-

gis

gis diuinæ ſibi transferrentur, Demetrius, ipſius librarius dixit hoc opus non poſſe fieri, niſi per cultores Dei; narrans quemadmodũ Theopontius, cum hiſtorijs ſuis, quas ſcribebat, voluiſſet eos inſerere verſus eſſet in amentiam per dies triginta. Theodotus quoque eandem ob cauſam, cæcus eſt factus. Ex quo patet magna ſanctitas librorum legis diuinæ; propter quam ſic puniuit Deus eos, qui indigne illos tractauerunt. Item, Deuteron. 21. Moyſes præcepit, Deuteronomiũ poni in arca, cum manna, & virga, rebus miraculoſis. Et B. Franciſcus, quando inueniebat aliquam ſchedulam in terra, in qua erat ſcriptum nomen Ieſu, eleuabat illam, cum magna reuerentia, & ponebat in loco honeſto. Certe iſte theſaurus non eſt vilis, ſed precioſiſsimus. Sapient. 7. Diuitias nihil eſſe duxi, in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem precioſum, quoniam omne aurum, in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum ęſtimabitur argentum in conſpectu illius. Cum maxima ergo diligentia, libri ſunt cuſtodiendi, in quibus talis, & tantus theſaurus continetur.

CAP. CXXXI. Libris frequenter vtendum viris Religioſis.

Circa tertium nota, quod licet quidam habeant libros, & bene cuſtoditos: tamen raro, vel nunquam legunt in eis. Dicitur rex Franciæ Ludouicus, cum quidam Religioſi oſtenderent ei libros pulcherrimos, dixiſſe eis, Bonum eſſet ſi eſſent magis ſordidati: notans, quod parum legerent in eis. Iſti ſimiles ſunt auaro, qui habet multas diuitias, de quibus nunquam comedit. Legitur de B. Gregorio, quod, quanquam quotidiano labore tabeſceret; tamen propter hoc, non omittebat, quin legeret vel ſcriberet, vel dictaret. Vide Hieronymum, quantum ſe fatigauit in ſcripturis, vt, in ſtrato ſuo iacens, funiculo ad trabem appenſo, erigeretur. Auguſtinus. Palatum inquit, febricitantis habet, cui mel cæli inſipidum eſt. & vocat mel cæli, dulcedinem ſacræ ſcripturæ. Item, ſcripturæ ſunt quaſi ſpeculum, in quo recognoſcit quis ſemetipſum. Et ideo ſicut magnæ dominæ quotidie ſemetipſas reſpiciunt in ſpeculo; ſic & ſancti in ſcripturis. Gregor. ſcriptura ſacra oculis mentis, quaſi ſpeculum quoddam opponitur; & interior noſtra facies in ipſa videtur, & fœda noſtra, & pulchra noſtra agnoſcimus. Item, ita apparet, quantum profecimus, & à profectu quantum diſtamus. Item, in ſcripturis ſacris, ſunt conſolationes multæ; ad quas confugiunt viri ſancti, in tribulatione poſiti. Item, quia anima non inuenit plenitudinem in aliqua

Exemplum.

re,

re, delectatur varijs. & ideo viri ſancti vtuntur, varietate operum ſpiritualium, quæ ſunt cibus animæ; ſicut carnales varietate ferculorum. Vnde S. Auguſtinus ſupra dixit; *orationibus inſtate*, & nunc dicit. *Codices, certa hora, ſingulis diebus petantur.* Hieronymus: Orationi lectio; lectioni ſuccedat oratio. Item, libri aliarum ſcientiarum, licet illuminent intellectum, non tamen accendunt affectum: diuini vero libri, vtrumque faciunt ſecundum Iſidorum. Sic igitur patet quod lectio ſacra valet, ad fructuum productionem: ad cæleſtis deſiderij inflamationem: ad cauendas dæmonum inſidias: ad ſui cognitionem: ad commorandum cum Deo: ad animæ refectionem: ad ſalutaria remedia: ad conſolationem in tribulatione: ad ſpiritualem delectationem: ad carnalia diſideria reprimenda. Hieronymus. Ama ſacras litteras, & carnis delitias non amabis. Propter has igitur vtilitates, ſtudere debent frequenter libris uiri Religioſi, & quidem certis horis.

CAP. CXXXII Quidam Ordines, ex ſtudiis, multa bona cōſecuti ſunt.

NOTANDVM vero, quod licet omnibus Religioſis expediat libenter legere; tamen Ordinibus quibuſdam id magis incumbit. Et hoc propter vtilitates quas aſſecuti ſunt illi Ordines, & adhuc aſſequuntur ex ſtudio. Prima eſt, prærogatiua quædam ſuper alios Ordines. cum enim omnis Religio ſit bona, & ſtudium ſacrarum litterarum bonum ſit; hoc illi additum, facit magis bonum. Sicut Cherubin, in quibus non ſolum quieſcit Deus; ſed ſplendent etiam (quia interpretantur plenitudo ſcientiæ) ſuper thronos, in quibus quieſcit: ita & Ordo cum ſcientia, præfertur illis, in quibus eſt ſola ſanctitas, quæ eſt locus Dei. Et hanc prærogatiuam confert ſcientia per ſtudium. Prouer. 4. Accipe illam, ſcilicet ſcientiam, & exaltabit te. Secunda, bonorum virorum adquiſitio. Multi enim viri nunquam veniſſent ad prædictum Ordinem, niſi ibi eſſet ſtudium: & multi venientes obſcuri, facti ſunt per ſtudium valde clari. Tertia, maior deuotio mundi. quia ad perſonas litteratas maiorem deuotionem ſolent habere, & exhibere eis honorem. Sapient. 8. Habebo, propter hanc ſcilicet ſcientiam, claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores. Quarta eſt, fructus ad alios. qui maior poteſt fieri per ſapientes quam per ſimplices, licet ſanctos. Hieronymus. Sancta ruſticitas, ſolum ſibi prodeſt; non ſic autem docta iuſtitia: immo ad iuſtitiam erudit plurimos. Quinta eſt, debitum ſuſtentationis, quod magis debetur ſeminanti ſpiritualia, quod fit per ſcientiam; quam quieſcenti in Domino. Apoſtolus, Si ſpiritualia vobis ſeminamus, non eſt magnum ſi carnalia veſtra metamus. & poſt, Ordinauit Dominus his, qui euangelium annunciant

Dan 12. *1. Cor. 9.*

de

de Euangelio viuere. Sexta eſt, victoria tentationum. plus enim valet ſapientia ad vincendum, quam vires. & ideo multi ſuccumbunt in bello diaboli, in multis peccatorum generibus, propter ſcientiæ defectum. Sapient. 7. Sapientia vincit malitiam. Septima eſt, informatio interioris hominis. Regulæ enim & ſtatuta informant in Religione, exteriorẽ hominem in moribus: ſed ſacræ ſcripturæ, interiorem. Sapient. 8. Sobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus in vita nihil eſt melius hominibus. Octaua eſt, euitatio errorum, quos multi incurrunt; vt in ſimonijs, & alijs huiuſmodi. Pſal. Neſcierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. *Pſalm. 81.* Hoc non accidit ſcripturas ſcientibus. Pſal. Lucerna pedibus meis *Pſalm 118.* verbum tuum. Nona eſt ſuſtentatio infirmitatis. multi enim infirmi corruunt. quia non habent adminiculum, quo nitantur. ſtudium vero eſt ad ſuſtentandam infirmitatem. Vnde Plato, Litteras infirmo animo, ſicut baculum infirmo, repertas conſtat. Decima, fortificatio ad labores. Multi propter defectum cibi, deficiunt in laboribus viarum. ſed ſacrum ſtudium, per quod maſticatur panis verbi Dei, corroborat. Pſal. Panis cor hominis confirmet. *Pſalm. 103.* Vndecima, occaſio proficiendi in omni bono. quantum enim homo proficit in charitate, tantũ proficit in omni bono. Cognitio vero Dei, quæ magis, ac magis habetur per ſtudium, facit proficere in eius dilectione. quantum enim agnoſcis, tantum diligis. Quis eſt, qui nouerit ſtatum illorum Ordinum, qui neſciat has vtilitates prouenisse? Ideo Ordinum illorũ amatores, ſolẽt pro ſtudio promouendo zelare non mediocriter.

CAP. CXXXIII.

Philoſophica ſtudia, quomodo à Religioſis tractanda.

SED quid de libris philoſophicis? Reſpondetur, quod quidam fratres omnino ſunt inepti ad proficiendum in illis: quidam vero apti. ſed nõ multum. quidam vero habent aptitudinem magnam ad illa, & ſperatur magnus fructus circa diuinam ſcripturam. Primis, nullo modo permittendum eſt, vt ſtudeant talibus. Secundis, eſt concedendum aliquid, ſed raro. Tertijs vero, ſunt laxandæ habenæ, circa ſtudium huiuſmodi, propter multa vtilia. *Philoſophiæ multi fructus.* Vnum eſt, fidei defenſio. ſicut Hæretici, & Pagani impugnant fidem, ita & quidam per philoſophiã. Propter quod dicit Apoſtolus, Col. 2. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Sicut autem non poteſt ſe defendere à fallacijs, qui nihil nouit in illis; ita nec à talibus philoſophantibus, qui nihil nouit in philoſophia. Vnde Iulianus apoſtata, contra Chriſtianos legem tulit (vt legitur in Eccleſiaſtica hiſtoria) ne liberales artes audirent. Aliud eſt, deſtructio errorum eorum. Apud homines enim ſunt errores multi, & veritates multæ. ſicut in ſerpente venenum, & thyriaca. Et ſicut thy-

riaca eſt efficacior omnibus alijs, cōtra venenum; ita & veritas cōtra errores eorum. quoniam veritates fidei ipſi non recipiunt. Inde eſt quod Auguſtinus in libro de ciuitate Dei oſtēdit, quod Plato, & Porphyrius quædam dixerūt, per quæ error eorum de reſurrectione corporis conuincitur. Plato dicit animas ſine corporibus, non poſſe in ęternū viuere. Porphyrius dicit animam purgatiſsimam, cū redibit ad patrē, nunquam ad hæc mundi mala rediturā eſſe. ponatur vterq; verum dicere; ſequitur quod redibit ad corpus, ſed non miſerum; quod dicit fides de reſurrectione. Tertium eſt, intelligentia ſcripturarum. Innumerabila enim ſunt in textu: in gloſis; in originalibus ſanctorū; quæ impoſsibile eſt intelligere, ſine aliqua ſciētia philoſophica. Et ideo, ſpolijs Ægyptiorum ditantur Hebræi. Quartum eſt, fidei corroboratio. Sunt enim multa apud eos, ad fidei confirmationem multū valentia. Quintū eſt, excitatio ingenij ad ſciendā ſacram ſcripturam. ferrum enim ferro acuitur. Sextū eſt, Ordinis honor. Multi Religioſi contemnuntur, quia ſunt ignari. Septimū eſt, philoſophicę ſcientiæ cōtemptus. Multi enim, qui nō nouerunt ea, quæ ſunt apud Philoſophos, reputant ea maiora, quā ſint. at poſtquam ea nouerūt, non ſapiunt eis, in comperatione Theologiæ. Propter iſta ergo poteſt concedi ſtudium philoſophicū. Sed cauendum eſt ne cuilibet concedatur. Sunt enim in illis libris quædam bona, & quædam mala ſicut in horto, herbæ quædam bonæ, quædam malæ. Bonum eſt, quod dicit Auguſtinus ſe legiſſe in libris Platonis, licet non ijſdem verbis. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Malum eſt, quod legitur apud eos, de reuolutione circulari ✝ in anno magno; & ſimilia multa. Ideo non eſt tutum cuilibet legere, niſi ſciat diſcernere hoc ab illo; ne forte colligat herbas malas pro bonis. Exemplum in Eccleſiaſtica hiſtoria, de Dionyſio Epiſcopo; cui reprehenſo à fratribus, quod legeret libros Hæreticorum, apparuit viſio, dicens. Lege omnia, quæcunq; veniunt ad manus tuas; quia omnia probare & diſcernere potes. Ex quo concluditur, quod ijs, qui neſciunt bene diſcernere, non eſt ſecurum mixta cum bonis, & malis legere: ne forte bonum cum malo colligant. Ideo dicit Theophilus; Lector Originis ita bonum carpat, ne ſpinam attingat.

Exod. 12.

Philoſophia cum delectu tractanda.

✝ id eſt, omnes plane res, eodem numero & modo redituras & manſuras.

Exemplum.

Cap. CXXXIIII. Contra illos, qui negligunt religionē, propter ſtudium.

Circa quartum, nota, quod ſunt quidam, qui propter inordinatum ſuū in ſtudia amorem; omittunt interdū ea, quæ ſunt religionis: modo in ſcribendo: modo in audiendo: modo in legendo; & alijs huiuſmodi ad ſtudium pertinentibus, multipliciter ſe occupando. Sic adhærent ſtudio, vt etiam Obedientiam poſtponant; ſimiles primis parentibus, qui inſtigatione diabolica, propter appetitum

tum ſcientiæ, inobedientiam incurrerunt. Contra quos eſt illud celebre, & præclarum exemplum Marci monachi; qui ad vocem Abbatis, eum vocantis, in auditu auris obediens, reliquit imperfectam litteram, quam ſcribebat. Cum igitur tota Religio conſiſtat vel in obedientia erga maiores, qui ſunt loco Dei; vel in ſanctis affectionibus, quoad proprium animum; vel in fraternis obſequijs, quo ad proximum; quæ omnia huiuſmodi inordinatus amor ſtudij impedit, patet quoniam qui huiuſmodi ſunt, religionem, propter ſtudium, relinquunt. quod eſt valde reprehenſibile. Nam ſcientia ſine virtute, multa mala committit ex occaſione. Multa enim ſunt, quæ non ſunt peccatum neſcienti, quæ ſunt peccatum ſcienti, cum non facit ea, & ſcit facienda. Iacob. 2. Scienti bonum, & nõ facienti, peccatum eſt illi. Item, aggrauat peccata. Greg. Vbi maius eſt donum ſcientiæ, transgreſſor maiori ſubiacet culpæ. Item, conſeruat in peccato. proprium eſt enim ſapientum, illud quod faciunt, licet malum, per ſcientiam ſuam defendere. Item, inducit ſuperbiam. Apoſtolus. 1. Cor. 8. Scientia inflat. Item, indignationem facit erga alios, quos deſpicit. Eccleſ. 1. In multa ſapientia, multa indignatio. Item, inducit ad hæreſim. non enim ſimplices, ſed periti hæreſim confinxerunt. 1. ad Tim. 6. quam, ſcilicet ſcientiam, profitentes; circa fidem exciderunt. Item, per abuſum vertitur in malũ. Bernardus. Quidam ſcire volunt, vt ſciant; & ambitioſitas eſt. quidam autem, vt ſciantur; & vanitas eſt. quidam, vt ditentur; & cupiditas eſt. Item, ſcientia in futuro accuſabit coram iudice. Huiuſmodi enim ſcientes, portabunt litteras, quę oſtẽdunt eos inexcuſabiles ex ignorantia, ſicut lex Moyſi accuſat Iudæos Ioan. 5. Eſt Moyſes qui vos accuſat, id eſt lex Moyſi. Vnde ſequitur; De me enim ille ſcripſit. Item, obligat ad rationem arctiorem reddendam, eo quod plus datum eſt illis. creſcentibus vero donis, rationes creſcunt donorum, ſecundum Gregor. Item, facit reum maioris pœnæ, Luc. 11. Seruus, ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Item, in præſenti decipit. Multi enim, ex ſcientia, quam habent, innitentes prudentiæ, & æſtimantes ſe ſapientes, ſtulti fiunt, & multas ſtultitias faciunt. Eſa. 47. Sapientia tua, & ſcientia tua, hæc te decepit. Itẽ, cito poteſt quis bonus fieri; ſed cũ magno labore ſcientia vix poteſt haberi. Eccleſ. 1. Qui addit ſciẽtiam, addit laborem. Item, multi ex amore ſcientiæ. ſeneſcũt in ſtudio; & nihil boni inde faciunt in vita ſua. Pſal. Corrupti ſunt in ſtudijs ſuis. Ex prædictis patet, quod non eſt aliquatenus Religio quæ eſt ad virtutem, propter ſtudium, quod eſt ad ſcientiam, negligenda.

Exemplum.

Ex ſcientia, ſine virtute, multa mala.

Pſalm. 13.

Religioſorum vitia in ſtudijs

Notandum vero, quod quædam ſunt reprehenſibilia circa ſtudium Religioſorum; quædam circa libros; quædam circa auditores; quædam circa lectores: quædam circa ſcriptorum factores; quædam circa diſputatores. quæ omnia, adnexa ſunt ſcientiæ; & expedit cognoſcere, vt caueantur. quia non poteſt vitari malum, niſi cognitum. Si autem ſcientia omittenda eſt propter religionem, multo magis iſta, quæ ſunt reprehenſibilia circa ſcientiam.

CAP. CXXXV *Vitia cauenda in ſtudijs.*

CIRCA primum, ſciendũ, quod quidam interdũ volunt ſcrutari per ſtudium, ea, quæ non per rationẽ naturalem, ſed per ſcripturam, diuinibus inſpiratam, ſunt patefacta; quæ potius ſunt admiranda, quam inueſtiganda; ſecundũ illud Apoſtoli ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius? Contra quos dicit Eccleſ. 3. Altiora te ne quæſieris, &c. Alij ſunt, qui ſe occupant circa quædam reprehenſibllia magis, quam vtilia. Contra quos Seneca dicit, Quid te torques, & maceras circa illam quæſtionem; quam ſubtilius erat contempſiſſe, quam ſoluiſſe? Alij ſunt, qui nulli rei certæ ſtudent. ſed ſicut qui ſpatiantur per diuerſa loca; ita & ipſi per diuerſos libros vagantur. Contra quos dicit Seneca, Vide ne lectio auctorum multorum, & omnis generis voluminum, aliquid vagum habeat, & inſtabile. Alij ſunt, qui legendo adeo velociter percurrunt omnia, vt vix capiant aliquid de ſententia, & ideo nunquam proficiunt. Nam, ſecundum Catonem, Legere, & non intelligere, eſt negligere. Alij ſunt, qui intelligunt, ſed non retinent; & ideo parum eis prodeſt. ſicut cibus comeſtus, nec retentus in ſtomacho. Contra quod dicit Hieronymus, Diuinæ ſcripturæ iugiter in mente voluantur. Alij ſic illaqueãtur dulcedine quadam ſcientiæ, vt omnia alia prætermittant, licet meliora. Alij, licet creſcant in ſcientia, tamen in opere, parum, aut nihil. Contra quod dicitur Phil. 1. Hoc oro, vt charitas veſtra, magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu. quia quanto maior eſt ſenſus, & ſcientia in homine, tantò plus debet abũdare in operibus charitatis. Exemplũ. Quidam Religioſus venit Pariſios ad audiendam Theologiam. & prima die, qua ingreſſus eſt ſcholas, fuit lectio de illo mandato Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; & proximum tuum ſicut te ipſum. Regreſſus ille ad hoſpitiũ, iuſsit parari equum, vt rediret in patriam. Cum autem ſuper hoc admirantes ſocij, quærerent cauſam, quare tam cito recedere vellet; ait illis. Propono, cũ Dei adiutorio, dare operá, vt faciam quod audiui in hac lectione: & ſufficit

Exemplum.

Deut. 6.

cit mihi tantum ſcire in Theologia omnibus diebus vitæ meæ. Vnde bonorum eſt, ex parua ſcientia, multum facere; non ex multa, parũ. Alij ſunt, qui ſic inſipienter ſtudent, dum finem aliquem non ponunt in ſtudio. Contra quod dicitur, Hierem. 18. Dirigite ſtudia veſtra; ſcilicet ad finem debitum; quod eſt ad gloriam Dei: ſalutem propriam: ædificationem proximi.

Cap. CXXXVI.
Vitia circa libros cauenda.

Circa ſecundum, nota, quod circa libros eſt reprehenſibilis nimia precioſitas; & maxime in libris Religioſorũ: qui maxime debent prætendere paupertatem. Hieronymus vult codices, non tam pulchros, quam emendatos. Item, falſitas, quæ multum impedit profectum in ſcientia. Auguſt. de doctrina Chriſtiana. Codicibus emendandis prius debet inuigilare ſolertia eorum, qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderant. Item, multitudo. Sunt enim quidam, qui habent libros ſufficientes omnibus diebus vitæ ſuæ; nec adhuc ceſſant cumulare libros, & inutiliter conſeruare; in quibus quandoque nunquam legunt. Item, nimia confidentia in libris: propter quam quidam, nihil ſciunt, aut parum. quia nihil poſſunt in corde, confidentes quod in libris ſuis inueniant omnia. Contra hoc eſt verbum Pythagoræ dicentis. Caue, ne armarium doctius habeas, quam pectus. Item, reprehenſibilis eſt nimia affectio ad libros; propter quod multi multa mala incurrunt. Ex hoc enim accidit, vt quando non habent, ſint moleſti, ſuper hoc, Prælatis. cum habent, nolunt alijs mutuare. cum ab alijs, in aliquo maculantur, grauiter perturbantur. cum auferuntur, ferunt impatienter. Horum occaſione cum librarijs litigant pro his adquirendis, amicis & familiaribus, precibus importunis, inſtant. & alia quædam committunt: quæ nunquam fierent, niſi in eorum excederent amore. Non tale reliquit exemplum B. Dominicus; qui adhuc ſæcularis, neceſſarios libros vendidit, & indigenbus precium diſtribuit.

Cap. CXXXVII.
Vitia in Auditoribus cauenda.

Circa tertium, nota, quod quædam ſunt reprehenſibilia circa modum auditorum; quædam circa negligentiam audiendi: quædam circa delectum aliquorum profeſſorum. Porro, circa modum auditorum, ſciendum eſt, quod aliqui ſunt, qui ſic ſunt tepidi circa lectiones, vt, propter modicũ laborem, retrahantur; vt ſi longe oporteat ire eos; vel intemperiem aliquam ſuſtinere, & huiuſmodi. Contra hos poterit ſurgere in iudicio Regina Auſtri: quæ licet tam delicata, & tam nobilis; tamen venit à finibus terræ audire ſapientiá Salomonis. 3. Reg. 10. Alij ſunt, qui licet audiant lectiones tamen raro; quia intermittunt; & ideo non poſſunt proficere. quia lectiones, ſic dependent ab inuicem, vna ex alia, vt, omiſſa vna, amittatur in-

telligentia alterius; & ex vna, intelligitur alia frequenter: ſicut dicit Auguſtin. & Prou. 8. Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie. Alij continuant lectiones; tamen, ita tarde veniunt vt magnam partem lectionis omittant. Contra quos dicitur, Iacob. 1. Sit omnis homo velox ad audiendum. Alij ſunt aſsiſtentes, ſed dormitant, vel corde vagantur: ita vt non intelligant. Contra quos dicitur in Euangelio. *Marc. 7.* Audite, & intelligite. Alij ſic prolixitatem faſtidiunt, vt finem lectionum, nunquam expectent. Contra hos eſt deuotio Iudæorum ad lectionem legis. 3. Eſdr. 9. Eſdras, à prima luce vſque ad veſperam, legebat coram viris, & mulieribus, & dederunt ſenſum ad legem. *Luc. 2.* Alij de dubijs nunquam interrogant. Contra vero, dicitur de Chriſto, Audientem illos & interrogantem eos. Quod conſtat eum feciſſe, vt nos doceret interrogare. Alij ſunt, qui de auditis nihil retinent corde: nec diligenter hauſerunt; nec conferunt; nec ſcribunt. *Deut. 6.* *Ier. 31.* Contra hos dicitur, Audi Iſrael præcepta Domini; & ea in corde tuo, quaſi in libro, ſcribe. Sciendum iterum, quod aliqui omittunt ſtudium, propter cauſas quæ ſunt ex parte Præceptorum. Aliqui enim aliquos fugiunt propter malam vitam. quod non expedit. Etſi enim mala faciant, mala tamen non audent dicere. Auguſt. Audiuntur vtiliter, qui vtiliter non agunt. Aliqui, propter inſufficientiam. ſed non eſt pauperis famelici, non recurrere ad reliquias, quæ dantur in domo diuitis. Alij, propter contemptũ perſonæ, cum eſt iuuenis, vel aliter contemptibilis. Contra hos dicit Salomon, Sapientiam diſcendam à formica. Prouer. 6. Quantum perſona contemptibilis; tantum tua humilitas, & maior, & precioſior. Exemplum in vitis patrum. *Exemplum.* Quidam frater ieiunauit per ſeptem hebdomadas, rogans Deum, vt reuelaret ſibi quoddam verbum in ſcripturis obſcurum. quod cum non fuiſſet ei reuelatum; dedit ſe in viam, vt iret ad quendam fratrem, vt quæreret ab eo ſermonem illum. Et ecce, obuiauit ei angelus, dicens. Septem hebdomadæ, quas ieiunaſti non meruerunt, quod petebas. Nunc autem, quia humiliatus es, vt pergeres ad fratrem, miſſus ſum indicare tibi ſermonem, & indicato ſermone, receſsit.

CAP. CXXXVIII. *Vitia in præceptoribus cauenda.*

Circa quartum, nota, quod circa doctores, quoad actus eorum, eſt reprehenſibilis, & inordinatus appetitus Magiſterij. Aſcenſus enim ad Magiſterium obligat doctorem ad multa de quibus oportebit eum reddere rationem. Iacob. 2. Nolite plures fieri Magiſtri, fratres mei: ſcientes, quod maius iudicium ſumitis. Item, refutatio officij eſt pertinax in eo, qui habet ſufficientiam. Oportebit enim eum reddere rationem de talento abſcondito, Gregor. Secretum

tum quietis diligunt: ſeceſſum contemplationis petunt: de quibus, ſi diſtricte iudicentur; procul dubio tenentur. quia multis, venientes ad publicum, prodeſſe potuerunt. Item, nimia intermiſsio lectionum: quæ multum nocet cordi humano. Cum enim ſit aridum, quotidie rigandum eſt. Luc. 19. Erat quotidie docens in templo. Itẽ, circa ea, quę docent reprehẽſibilis eſt dubietas. Non em̃ ſolũ erronea, & falſa cauenda ſunt in doctrina; ſed etiam dubia, ſecundum Auguſt. dicentem, Tene certum, & dimitte incertum. Apoſtol. ad Tit. 2. Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam. Sana doctrina dicitur, quæ non poteſt eſſe occaſio alicuius morbi. Item, inutilitas. Et ideo, dimiſsis curioſis, vacandum eſt vtilibus. Item, improportionabilitas. Nam, ſecundum Gregor, ſecundum capacitatem auditorum; formandus eſt ſermo doctorum: exemplo Pauli, qui paruulis dabat lac. inter perfectos vero, loquebatur ſapientiam. Item, circa modum, eſt reprehenſibile, cum quis non loci ſententiam, ſed ſuam in exponendo, ſequitur voluntatem. Hieronymus ad Paulinum. Vitioſiſsimum genus docendi eſt, deprauare ſcripturas; & ad voluntatem ſuam, trahere renitentem. Item, inuolutio verborum. Prudentis enim doctrina, facilis eſt. Vnde dicitur, Iob. 38. Quis eſt iſte, inuoluens ſententias? Item, immoderatio. Sunt enim aliqui nimis prolixi; aliqui nimis breues. Contra quod Hieronymus, Nimia prolixitas onerat ſenſum legentium. & immoderata breuitas præſcindit ſtudioſorum deſiderium. Item, iterum aliqui ſunt nimis tardi, in pronunciando; aliqui nimis veloces. Poſtremo, reprehenſibile eſt in doctore, ſuper omnia morum defectus. Propter quod dicit Apoſtolus. Qui alium doces, te ipſum non doces. Tanto enim turpiores apparent deformitates morum ſuorum, quanto lumen ſcientię egrediens de ore ipſorum ea de proximo manifeſtat.

1. Cor. 3.

Rom. 2.

CAP. CXXXIX. Vitia inter diſputandum cauenda.

Dimisso quinto membro diuiſionis ſuperius factæ; circa ſextum, nota, quod triplex eſt diſputatio. ſcilicet Scholaſtica. Eccleſiaſtica, & Extraordinaria. Scholaſtica eſt, quæ in ſcholis magiſtrorũ fit, ad indagationem veritatis. Circa hanc diſputationem, multa interdum accidunt reprehenſibilia. Vnũ eſt, nimia audacia: quia ſcilicet aliqui, minus ſufficientes aperiunt os ſuum. Aliud eſt, nimia taciturnitas, ex nimia puſillanimitate, vel neſcio qua humilitate, vel pigritia prouidendi, vel timore alicuius confuſionis; ſiue alijs de cauſis, aliqui nunquam opponunt, vel reſpondent in ſcholis. Et tamen, eſt tẽpus, loquẽdi, & tẽpus tacendi. Hier. Diſciplina Pytagoricorũ eſt, per quinquẽniũ tacere. Tertiũ eſt, oſtentatio: allegando aliquos ignotos Philoſophos. Quartũ, appetitus vincendi. Sunt enim aliqui, qui puerorũ more, plus intendunt vincere diſputando, quã veritatẽ reperire.

Eccl. 3.

Quin-

Quintum eſt, pertinacia: quæ eſt, quando aliquis, poſtquam incepit adhærere alicui ſententiæ, ſiue vera, ſiue falſa ſit; nunquam auelli poteſt ab ea. Sextum eſt, perturbatio, quæ apparet in modo loquendi, & in geſtibus inordinatis; quæ vitia ſpecialiter vitare debet Religioſus. Septimum, multitudo verborum, præcipue cum in vanum proferuntur. Octauum, nimia inquiſitio rei: cum plene veritas ſciri non poſsit de multis in præſenti. Item, ſunt aliqui, qui videntes aliquos diſputare, ſtatim ſe immiſcent: ſicut canes, qui videntes alios canes rixantes, ſtatim iuuant vnũ: quod eſt ſtultitię ſignum. Prouerb. 18. Labia iuſti non miſcent ſe rixis. Contra vero prudentis eſt, hoc caute declinare. ad Tit. 3. Contentiones deuita. Item, ſunt alij, qui non ſolum immiſcent ſe, ſed totam diſputationem alijs auferentes, ſibi aſſumunt. Prouerb. 26. Sicut qui apprehendit auribus canem; ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixis alterius. Hæc enim natura eſt canis apprehenſi per aurem, vt, ſi rixatur cum alijs, ſtatim dimittat alias rixas, & inſurgat in apprehendentẽ ſuam aurem; & remanet tota rixa inter eos ſolos. Item, quidam adeo ſe clamoſe habent in diſputando, vt non videantur eſſe ex diſcipulis illius, de quo ſcriptum eſt, Matth. 12. Non contendet, neque clamabit, neque audietur in plateis vox eius. Item, ſunt aliqui, qui inutiles ſuſcitant diſputationes; vt de lana caprina, & huiuſmodi. Item, quidam de non pertinentibus ad ſe: vt de bellis Principum. Vnde rex Franciæ, quibuſdam monachis dixit; Vos monachi, ite, & legite pſalmos veſtros; quid vos intromittis in negotia, quæ ſunt inter nos reges? Erat enim tunc bellum inter reges Angliæ, & Franciæ, de quo illi diſputabant. Sunt etiam alij malitioſi; qui intendunt hominem capere in ſermone; vel confundere, oſtendendo ignorantiam eius; vel ad irreligioſitatem ipſum prouocare. Et ideo valde cauendum eſt à talibus. Prouer. 24. Non contendas cum homine peſsimo.

Quales, qui ſe immiſcent diſputantibus.

Exemplum.

CAP CXL.

Ad Religionẽ admittantur apti ad ſtudia.

Restat proſequi de quinto notabili, quod elicitur ex iſto mandato, *Codices*. Nam conuenit, eos eſſe Religioſos, vt ea, quæ ſunt in codicibus, intelligant competenter; cum in eis quotidie legere dicantur, ſecundum præſens mandatum. Sciendum igitur, quod regulariter cauendum eſt, ne perſonæ minus ſufficientes recipiantur in Ordinem, ac Religionem. Cum enim hoc non ſeruatur, fit interdum, vt huiuſmodi perſonæ graues tentationes incurrant; cum vident, ſe non poſſe facere, quod ſocij ſui faciunt; ſiue in prædicando: ſiue in conſulendo; & ſimilibus. Propter quod prohibitum fuit in Lege. Deutronom. 22. Ne aretur in boue, & aſino. quia aſinus

non

non poteſt facere propter debilitatem, quod facit bos. Et ideo in tali ſocietate grauarentur. Item, ſequitur ex hoc periculum non modicum animarum. cum oporteat interdum tales exponi, ex quadam neceſsitate, ad ea, quæ alij faciunt, circa animarum ſalutem. Et ideo cum ſint cæci, & cæcos ducant, ambo in foueam cadunt. Item, ſequitur Ordinis contemptus. Sicut enim, propter perſonas venerabiles Ordo honoratur; ita propter contemptibiles, contemnitur. Item, multi magni viri propter hoc reſiliunt à propoſito veniendi ad Ordinem. Item, ſequitur ruina Ordinis, ſubtractis lapidibus grandibus; ſicut dicitur de domo ſuper arenam fundata, Matth. 7. Sed ſciendum, quod plus, & minus oportet hoc obſeruare, pro tempore. & loco. quia ſicut in fundatione Eccleſiæ, Dominus dedit viros magnos, ſcilicet Apoſtolos; ita in fundatione Ordinis à principio, ſolet inſpirare viris magnis, vt ad eũ ſtabiliendum, intrent huiuſmodi homines; quales, poſt lapſu temporis, non ingrediuntur. & ideo, niſi reciperentur minus ſufficientes, nulli reciperentur pro loco. quia aliquæ ſunt regiones, quæ non abundant perſonis multum ſufficientibus, & ideo oportet in illis, minus ſufficientes recipere, & poſtea enutrire diligenter. Nam & in fundatione humani generis, Deus primos parentes fecit perfectos ætate, & ſcientia. Sed poſtmodum oportebat ipſos, & ſucceſsores eorum, laborare circa filios deducendos ad perfectum. Sic etiam fecit Chriſtus, in principio Eccleſiæ, dans magnos viros: quos ipſemet perfecit ſcientia, & virtutibus. Sed poſtmodum, oportuit Eccleſiã magnam curam adhibere, vt haberet, ſimiles ſucceſſores: ſicut etiam faciunt ædificantes, qui non ſemper exſpectant, vt apportentur eis lapides expoliti, & ligna leuigata: ſed huiuſmodi elaborant, vt faciant apta operi ſuo.

Matth. 15.

Religiones propter imperitiã contẽnuntur.

Non vbique eadem l. x in admittendo.

In Cap. XXIIII. Regvlæ Vgo.

Vestimenta *vero, & calceamenta, quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.* Hoc eſt, quod ſuperius dictũ eſt, vt ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. ne quãdo differunt neceſſaria. dare, faciant fratres murmurare; & fiant occaſio peccati. Studeant ergo ſeruire fratribus ſuis, propter Deũ: & neceſſaria, congruis temporibus, miniſtrare. Et hoc faciant ſine murmure; ſine triſtitia; ſine dilatione;

Diligenter & religioſe tractanda veſtis Religioſa.

2. Cor. 9. tione; cum gaudio, & hilaritate. quia hilarem datorem diligit Deus. vt omne, quod opus eſt eis, ſecundum modum congregationis, & & poſsibilitatem loci, habeant. & eis, qui ſeruiunt ſit maior exinde merces à Domino. In indumentis vero, & calceamentis clericorum, congruus ſeruandus eſt modus: ne precioſa, vel nitida, ſupra modū ſint, aut nimis abiecta, & vilia. nec habentia cōpoſitionem, plus quā decet: nec incompoſitionem vltra quam oportet. Talia ergo ſint, vt Religionē ſimul commendent, & honeſtatem. Caueant ergo, fratres, quibus neceſſaria miniſtrantur: ne quid expetaut importune, aut quod non deceat eorum Religionē. Nam quidquid ſuperfluum habent, mortiferum eſt illis. Perpendant ergo, quoniam ea, quæ expendunt, oblationes ſunt fideliū, pro redemptione peccatorum. Et ideo, non glorientur talibus vti, ſed magis timeant, quod in veteri teſtamento de ſacerdotibus dictum eſt; Leu. 10. Iniquitatē populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore ſoliciti ſint ſuper eos, quorum donis participant: quia magnum eſt periculum. Salubrius eſt autē pauperes Chriſti, ſicut iam prædictū eſt, ſemper minus egere, quam plus habere. Nam vnde pauperes erimus, niſi penuriam, propter Deum, æquanimiter portemus? Quantū ergo meminimus nos illicita cōmiſiſſe, Matth. 7. tantum oportet à licitis abſtinere. per anguſtam enim portam intrare debemus, vt ad latitudinem cæleſtium gaudiorum pertingere valeamus. Nam quanto arctiorem vitam hic agimus, tanto maiorem gloriam poſsidebimus in cælo.

VMBERTVS.

CAP. CXLI. De neceſſariis ſine mora miniſtrandis.

V*Eſtimenta vero & calceamenta, quando indigentibus fuerint neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt: quæ poſcuntur.* Ex hoc mandato tria eliciuntur. Primū eſt, quod miniſtri cauere debent, ne protrahant moram, in eis, quæ tradenda ſunt. Propter quod dicit, *dare non differant.* Secundum eſt, quod hoc reſtringendum eſt ad neceſſaria tantum. quia alia nec peti debent, nec tradi. Et ideo dicit, *quando indigentibus fuerint neceſſaria.* Tertium eſt, quoddam notabile, circa horum cuſtodiam, cū dicit, *ſub quorum cuſtodia ſunt quæ poſcuntur.* Circa primū, nota, quod ad Officiales tria pertinent, vt faciant bene ſua officia. Primū eſt, vt ea faciant diligenter. Propter quod dictum eſt ſupra, *Omnia autem opera veſtra in vnum fiant, maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſinguli faceretis propria,* Aliud eſt, vt ſeruiant ſine murmure. Et ideo iterum

rum dictum eſt ſupra, *ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis*. Aliud eſt, vt tradant tradenda. Nota circa primum principale, quod non debet Dei ſeruus eſſe moroſus in tradendis neceſſarijs, fratribus: & hoc propter fratrem, ne eum affligat; propter ſeipſum, ne ſeruitij ſui gratiam amittat; & ne apud Deum minus meritum habeat, quia ſecundum Gregor. cor, Deus, non ſubſtantiam penſat: nec perpendit quid in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Et Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere; & cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare. *Miniſtri non ſint moroſi.*

Circa ſecundum, notandum, quod licet circa omnia cauenda eſt ſuperfluitas viris Religioſis; tamen, magis circa veſtimenta, & calceamenta. Narrauit Magiſter Iordanus (qui fuit diſcipulus B. Dominici, & Generalis Ordinis Prædicatorũ) me audiente, quod duo Religioſi familiares valde in Domino, condixerunt, vt qui prius moreretur, rediret ad alterum, & diceret ei de ſtatu ſuo. Contigit autem vnum, ante mortuum, redire ad alterum. Videbatur autem viuenti, ille mortuus in claritate magna eſſe à capite ad cingulum: at inferne in magna obſcuritate. Et, cum quæreret ille à defuncto, quid hoc eſſet, cum continens fuiſſe putaretur. Non eſt, inquit, propter hoc; nam virginitatem ſeruaui per Dei gratiam. ſed quadam die, quando fuerunt mihi datæ caligæ nouæ, tradidi obliuioni reddere veteres: & ideo punior in tibijs. Sed obſecro te, vt vadas ad lectum meum. inuenies eas in tali loco, & redde eas. & ſic diſparauit. *Cap. CXLII. Superflua in veſtiũ, cauenda. Exemplum.*

Circa tertium, nota, quod aliquis locus ſpecialiter debet haberi ad veſtium cuſtodiam deputatus. Et huius eſt triplex ratio. Prima eſt, ne veſtes dimiſſæ pereant. Si enim hoc cauendum eſt in fragmentis panis, ſecundum verbum Domini: Ioan. 6. multo magis in his, quæ pluris valent. Secunda eſt, ne ſingularem ſolicitudinem, quam Dominus inhibet circa veſtimenta, Matth. 6. quilibet cogatur habere de ſuis, cum eas dimittit: cum ſit communis cuſtodia. Tertia, ne ab externis, lectiones fratrum viſitantibus, videantur multa in multis locis, quæ oculos eorum offendant: cum ſecundum Regulam cauendum ſit, ne aliquid in fratribus videatur, quod offendat intuitum aliorum. *Cap. CXLIII. Veſtis Religioſa vno loco aſſeruanda.*

In Cap. XXV. Regulæ Vgo.

LITES, *aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira creſcat in odium*, vſque, *qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Sic paulatim ſæpe creſcunt vitia, cum ab otioſo verbo linguam reſtringere nolumus, ad noxia dilabimur: inde aliquando ad murmura, & detractiones decidimus. plerumque etiam vſque ad lites, & contentiones. inde ad iram, & odium: & iuxta Salomonis vocem. dum negligimus corrigere minima, prolabimur ad maiora. Dum ergo vitium ex vitio oritur, iniquitas prolongatur. Hinc propheta ait. Væ qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis. Et Pſalm. Prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. Primum eſt ergo omnino cauendum peccatum. Melius eſt enim præcauere, quam emendare. Quod ſi per fragilitatem peccare contigerit, facile culpa corrigitur, quæ cito cognoſcitur. Hinc eſt, quod Dominus de muliere ad ſerpentem dicit. Ipſa conteret caput tuum. Caput ſerpentis cõteritur, quando peccatum ibi corrigitur, vbi naſcitur. Debet ergo quiſque eſſe ſolicitus, vt mox ibi ſe ſtudeat emendare, vbi ſe nouerit deliquiſſe. Quantũ intereſt inter feſtucam, & trabem; tantũ intereſt inter iram, & odium. Odium enim eſt inueterata ira; quæ, quaſi ex vetuſtate, tantũ accepit, vt merito vetus appellaretur. Fieri enim poteſt, vt ſi iraſceris homini, velis etiam corrigi: Si autẽ oderis, non potes eum velle corrigere. Per iram, mentis oculus turbatur; per odium, etiam extinguitur. Vnde Apoſtolus. Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. Nulli iraſcenti videtur ira ſua iniuſta. Vnde de omni indignatione, cito redeundũ eſt ad manſuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus, facile in eius odiũ tranſit; cui non celeriter ignoſcitur.

Diſcordiæ, pro virili, cauendæ.
Eccli. 19.
Eſaie 5.
Pſal. 128.
Gen. 3.
1. Ioan. 2.

VMBERTVS.

LITES, *aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca: & animam faciat homicidam. Sic enim legitis. qui odit fratre ſuum homicida eſt.* Hic incipit ſecundum quoſdam, quintum capitulũ Regulæ: in quo de ijs agitur, quæ pertinent ad Religionẽ, quatenus eſt ſtatus fraternitatis. Porro, ad Religionem, quatenus eſt ſtatus huiuſmodi, pertinet fraterna dilectio. Vt autem hæc ſemper vigeat inter Religioſos, modo debito; cauendum eſt eis ab illis, quæ eam perturbant. Item, laborandum eſt eis, vt turbata reparentur. Item, ſciendum eſt eis, qualis eſſe debeat. & ideo in hoc capitulo ponit mandata circa hæc tria. Primum hic. ſecundum ibi, *quicunque autem.* tertium ibi, *non autem carnalis.* Porro, turbatio dilectionis fraternæ, ſolent eſſe lites. Et

Quintum capitulum Regulæ De litibus cauendis.
1. Ioan. 3.

Et ideo, circa iſtas, ponitur hic mandatum; & continet duo. Vnum eſt, de cauendis litibus. propter quod dicit, *lites, aut nullas habeatis.* Aliud eſt de terminandis, ibi, *aut quam celerrime finiatis.*

CIRCA primum, nota, quod litigare non eſt res, quæ deceat viros. Seneca litigare muliebre eſt. Item, potatorum eſt, commorantium in tabernis. Prouerb. 23. Cui rixæ? nonne his, qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Item, dæmoniacum eſt. Auguſtinus. Nihil eſt ſimilibus actibus dæmonum quam cum litigare non erubeſcunt. Legitur in vitis patrum: quod dictum fuit S. Machario, qui fuit excellentiſsimæ vitæ, nondum veniſſe illum ad menſuram duarum mulierum, quæ erant in ciuitate. Et cum veniſſet illuc, & requiſiuiſſet de vita earum, inuenit quod erant vxores duorum ftatrum; & quindecim annos ſimul commoratæ fuiſſent, & nunquam litigaſſent inter ſe. Sciendum, quod tria ſolent eſſe occaſio litium. Primum eſt, rerum proprietas. quia vnus dicit hoc eſt meum; & alter, meum. Seneca. Quietiſsime viuerent homines, ſi tollerentur iſta duo pronomina, meum, & tuum. Aliud eſt, carnalis neceſsitas. vt cum non prouidetur alicui, ſicut caro requirit. Iacob. 4. Vnde lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Tertium eſt, ſuperbia. Prouer. 13. Inter ſuperbos, ſemper iurgia ſunt. Quam longe ergo debent eſſe lites à Religioſis, qui nihil poſſunt habere proprium; qui debent eſſe, ex toto, ſecundum carnem mortificati: & ſumme humiles ſpiritu? Vnde Apoſtolus. Seruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Porro ad cauendas lites, ſunt multa remedia. Primum, refrænatio interioris commotionis, per ſilentium. Cum enim quis dimittit habenas linguæ fit ſeminarium iurgiorum; ſicut dicitur Prouerb. 17. Et contra, qui continet huiuſmodi impetum, cauſa eſt quietis, & pacis. Et ideo bene dicitur Eccleſiaſt. 28. Ne ſtruas ligna in ignem linguati. quod fit, cum habentur cum eo verba litigioſa. Tertium eſt, deuitatio verborum habentium materiam litigioſam. 2. Tim. 2. Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quod generant lites. Quartum eſt, cauere ab illis, quæ ſunt occaſio litis, vt iactantia. Prouerb. 28. Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia excitat. Item, deriſio. Prouerb. 22. Eijce deriſorem; & exibit cum eo iurgium. Item, iracundia. Eccleſ. 28. Homo iracundus, intendit litem. Item, peruerſitas. Prouerb. 26. Homo peruerſus, ſuſcitat lites.

CAP. CXLIIII.
Litigioſi, quales.
Exemplum.
Litium occaſiones.
2. Tim. 2.
Quomodo caueantur lites.

CIRCA ſecundum, nota, quod quando lis orta, non cito terminatur, ſumit magnũ damnum: ſicut de igne, quando accenſus, nõ cito extinguitur. Et ideo B. Auguſtinus, circa terminationem, duo ponit

CAP. CXLV.
Multa mala, niſi lites ſopiantur.

ponit.videlicet vt terminetur, nō ſolum cito, ſed etiam celerrime. Et cauſam ſubiungit, dicens, *ne ira creſcat in odium.* Qantum autem malum ſequatur ex ira creſcente in odium, oſtendit per duo, quæ ex hoc ſequuntur. ſcilicet excitatio animæ in iudicando. Propter quod dicit, *& trabem faciat de feſtuca.* Aliud eſt, homicidium eiuſdem. ideo addit *& animam faciat homicidam.* Quod probat per illud. 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Porro ad terminandam litem exortam, multa ſunt, quibus ſolent vti viri ſancti. Vnum eſt, vt recedant caute de loco, in quo lis eſt. Exemplum de quodam philoſopho, cui cum quidam malediceret, dixit, Vt tu linguæ tuæ; ita & ego, aurium mearum dominus ſum. Aliud eſt, vt imperent ſibi ſilentium, ponentes cuſtodiam ori ſuo, dum conſiſtit aduerſus eos litigator. Prouerb. 26. Qui imponit ſtulto ſilentium; iras mitigat. Aliud eſt. vt reprimant impatientiam ſuam. ita vt nec verbo, nec ſigno; nec facto videantur moueri. Prouerb. 15. Qui patiens eſt, mitigat rixas ſuſcitatas. Aliud eſt, dulcis reſponſio. Prouerb. 15. Reſponſio mollis, frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. Aliud eſt, vt cedant cauſæ litis. Exemplum de Abraam. qui receſsit à Loth. Aliud eſt, vt ſe humilient erga iniuriantē, petentes veniam ab eo. Et nota, quod niſi cito terminētur lites: in corde, ſequitur odiū, quod excæcat animam. In ore, malum verbum, quod offendit proximū. In opere, percuſsio.

Quæ valent ad dirimendas lites.

Pſalm, 38.

IN CAP. XXVI REGVLÆ VGO.

CAP. X. *Venia & remiſsio neceſſaria.* *1. Cor. 6.* *Matt, 5.*

QVICVNQVE *conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læſerit; meminerit ſatisfactione quātocyus curare, quod fecit; & ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione, dimittere.* Grauiter offendit, qui conuitio, vel maledicto aliquē lędit. Apoſtolus ait. Maledici regnū Dei non poſsidebūt. & Dominus in Euangelio Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennę ignis. Debet ergo, ſicut grauiter deliquit, grauiter pęnitere: atq; ab eo quē lęſit, toto corde, tota humilitate, veniā poſtulare. Et ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione, dimittere. Iſidorus. Qui fratrē ſuū ſibi tardius recōciliat, Deū ſibi tardi' placat. Fruſtra enim ſibi Deū reconciliari quęrit, qui cito placare proximū negligit. Sed ſunt quidā, qui de ſuis meritis cōfidentes. pigre in ſe delinquentibus veniā pręſtant & nihil proficit eſſe illęſum à culpa, qui nō eſt paratus ad veniā: dū potius hęc magna ſit culpa, quādo tardius laxantur fraterna delicta. Veritate teſtāte didicimus, quod ſeruus, qui decē millia talenta debebat, cū pænitētiam ageret, abſolutioē debiti à Domino accepit, ſed quia cōſeruo ſuo, centum

Matth. 18.

rũ denarios ſibi debẽti, debitum non dimiſit: hinc iuſſus eſt reddere, quod ei fierat iam dimiſſũ. Ex quibus verbis cõſtat, quia ſi hoc, quod in nobis delinquitur, ex toto corde, nõ dimittimus; & illud rurſum exigitur, quod nobis, iam per pænitentiã, dimiſſũ fuiſſe gaudebamus. *Si antẽ inuicẽ ſe læſerint, inuicẽ ſibi debita relaxare debebũt.* vſq; *tanto ſanctiores habere debetis.* Quotidie dicimus Deo. dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribꝰ noſtris. Quod ſi debitoribꝰ noſtris, id eſt eis, q in nos peccãt nõ dimittimus; cũ dicimꝰ Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimꝰ; ipſi inducimus maledictionẽ potius, quã benedictionẽ. Sicq; fit vt oratio, quę debebat eſſe nobis ſalubris fiat noxia, & peccata noſtra, quæ debuimus minuere orãdo, augeamus. De quotidianis autẽ leuibꝰ, breuibuſq; peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fideliũ ſatisfaciet. Eorũ eſt eiñ dicere. Pater noſter qui es in cælis. quia iã tali patri regenerati ſunt ex aqua & ſpiritu ſãcto. Delet õnino hęc oratio minima, quotidianaq; peccata. Delet & illa, quibꝰ & vita fideliũ, etiã ſcelerate geſta, ſed pænitẽdo in melius mutata, diſcedit. Sed quẽadmodũ veraciter dicit, dimitte nobis debita noſtra, quoniã nõ deſunt quę dimittãt; ita veraciter dicatur ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Idẽ fiat, quod dicitur. qa & ipſa eleemoſyna, eſt veniã petẽti homini ignoſcere. Multa quidẽ genera ſunt eleemoſynarũ, quas cũ facimus, adiuuamur, vt dimitãttur nobis peccata noſtra. Sed ea nihil eſt maius, q̃ua ex corde dimittimꝰ, quod in nos quiſq; peccauit. Minus magnũ eſt, erga eũ beneuolũ eſſe, ſiue etiã beneficũ, qui tibi nihil mali fecerit; illud multo grãdiꝰ, & magnificentiſsimę bonitatis eſt, vt tuũ inimicũ quoq; diligas; & ei, qui tibi malũ vult, ſemper bonũ velis: facias quoq;, quod poſsis: audiẽs dicẽtẽ Ieſũ. Diligite inimicos veſtros; benefacite his, q oderũt vos: & orate pro eis, qui vos perſequũtur. Sed quorũ perfectorũ ſunt iſta? filiorum Dei, quo ſe debet omnis fidelis extendere: & humanũ animũ, ad hunc affectũ, orãdo Deum, & ſecum agendo, lucrãdoq; perducere. Tamẽ, quia hoc tã magnũ, tantæ multitudinis nõ eſt, quantã nos credimus exaudiri, cũ in oratione dicitur, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribꝰ noſtris, procul dubio ſpõſionis huius verba implẽtur, ſi homo, qui nõdum ita profecit, vt etiam diligat inimicũ, tamẽ quando rogatur, ab homine, qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde; quia etiam ſibi roganti vtiq; vuult dimitti, cum orat, & dicit: dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. id eſt ſic dimitte nobis rogãtibus. Iã vero qui eũ, in quẽ peccauit hominẽ rogat, an peccato ſuo mouetur, vt roget, nõ eſt adeo deputãdꝰ inimicꝰ, vt eũ diligere ſit difficile; vt difficile erat, cũ inimicitias exercebat. Quiſquis autem

Matth. 6.

Remiſſio iniuriæ, maxima eleemoſyna.

Matt. 5.

roganti,

roganti,& peccata ſua pœnitenti,ex corde,non dimittit; nullo modo æſtimet à Domino peccata ſua dimitti,quoniam mentiri veritas non poteſt,quæ ait.Si dimiſeritis hominibus peccata eorum;dimittet vobis & pater veſter cæleſtis delicta veſtra. *Melior eſt autem, qui quamuis ira ſæpe tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam.* vſque,*tardius inclinatur.* Nonnullos ira citius accendit, & facilius deſerit. nonnullos vero tarde commouet, ſed durius tenet.alius autem,quod nequius eſt, & citius iracundiæ flammas concipit,& tardius deponit. nonnulli vero, has,& tardius ſuſcipiunt & citius amittunt. In quibus nimirum liquido lector agnoſcit,quia ad tranquillitatis bonum,vltimus,plus quam primus accedit;& in malo,ſecundum,tertius ſuperat.Quanta ſit ergo iracundiæ culpa penſemus; per quam dum manſuetudo amittitur; ſimilitudo ſupernæ imaginis vitiatur.per iram iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptũ eſt. Ira viri iuſtitiam non operatur. per iram, gratia vitæ ſocialis amittur.ſicut ſcriptum eſt.Noli eſſe aſsiduus cum homine iracundo; ne forte diſcas ſemitas eius; & ſumas ſcandalum animæ. Nam, qui ſe humana ratione non temperat; neceſſe eſt vt beſtialiter ſolus viuat. Aliquando autem ira manus non exerit; ſed in maledictionis iacula linguam vertit. Nonnũquam vero,dum accenſus animus à conſueta locutione reſtringitur;per acceſſum temporis, à proximi dilectione ſeparatur, & acriores ſtimuli ad mentem veniunt;cauſæque, quæ grauius exaſperent, oriuntur; atque in irati oculo,feſtuca in trabem vertitur;dum ira in odium permutatur. Veremur à proximis deſpici. dedignamur iniurias verbi tolerare. ſi contingat iurgium fortaſſe cum proximo,erubeſcimus priores ſatisfacere. Cor quidem carnale, dum huius vitæ gloriam quærit, humilitatem reſpuit.& plerumque ipſe homo, qui iraſcitur, diſcordanti ſibi reconciliari appetit.ſed ire ad ſatisfaciendum prior erubeſcit,Penſemus ergo facta capitis noſtri; vt videamus quo loco iaceant noſtræ prauitatis errores. Ecce inter nos,& Deum, peccando, diſcordiam fecimus; & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, vt nos ipſi, qui peccauimus, ad pacem Dei reuocemur. Erubeſcat ergo humana ſuperbia,& confundatur quiſquis, ſi non ſatisfaciat proximo: quando poſt culpam noſtram, vt ei reconciliari debeamus,& ipſe qui offenſus eſt, legatis interuenientibus, obſecrat Deus. *Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt Monaſterio; etiamſi inde non proijciatur.* Cum Dominus tantum curæ reconciliationis noſtræ habeat,vt pati atur munera ſua relinqui ante altare, & imperfecta manere, atq; interrumpi miniſteria ſua, donec tu eas, & reſoluas iracundiam, & diſiungas

Matt. 6 — *Ira,perniciosa.* — *Iac. 1.* — *Prouerb. 22.* — *Superbia impedit veniæ petitionem.* — *Contra retardantes reconciliationem.*

iungas inimicitias cum fratre tuo; nos, nec hoc ipſum erubeſcimus; ſed dies multos patimur manere inimicitias,& trahimus, ſicut fune, longam diſcordiā. Non iracundos tantum,& malitiæ memores punit Deus; ſed & eos, qui iraſcentes, aut offenſos patres negligunt, atque contemnunt. quoniam quidem, ijs, qui paſsi ſunt, & videntur pati iniurias, neceſſario dolent, & iraſcuntur: qui vero fecerunt nec doloris aliquid, nec iracundiæ gerunt. Ob hoc ergo, hunc, qui ab iracundia liber eſt, adducit ad illū qui in dolore eſt, & liber non eſt; oſtēdens quod criminis huius noxa penes hunc magis eſt: quoniam cauſam peccati dedit. ſed, ne ſic quidem, emendamur. Perſiſtimus enim, pro rebus nullis, contriſtare fratres noſtros. &, quaſi nihil mali fecerimus, ſatisfactionem negligimus, & obliuioni tradimus culpam, atq; in longū tempus protrahi patimur; ignorantes, quod tanto largior nobis erit pœna, quanto longior diſcordia. Vbi enim amicitia permanet, nihil facile recipitur: nihil facile creditur, quod diſsidiū poſſit operari. Si verò ſemel inimicitiæ occupauerint, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, ita intelliguntur, vt ad maiores,& longiores proficiant inimicitias. Si quid autem mali; hoc ſolum creditur, & confirmatur. Iubet ergo Dominus relinqui donū *Matth. 5.*
ante altare,& prius reconciliari fratri; vt ex hoc diſcamus, quia ſi nec illo in tempore, quo ad miniſterium Dei iubemur accedere, reconciliationem diſsimulari, ac differri patitur Deus; quanto magis curari hæc in alijs temporibus iubet. Si forte accidat iraſci, mandatur, vt, ſub die, ortam iracundiam noſtrā, vel inimicitias noſtras finiamus. Hoc enim conſtringimur præcepto, quo ait, Sol non occidat ſuper *Epheſ. 4.*
iracundiam veſtram. Nos è contra, nec hoc contenti ſumus, vt iracundiam, vltra ſolis terminum, producamus; ſed & inſidias inuicem ſtruimus; ſiue rebus, ſiue verbis ſupplantare cupiētes; proximos mordentes inuicem & comedentes: quod vtique aperta inſania eſt. Quid autem aliud faciunt inſani,& dæmone repleti, niſi membra ſua morſibus dilaniant. Fruſtra eſt ergo in Monaſterio, qui diſcordat cum fratre ſuo, quia nec Deum placat ſacrificijs, nec proficere valet operibus bonis. *Proinde vobis à verbis durioribus parcite.* Salomon. Re- *Prouerb 15.*
ſponſio mollis frangit iram: ſermo durus excitat furorem. Itemque, *Eccli. 6.*
Dulce verbum inimicos mitigat, & amicos multiplicat. Et Paulus. *Gal. 6.*
Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Caueant ergo viri ſancti à verbis duris. *Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro:* *A verbis laceſſentibus cauendum.*
vſq;, *facta ſunt vulnera.* Primum quidem ſummopere caueamus, ne duris verbis aliquem perturbemus. Quod ſi aliquando peccamus ex fragilitate, oportet continuo ad ſatiſfactionem venire. Et contra ſer-

motus fuiſſe lingua vxoris, dicens ei. Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. Quilibet autem tenetur ſatisfacere læſo. Apoſtol⁹, Ephes. 4. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Exemplũ in vitispatrũ. Abbas Agathon ſolebat dicere, Nunquam dormiui in lite, nec litem habentem mecum, dormire permiſi, quantũ ad virtutem meam pertinet, niſi in pace prius reuerterer cum eo. Triplex autem poteſt eſſe huiuſmodi ſatisfactio. Vna eſt, per verba: cum quis petit veniam ab offenſo. Sic faciebat Auguſt. ſcribens Hieronymo, & dicens. Obſecro te, per manſuetudinem Ieſu Chriſti, ſi læſi te, ignoſce mihi. Alia eſt per corporis humiliationem. Sic fecit Semei Dauid, cui maledixerat. 2. Reg. 19. proſtratus coram eo dixit ad eũ. Ne reputes mihi ad iniquitatem, neque memineris iniuriam ſerui tui. Alia eſt, per obſequia, ſicut Iacob voluit muneribus placare fratrem ſuuum Eſau. Apoſtolus, Rõ. 12. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. ſi ſitit, potũ da illi. quaſi diceret. per hoc placabis eũ: & redibit amicitia. Quæritur vero hic, An offendens teneatur reconciliare ſe fratri ſtatim, antequam accedat ad offerendum aliquid Domino, in altari: cum hoc videatur Dominus mandare, Matt. 5. Reſpondetur, quod ſi eſt abſens; ſufficit offendenti propoſitum ſatisfaciendi, ſine mora, cum poterit: ſicut in reſtitutionibus fit. nec oportet in hoc caſu, vt vadat pedibus; ſed ſufficit animo, ſecundum Auguſt. Si vero eſt præſens: aut offenſa eſt leuis, ita vt non credatur offenſus grauiter turbatus; & tunc poteſt differri ſatisfactio, vſque ad tempus moderatum. Si vero grauis, debet ſine mora ſatisfieri. Quæritur item: Si quis alij aliquam culpam impoſuit, & lęſus non vult accipere ſatisfactionem à lædente, niſi dicat ſe mentitũ fuiſſe; nunquid tenetur adhoc lędens? Reſpondetur, quod, ſi offendẽs ſcit ſe dixiſſe verũ, nullo modo debet dicere contrariũ; nec hoc debet ab eo requiri. Si autem ſcit, vel credit ſe dixiſſe falſum, vel dubiũ; vt ſcit, ſic reſtituere tenetur. Poteſt tamẽ adijcere aliqua alleuiantia culpam ſuã; videlicet quod ex animi perturbatione hoc dixit: vel quia ita audierat: vel credebat eſſe, licet modo reputet falſum. Ad hoc autem, vt dicat ſe mentitum fuiſſe, non tenetur. quia per hoc reuelaret ſecretum mentis ſuæ, & peccatum ſuum; quod ſibi multum noceret, & alijs non prodeſſet. atq; ita reſtauratur alij fama, per hoc quod, recognoſcit ſe falſum dixiſſe, ſicut ſi diceret ſe mentitum fuiſſe.

Ira deponenda. *Exemplum.* *Satisfactio tribus modis.* *Gen. 32.* *An ſtatim curanda reconciliatio.* *An retractatio, neceſſaria.*

CIRCA ſecundum, nota, quod quidam inueniuntur, qui ita ſunt alieni à remitenda iniuria, vt vix, vel nunquã poſſint adduci ad remittendũ. Iſti vere, non ſunt viri Chriſtiani, qui inungũtur ad habendũ cor molle ad pietatem: ſed ſunt ſicut Iudæi, ſine vnctione, duri ad vindictam; volentes oculum pro oculo: dentem pro dente. Immo

CAP. CXLVII. *Iniuria neceſſario remittenda.*

Iudit 3. ſunt, ſicut Holo fernes, de quo dicitur, quod ferocitatem animi eius mitigare nemo poterat. immo, quod peius eſt, ſicut diabolus, de quo dicit Greg. quod nullo poteſt placari obſequio. Contra hos, eſt quod dicitur de Cæſare, quod nullius ſolebat obliuiſci, niſi iniuriarum. Vnde Seneca. Remedium iniuriarum, eſt obliuio. Scriptum eſt etiam apud naturales, quod leo parcit proſtratis. Item, ſanctorum eſt non ſolum remittere, ſed etiam benefacere inimicis. vt dicitur, Mat. 5. Item, Chriſtus orauit pro crucifigentibus, dicens. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. (Luc. 23.) Præterea, qui non remittit proximo; nec Deus remittet ei peccata ſua. Matth. 6. Si non dimiſeritis hominibus; nec pater veſter cęleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Immo, quod peius eſt, dimiſſa repetit: vt patet in Euangelio de ſeruo nequã. Matth. 18. Imo, quod magis timendũ eſt, cũ graui pęna extorſit, eum tradens tortoribus. Ideo dicitur, Eccle. 3. Cor durum, ſcilicet ad remittendum, male habebit in nouiſsimo, qui ſcilicet non inueniet remiſsionem. Sed ſunt aliqui, qui diſcutientes culpas offendentium, multã pretendunt difficultatẽ: modo, quia grauis eſt offenſa: modo, quia multę ſunt; modo, quia multoties commiſſæ, & remiſſæ. Non ſic facit Dominus: qui & magna dimittit, Ioel. 2. præſtabilis ſuper malitia. Malitia enim ſonat culpã grauem: & multa etiã dimittit. Eſai. 55. Multus eſt ad ignoſcendum. Item, multotiens. Matt. 18. Non dico tibi, Petre, ſepties; ſed vſque ſeptuagies ſepties.

Si autẽ inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras:: quas vtiq, quanto crebriores habetis, tanto ſanctiores habere debetis. Tradito mandato circa reparationem charitatis fraternæ turbatæ, ex culpa alterius: ponit hic mandatum, circa idem, cum turbatio procedit ex turba vtriuſq;. Continet autem hoc mandatum tria. Primo ſubſtantiam mandati. ſecundo, cauſam. tertio, cauſam cauſæ. Secunda, ibi, *propter orationes veſtras.* tertia, ibi, *quas vtique.* Circa primum, ſciendum, quod aliter ſe habent ad inuicem mali; aliter boni. Mali enim, male ſe habent corde, per inuidiã. Gal. 6. Inuicem inuidentes. ore, per mutuam corroſionem. opere, per iniurias. quandoque etiam, male iudicando vel mentiendo, vel mutuo ſe defraudando. E conueruerſo, boni bene ad inuicem ſe habere debent. & hoc multis modis. debent enim ſenſum ſuum alijs conformare, & de ipſis ſolicitam curam gerere, tanquam eiuſdem corporis membris. de altero meliora ſentire. onera mutuo patienter portare. beneuolentiam ſibi mutuo exhibere. honore inuicem præuenire. Propter Deum ſe illis ſubijcere. ad bonum ſe inuitare. diligi ſe ab alijs, deſiderare. mutuas offenſas liberaliter relaxare.

Malorum & bonorũ diſcrimen in affectu.

Circa ſecundum, nota, quod tria ſunt præcipue, quæ impediunt orationis effectum. Primum eſt, peccati grauis conſcientia. Qui enim cum tali peccato, cuiûs eum non pænitet, accedit ad orandum, quomodo à Domino obtinebit aliquid, cum illud ante oculos deferat, quod ſumme eum offendit? Pſalm. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Secundum eſt, immiſericordia. Prouerb. 2. Qui obdurat aurem ſuam ad vocem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur. Tertium eſt, crudelitas in alterum. Eſa. 1. Cum multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam. manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. *Cap. CXLVIII. Tria impediunt orationem. Pſalm. 65.*

Circa tertium, nota, quod viri ſpirituales debent in orationibus ſuis ſpecialiter habere tria. ſcilicet, mentis intentionem. Apoſtolus. Orabo Spiritu. Et ad hoc induxit Auguſtinus ſuperius, cum dixit, *cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* Item, frequẽtia aſsiduitatis. Apoſtolus: Orationi inſtantes. Et ad hoc induxit ſuperius, cum dixit, *orationibus inſtate.* Item, munditia ſanctitatis, exemplo Iob, dicentis, Cum haberem mundas ad Deum preces. ſanctum enim idem eſt, quod mundum. *Cap. CXLIX. Tria curanda in oratione. 1. Cor. 14. Rom. 12. Iob. 16.*

Melior eſt autem, qui quamuis ſæpe ira tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam; quam qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etiamſi inde nõ proijciatur. Traditis mandatis circa reparationem turbatæ dilectionis: hic ſubiungit diuerſitates eorum, qui circa hoc ſe habent diuerſimode, vt ex hoc appareat, qui nam circa hoc ſint culpabiles, plus, vel minus. Sunt autem tres differentiæ horum, ſicut patet ex litera. Quidam enim facile iraſcuntur, & cito veniam petunt. & hi ſunt, ſicut aqua; quæ citò caleſit, & cito frigeſcit. & hoc eſt minus malum. Quidam tardius iraſcuntur, & inclinantur tardius ad veniam petendam. Hi ſunt, ſicut ferrum ignitum; quod tardius caleſit, & tardius frigeſcit. & hoc eſt peius. Quidam autem ſunt, qui nunquam volunt petere veniam, & hi ſunt ſicut lapis asbeſton, qui accenſus ſemel, nunquam extinguitur, ſicut dicit Auguſtinus de ciuitate Dei. & hoc eſt peſsimum. Propter quod dicit de iſtis, quod, *ſine cauſa ſunt in Monaſterio.* *Varij iracundi, quibus rebus ſimiles. Lib. 21. c. 5.*

Circa primos, nota, quod non dicuntur meliores, propter iræ frequentiam; cum, ſecundum Iacobum, Omnis homo debeat eſſe tardus ad iracundiam, ſed propter celerem ſatisfactionem, quia ira turbat oculum rationis, & iratus, frequenter, quod malum eſt, putat iuſtum. Prædicti vero cito cognoſcunt culpam ſuam. & ideo eorum *Cap. CL. Vtile iram atque iniuriam deponere. Iacob. 1.*

ira non videtur multum grauis: quia non multum obſcurat eorum iudicium. Itē, ſignum eſt bonæ naturæ, cū cito ſe purgat à nociuo; & bona complexio, à ſuperueniente infirmitate. Ita bonæ conſcientiæ eſt, cū ſentit ſe læſam eſſe, ſtatim ſe compeſcere. Vnde ſuper illo verbo

Pſalm. 4. Pſal. Iraſcimini, & nolite peccare, dicit gloſ: Iuſtitia eſt, iram celeri pænitudine mitigare. Item, ſic dicit decretalis. Delicta tanto grauiora ſunt, quanto diutius tenent obligatam animam infelicem. Iniuria vero, quam non ſequitur celer ſatiſfactio, diutius tenet animam. Et ideo melior eſt qui poſt offenſam, licet frequentem, cito ſatiſfacit, quam qui tardius. Tres ergo ſunt cauſæ, quare talis eſt melior; videlicet quia cito culpam cognoſcit: & cito ſe purgat ab illa; & iniuriam in alium commiſſam non prolongat. Bene ergo dicit Apoſtolus. Sol

Epheſ. 4. non occidat ſuper iracundiam veſtram.

Contra differentes reconciliationem.

CIRCA ſecundos, nota, quod ille, qui tardat veniam petere, poſt offenſam commiſſam; Charitatem fraternam, quam turbauit, differt reparare: & ſatisfactionem ſuæ ſaluti neceſſariam protrahit facere: & iram Dei, contra ſe exortam, occaſione commiſsi in ſuum ſeruum peccati, contemnit placare. Vnde talis videtur laborare vitio acediæ. quia tarditas ad bonum pertinet ad acediam. Similiter vitio iræ, quæ nondum videtur in eo ſedata. Similiter vitio ſuperbiæ. Ex ſuperbia enim procedit, vt lædens læſo ſatisfacere dedignetur. Eſt ergo triplex funiculus in eius collo, quo trahitur à dæmonibus ad in-

Pſalm. 2. fernum. Dirumpamus (ait Pſal.) vincula eorum.

Malæ cauſſæ non petentis veniam.

CIRCA tertios, nota, quod tribus de cauſis ſolet contingere, quod aliquis non petit veniam à læſo. Vna eſt, cordis cæcitas. Ira enim obſcurat animam, & non agnoſcit quis interdum, ſe culpam habere, vbi habet. Et quia non agnoſcit culpam, non petit veniam. Iſtud autem multum elongat à ſalute. quia, cum ſecundum Senecam initium ſalutis ſit cognitio peccati; è contrario, elongatio eſt à ſalute, hoc initium non habere. Alia eſt, ſimulata iuſtitia; cum quis dicit; non expedit illi, vt ego me illi humiliem: quia inde eſſet ſuperbior, & ſimilia. Si autem hæc ratio bona eſſet, tunc non debuit ſe Chriſtus humiliaſſe; quia eius humilitas multis fuit in ruinam. Ter-

Eccli. 3. tia eſt, ſuperba duritia cordis: quod habebit male in nouiſsimo die. Deus enim populum humilem ſaluum faciet, & oculos ſuperborum humiliabit. Bene ergo Sanctus Auguſtinus dicit, quod, *talis ſine cauſa eſt in Monaſterio*: cum ſalutem eius, propter quam ſunt Monaſteria, hæc impediant. Nam, ſicut non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur

tur

tur ablatum; ita non dimittitur, niſi ſatisfaciat læſo. Dicitur in vitis patrum, quod dixit quidam ſenex: ſi quis dicat alicui, ignoſce mihi; humilians ſe, comburit dæmonum tentationes. *Exemplum.*

PROINDE *vobis à verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera.* Traditis mandatis ad cauendam perturbationem dilectionis fraternæ: & ad reparandam eandem dilectionem; ponit hic exhortationem ad vtrumque: quæ ſequitur ex primis. Et propter hoc dicit, *proinde.* Primo, ponit principale, deinde aliquid occurrens circa illud. ibi, *quando autem neceſſitas.* Principale vero mandatum continet duo. Primo, exhortationem ad cauendam dictam perturbationem; cum dicit, *Proinde vobis.* Eſt enim ſenſus. id eſt à verbis durioribus, infirmitatis humanæ vitio prouidentes, *cauete.* Secundo, reparationem turbationis, ibi, *quæ ſi emiſſa.* Circa primum, nota, quod eſt duplex duritia; ſcilicet, in Deum, & in proximum. Prima, eſt triplex; ſcilicet, cordis: contra quod dicit Pſal. Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Quædam, verborum: Iudic. 1. Arguet impios de duris verbis, quæ locuti ſunt contra eum. Alia vero, operum: Ioan. 8. Tulerunt lapides; per quos intelliguntur opera dura; vt iacerent in eum. Secunda etiam, triplex; Quædam in corde, per incompaſsionem in neceſsitatibus fraternis. Bernardus; cor durum eſt, quod nec compaſsione mouetur. Et ideo iuſtum eſt, vt male habeat in nouiſsimo; ſicut dicitur Eccleſ. 3. Vt non inueniat apud Deum miſericordiam; ſicut nec proximus inuenit apud eum. Prouerb. 28. Qui vero mentis eſt duræ, corruet in malum. ſcilicet in fine. Alia eſt, in verbis. Gen. 42. Quaſi ad alienos, durius loquebatur eis. Alia eſt in operibus; Exod. 10. Ad amaritudinem, ducebant vitam eorum operibus duris. Et licet cordis duritia, & operum ſint valde reprehenſibiles; tamen frequens verborum duritia, plus nocet. nam generat ſummam perturbationem; inducit grandem rebellionem; ſubtrahit amicos. In huius ſignum, dixit Dominus ad Eſau. Caue, ne loquaris contra Iacob, quidquam durius. Si ergo cauendum eſt Eſau, viro malo, & in fratrem qui multum in eum deliquiſſe videbatur; quanto magis cauendum eſt viro ſancto; ne dure loquatur fratri ſuo in Chriſto? Et ideo bene dicit, *vobis à verbis durioribus parcite.*

Multiplex duritia in Deum & proximum.

Pſalm. 94.

Verba dura cauenda.

CAP. CLI.

Ex lingua multa mala, multa bona.

CIRCA ſecundun, nota, quod os, quantum ad locucutionem, cum ſit organū ſpeciale rationis, ex quo ſolo procedunt bona, & mala, & ſuper omnia membra humana habile ad bonum, & malum;

malum; hinc eſt quod lingua dicitur habere manus; ſcilicet, ſiniſtram, quoad mala, quæ facit, quæ ducunt ad mortem: dexteram vero, ad bona, quæ facit, quæ ad vitam ducunt. Prouerb. 18. Mors & vita in manibus linguæ. Hinc eſt etiam quod Dominus dicit, Matth. 12. Ex verbis tuis iuſtificaberis; & ex verbis tuis condemnaberis. Et Iacob. 3. Ex ipſo ore procedit maledictio, & benedictio. Eccleſ. 37. Ex corde quatuor partes oriuntur, bonū, & malum, mors, & vita; & dominatrix illorum eſt aſsidua lingua. Deinde notandum, quod, ſicut lingua dicitur vniuerſitas iniquitatis. Iacob. 3. ita & abundantia bonorū egreditur ab ore. quæ ſunt confeſsio fidei; confeſsio peccatorum; oratio; correctio peccatorum; ædificatio proximi; conſolatio eiuſdem; laudatio Dei: gratiarum actio; honoratio. de his Prouerb. 12. De fructu oris ſui vnusquiſque replebitur bonis ſuis.

IN CAP. XXVII. REGVLÆ VGO.

Modus in correctione adhibendus.

QVANDO *autem neceßitas diſciplinæ, in minoribus coercendis, dicere vos dura verba compellit*; vſque, *regendi frangatur auctoritas.* Plerunque hoc magis doctoribus contingit; vt dum multa char itte feruent, modum correctionis exaggerent: & lingua aliquid, quod non debet dicat; quia mentem dilectio, quantum debet, non inflammat. Vnde bene per Moyſen Dominus præcipit dicens: Si quis abierit cum amico ſuo ſimpliciter in ſyluam, ad cædenda ligna, & in ſuccisione lignorum, ſecuris fugerit manum, ferrumque lapſum de manubrio, amicum eius percuſſerit, & occiderit; hic ad vnum ſupradictarum vrbium fugiet, & viuet; ne forte proximus eius, cuius eſt effuſus ſanguis, doloris ſtimulo proſequatur, & apprehendat eum, & percutiat animam eius. Ad ſyluam quippe cum amico imus, quotiens cum quolibet proximo, ad intuendū delicta noſtra conuertimur: & ſimpliciter, cum delinquentium vitia, pia intentione, reſecamus. Sed ſecuris manum fugit, cum ſeſe increpatio, pluſquam neceſſe eſt, in aſperitatē protrahit; ferrumq; de manubrio proſilit, cum de correctione ſermo durior excedit; & amicum percutiens occidit, quia auditorem ſuum, prolata contumelia, à ſpiritu dilectionis interficit. Correcti namque mens ad odium prorumpit, ſi hunc immoderata increpatio, pluſquam decet, eo adducit. Sed is, qui incaute ligna percutit, & proximum extinguit, ad tres neceſſe eſt vrbes fugiat, vt in vna earum defenſus viuat; quia ſi ad pœnitentiæ

Deut. 19.

tentiæ lamenta conuerſus, in vnitate ſacramenti, ſub ſpe, fide, & charitate abſconditur; reus perpetrati homicidij non tenetur; eumque extincti proximus, cũ inuenerit, nõ occidit; quia cũ diſtrictus iudex venerit, qui ſe nobis, per naturæ ſuæ conſortiũ, coniunxit, ab eo, procul dubio, vindictã de culpæ reatu non expetit; quem, ſub eius venia, fides, ſpes, & charitas abſcondit. Ideo, ſubiungitur. *Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino; qui nouit eos, quos plus iuſto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.* Aliquando exceditur modus, zelo malitiæ; aliquando, zelo iuſtitiæ; plerumque, ex ſtudio per deliberatam locutionem; plerumq;, per exceſſum locutionis. Dominus vero non tam attendit ſermonem, quam intentionem. Citius vero culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ ſtudio perpetratur.

Exceſſus, intẽtione leuatur.

VMBERTVS.

QVANDO autem neceſſitas diſciplinæ, in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit; ſi etiam ipſi, vos modum exceſſiſſe ſenſeritis, non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis; ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Quoniam præcedenti mandato, in quo dictum eſt, quod ſi emiſſa fuerint dura verba ex ore, eodem ore petatur venia; putari poſſet, quod hoc in omni caſu eſſet faciendum; ponit ex ea occaſione caſum, in quo eſt exceptio; ſcilicet in Prælato, & ſubdito. determinat autem duo circa hoc. Primo, de modo ſe habendi in hoc caſu Prælati, ad ſubditos. ſecundo, de modo ſe habendi ad Deum, ibi, *ſed tamen petenda eſt venia.* Circa primum nota, quod poſſet contingere vt Prælatus in duris verbis poſsit excedere erga ſubditum, non cauſa regiminis, ſed alia de cauſa mala; vt odij, inuidiæ, & huiuſmodi. Item, cauſa regiminis, poſſet excedere in eiſdem caſibus, in quibus non concurrit neceſsitas diſciplinæ, vt in quibuſdam minimis, quæ non ſunt alicuius neceſsitatis. Item, poſſet excedere in caſu, in quo non compelleretur ad hoc. vt cum alias, ſimplicibus verbis, exhiberent ſe ſubditi, corrigibiles. In his autem caſibus, reprehenſibile eſt Prælato, duris verbis vti in ſubditos. Et ideo dicit, *in moribus coercendis,* contra primũ. & neceſsitas diſciplinæ, contra ſecundũ. & compellit, cõtra tertium. oſtendens, in quo caſu ſit hoc tolerabile. Item, in hoc quod dicit, *non à vobis exigitur;* non negat, quin poſsit fieri; ſed ab hoc excuſatur Prælatus. Item,

Quomodo Superior excedat in correctione.

ſubdit cauſam huius, cum dicit; *Ne apud eos.* Tria autem tanguntur in hoc caſu. ſcilicet circumſtantia caſus, cum dicit, *quando autem*. excuſatio ab humiliatione ſequenti, cum dicit, *Si etiam ipſi vos.* & cauſa huius, cum dicitur, *ne apud eos, quos oportet.*

CAP. CLII. Prælati poſſũt dure loqui.

Ex primo patet reprehenſio quorundam, qui putant, quod Prælatus nunquam debeat dure loqui ſubditis; ſed ſemper manſuete. Sicut enim, propter duros lapides, inuenti ſunt mallei duriores; ſic quorundam duritia requirit, vt, cauſa diſciplinæ, duris verbis corrigantur. *Tit. 1.* Apoſtolus. Increpa illos dure. Huiuſmodi exemplum reliquerunt nobis patriarchæ. Quid enim durius, quam quod dixit Noe, Gen. 9. Maledictus puer Chanaan. Item Gen. 49. dixit Iacob ad Ruben. Non creſcas. et ad Symeonem, & Leui. In conſilium eorum non veniat anima mea. Maledictus furor eorum. Heli, cum *1. Reg. 3.* poſteritate ſua, reprobatus eſt à ſacerdotij ſui dignitate; quia non dure, ſed molliter correxit filios ſuos. Et ideo duros dure conuenit reprobare. Eſa. 48. ad populum Iacob. Scio quod durus es; & neruus ferreus, ceruix tua; & frons tua, ænea eſt. Et Hierem. 30. ad populum. Propter multitudinem iniquitatum tuarum, dura facta ſunt peccata tua. Item, Actorum 5. Petrus. Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te ſpiritui ſancto? Paulus ad Gal. 5. O inſenſati Galatæ: quis vos faſcinauit? & ſimilia. Stephanus etiam Actor. 7. ad Iudæos. Dura ceruice, & incircumciſi cordibus: vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri. Item Moyſes legislator, licet eſſet manſuetiſsimus omnium hominum, qui erant ſuper terram; tamẽ dure locutus eſt Iudaico populo, dicens. Scio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſsimam, Deut. 31. Et Dominus, Iudeis: Vos ex *Ioan. 8.* patre diabolo eſtis. Bene ergo dicit vir ſanctus: *quando neceſsitas diſciplinæ dicere vos dura verba compellit.* quia hoc aliquando ſine dubio contingit.

CAP. CLIII

Quæ humilitas, non virtus.

Circa ſecundum, nota, quod licet, cauſa diſciplinæ, liceat Prælato in dura verba prorumpere; non tamen, ſic excedendo, tenetur ſe humiliare, vſque ad petendam veniam. Non enim omnis humilitas, eſt virtus. Eſt enim quædam humilitas neceſsitatis. *Pſalm. 106.* Pſal. Propter iniuſtitias ſuas, humiliati ſunt. quæ nec eſt bona, nec mala, niſi propter vſum, vel abuſum. Alia eſt, adulatoria: vt cũ quis alicuius beneficio indiget, & humiliat ſe varijs modis. Eccleſ. 29. Donec accipiant, oſculantur manus dantis; & in promiſsionibus humiliant vocẽ ſuã. Alia eſt, falſa: vt hypocritarũ; vt efficaci⁹ poſsint nocere. Eccl. 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat: & interiora eius ſunt plena dolo. Quæ etiã poteſt dici malitioſa. Sicut vulpes, quę ſe humiliat, ad terrã applicans

cans ventrem, vt melius capiat gallinam, non ſibi cauentem ab ea. Alia eſt, ſtulta: vt cum quis, ex ſimplicitate, ſuſtinet non ſuſtinenda. Eccleſ. 13. Noli eſſe humilis in ſapientia tua: ne, humiliatus in ſtultitia, ſeducaris. Alia eſt, nimia: vt cum quis ſe humiliat vltra quam decet ſtatum ſuum, Eccleſ. 19. Eſt iuſtus, qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate: & ſic facit Prælatus, qui propter exceſſum in duro modo loquendi, petit veniam à ſubdito. quod quia non eſt neceſsitatis, bene dicitur; *non à vobis exigitur*. Dubitatur, cum hoc poſsit fieri & non fieri, vtrum ſit melius? Poteſt dici, ſecundum diuerſas conditiones eorum, à quibus petitur venia, hoc eſſe dijudicandum. Si enim tales, ex hoc, magis in bonum proficiunt, fieri hoc poteſt, ſi autē, inde abutuntur ad ſuperbiam; vt cum quis putat ex eo, ſe eſſe minus reum; vel Prælatum magis culpabilem; vel fit audacior ad culpas, & ſimilia; melius eſt non fieri. Neque enim Dominus, Iudæis ſcandalizatis ex eius dictis, vel factis; legitur vnquam ſatisfeciſſe. Et hoc, quia ſciebat, eos ex hoc non proficere.

Prælatus, quatenus veniam petere debeat.

Cap. CLIIII.

Superioris auctoritas curanda.

Circa tertium, nota, quod rector totius Vniuerſi, non ſolum habet ſummā prudentiam, per quam gubernat omnia; & ſummam bonitatem, per quam omnia diſponit; ſed etiam ſummam potentiam, cui, in ſuo regimine, non poteſt reſiſti. Iſtam potentiam communicauit angelis; corporibus cæleſtibus; & hominibus. Verum auctoritas Prælati eneruatur, vel ex cauſis extrinſecis: vt quandoque per indiſcretas diſtributiones; vt, cum per conſtitutiones humanas, indiſcrete reſtringuntur Prælati: quandoque per ſtultas exemptiones; vt cum aliqui eximuntur ſine cauſa multum rationabili à poteſtate ſui Prælati: quandoque per nimiam ſubiectæ multitudinis libertatem; vt cum ſubiectis conceditur libertas nimia in Prælatorum ſuorum limitatione; & in eorum poteſtate reprimenda. Sunt enim multi, qui nimis mali inueniuntur, more puerorum, qui libenter frangunt virgas, quibus cæduntur, & excutiunt à ſe iugum magiſtri, hoc facientis. vel ex intrinſecis; vt quandoque per culpam propriam: Vt cum quis, ſua mala vita, ſuam auctoritatem maculat, & contemptibilem reddit. quandoque, per defectum facti authentici: vt cum quis non inuenitur talis in facto, qualis in verbo; quia non facit aliquid ſuæ conueniens dignitati; quamuis habeat verba magna. quandoque ex indiſcreta in ſubiectos humilitate, vt in præſenti capitulo. Hæc enim omnia infringunt regentis auctoritatem. Cum ergo omni regimini adnexa debeat eſſe auctoritas. & ex diminutione eius, multa mala ſequantur; & per

Quomodo auctoritas ſuperioris eneruetur.

humiliationem nimiam in ſubditos, eneruetur; benè dicit vir ſanctus, *Non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis, veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* quæ, ſcilicet, adnexa ſemper debet eſſe regimini, & illæſam expedit conſeruari.

CAP. CLV.

SED tamen petenda eſt venia ab omnium Domino; qui nouit eos, quos plus iuſto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Tradito mandato, de modo ſe habendi erga ſubditos, in exceſſu durorũ verborum; ponit hic mandatum, de modo ſe habendi erga Deum, in eodem caſu. dicit autem duo. Vnum de petitione veniæ à Deo, in hoc caſu. aliud de confidentia veniam obtinendi, vbi dicit, *qui nouit.* Sed quæritur circa primum, An talis peccet in proximum. Si dicatur peccare; tunc fecit ei iniuriam, atque adeo tenetur ſatisfacerere. Si autē non videtur in aliquo peccaſſe, quare ergo petet veniam à Deo? Reſpondetur, poſſe contingere, vt talis excedat in modo correctionis, & tamen non peccat in proximum: quia ille dignus eſt forte tanta, vel maiori etiam correctione: quamuis corrigens, eam indebito modo adhibeat. Præterea, etiamſi delinquat in proximũ; tamen non tenetur ei ſatisfacere, veniam petendo, ſi ex hoc læditur bonũ commune, ſcilicet, auctoritas. Item, etiamſi poſsit fieri talis ſatisfactio, ſine læſione prædicta; tamen non tenetur tantum ſubdito ſuo; qui eſt quaſi res ſua, quantum alieno. ſicut nec ſeruo ſuo, quis tantum tenetur.

Prælatus, quatenus in corrigendo peccet.

CAP. CLVI.

Venia petenda a Deo de multis, etiam a bonis viris.

ET notandum, quod ſunt quædam, de quibus viri ſancti ſolent petere veniam à Domino; quamuis hominum communitas hoc non faciat. Petunt enim veniam de occultis, quæ videlicet formidat ſe habere, quamuis neſciant. Pſalmiſta. Ab occultis meis munda me Domine. Item, ab alienis, quæ contrahuntur, ex cohabitatione cum malis, eis adulando, vel eos non corrigendo, vel in aliquo malo participando. Pſal. Et ab alienis parce ſeruo tuo. Item, a peccatis pluribus. Pſalmiſta. Delicta iuuentutis meæ, ne memineris. Item, à peccatis omiſsionis quæ multi non reputant peccata. Vnde Eccleſia. Mandatis tuis non obediuimus; ſed da gloriam nomini tuo; & fac nobiſcum ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Item, à peccatis ignoranter commiſsis. Pſalmiſta. Et ignorantias meas ne memineris.

Pſal. 18. *Ibid.* *Pſalm. 24.* *ex Dan. 9.* *Pſalm. 24.*

IN CAP. XXVIII. REGVLÆ VGO.

Non

NON autem carnalis; ſed ſpiritualis, inter vos, debet eſſe dilectio. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, & carnis: quibus tamen, in hac dilectione, ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt, quod ſponte impenditur naturæ, aliud, quod, ex præceptis dominicis, ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamē illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur. quia amorem ſuum non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt. Omnipotentis Dei eſſe diſcipulos, ſola cuſtodia charitatis probat. Vnde ipſe ait. In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Quæ dilectio, ſi cor noſtrum veraciter replet, duobus modis oſtendi ſolet: ſi amicos in Deo; & inimicos diligimus propter Deum. Sæpe in dilectionis imagine erga inimicum, animus fallitur; ſeque illum diligere falſo arbitratur. Sed tunc inimici dilectio veraciter cuſtoditur, cum, nec de profectu triſtamur, nec de ruina lætamur. A duobus quidem præceptis incipit charitas; ſed ſeſe ad innumera extendit. Huius namque initium, dilectio eſt Dei, & proximi. Sed Dei dilectio, per tria diſtinguitur, quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine cōditor diligi iubetur. Qua in re notandum eſt, quod diuinus ſermo cum Deum diligere præcipit, non ſolum narrat, ſed etiam informat ex quanto, cum ſubiungit, Ex tota fortitudine. vt, videlicet, qui perfecte Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio, ad duo præcepta deriuatur. Cum & per quendam iuſtum dicitur; quod tibi non vis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſam veritas dicit; Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus, ſcilicet vtriuſque teſtamenti mandatis; per vnum, malitia compeſcitur; per aliud, benignitas prerogatur. vt, quod non vult malum pati; quiſquis non faciens, ceſſet à nocendi opere. Et rurſum, bonum, quod ſibi appetit, impendens ad vtilitatem proximi, exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo, dum ſolicita intentione cogitantur: cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur: ne, vel erga inferenda, quæ nō debet, in deſiderijs inquieta mens, ferueat: vel erga exigenda, quæ debet, ocio ſoluta torpeſcat. Nam cum cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero tolerare, ſolicita ſe intentione circumſpicit, ne ſuperbia eleuetur, & vſq; ad deſpectū proximi, animū deijciens, exaltetur: ne ambitione cogitationū lanietur: ne ad appetenda aliena dilatetur: ne cor luxuria polluat; & ſubiectum deſiderijs, per illicita, corrumpat: ne ira exaſperet; & vſque ad proferendam contumeliam inflammet. ne iniuidia mordeat,

Quæ dilectio non meritoria.

Io. 13.

Quomodo diligitur inimicus.

Quomodo diligendus Deus ac proximus.

Luc. 6.

Propria hominis, charitatē habentis.

deat, & alienis felicitatibus æmula, ſua ſe face conſumat. ne immoderate linguam loquacitas petrahat; eamque ad laſciuiam obtrectationis extendat. ne odium malitia excitet: & os, vſque ad iaculum maledictionis irritet. Rurſumque, cùm cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ſibi ab altero fieri expectat; nimirum, vt malis bona, vt bonis meliora reſpondeat: vt erga procaces, manſuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peſte languentibus, gratiam benignitatis impendat: vt diſcordes, pace muniat: vt concordes, ad concupiſcentiam veræ pacis accendat: vt indigentibus, neceſſaria tribuat: vt errantibus, viam rectitudinis oſtendat: vt afflictos, verbo & compaſsione mulceat: vt accenſos in huiuſmodi deſiderijs, increpatione reſtringat: vt minas potentium, ratiocinatione mitiget: vt oppreſſorum anguſtias, quanta præualet ope, leuet: vt foris obſiſtentibus, opponat patientiam: vt intus ſuperbientibus, exhibeat cùm patientia diſciplinam: vt erga ſubditos, ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non declinet; ſic ad vltionem zelus ferueat; ne tamen pietatis limitem, feruendo, tranſcendat: vt gratos quoſque, miniſterijs in amorem ſeruet: vt proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat: & quęcunque corrigi loquendo poſſunt, conſenſum eſſe ſilentio pertimeſcat: vt ſic ea, quæ tolerat, taceat; nec tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis minus benignitatis exhibeat; nec tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat: vt contra proximos quæ præualent, impediat; & impediendo, non timeat: vt ſic in bonis, quæ exhibet timoris præcipitium caueat; nec tamen & boni exercitio torpeſcat: vt ſic qui poſsidet tribuat; vt quanta ſit largitas remunerantis attendat: ne, cum terrena largitur, ſuam plus quam neceſſe eſt, inopiam cogitet. Et in oblatione muneris, claritatis lumen, triſtitia obſcuret. Bene ergo lex Dei, multiplex dicitur, quia nimirum vna eademque charitas, ſi mentem plene ceperit, ad innumera opera multiformiter accendit. Multiplex ergo iſta lex eſt Dei: quæ ſingulis his rerum articulis, non permutata, congruit: & cauſis ſe variantibus, non variata coniungit. Cuius nimirum legis multiplicitatem bene Paulus oſtendit. Charitas patiens eſt, benigna eſt, & cet.

1. Cor. 13.

VMBERTVS.

NON

N On autẽ carnalis, ſed ſpiritualis debet inter vos eſſe dilectio. In hoc capitulo quinto, ſecundum quoſdam; quod eſt de dilectione fraterna, tradit mandatum vltimum, circa dilectionis modum, dicens tria. ſcilicet inter quos debeat eſſe. nimirum, *inter vos*. & qualis non debeat eſſe: nimirum, *non carnalis*. & qualis debeat eſſe; nimirum, *ſpiritualis*. *CAP. CLVII.*

Circa primum, nota, quod ad hoc vt eſſet magna dilectio inter ſuos, Chriſtus ſuper hoc dedit ſpeciale mandatum, dicens, Ioan. 13. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. Item, ſpeciale dedit de hoc exemplum, dicens: ſicut dilexi vos. Item, ſpecialem ſuper hoc reliquit executionem: vt patet in epiſtolis Ioannis. Quod licet ſit inter omnes ſeruandum, tamen inter Religioſos eiuſdem profeſsionis, magis debet vigere huiuſmodi dilectio. Similitudo enim, eſt cauſſa dilectionis. Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſibi ſimile. Itẽ, membrũ quodlibet alicuius corporis, naturaliter diligit eiuſdem corporis membra. Apoſt. 1. ad Cor. 12. Si quid patitur vnũ membrũ, compatiuntur omnia membra: quod eſt propter mutuam dilectionem naturalẽ. Itẽ, inter Chriſti diſcipulos, non debet eſſe inuidia, vel diſcordia: ſed dilectio mutua. Ioan. 13. In hoc cognoſcent omnes, quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicẽ. Cum ergo Religioſi, ſint profeſsionis eiuſdem; & ſimillimi ſint in omnibus; & eiuſdem corporis membra; & Chriſti ſpeciales diſcipuli; quanta debet eſſe dilectio inter eos? Præterea, ſi ſecundũ legẽ Chriſti, debemus inimicos diligere; immo & extraneos, imo & malos, Matt. 5. quanto magis fratres, qui vt amici, & domeſtici, & viri ſancti ſunt, debent intime diligi? *Charitas, maxime inter Religioſos.*

Circa ſecundum, nota, quod carnalis dilectio dici poteſt vno modo, qua diligitur quis propter res carnales: ſicut diligunt mũdani quoſdã, propter ea, quę mundi ſunt. Alio modo diligitur quis dilectione, originẽ in habente à carne: ſicut diliguntur propinqui carnales, & eiuſdẽ patrię. Nõ ita dilexit Chriſtus ſuos, quos docuit tẽporalia contemnere: ſed in finẽ (inquit, Ioan. c. 13.) dilexit eos. id eſt ad bona ſpiritualia, quæ ſunt finis. ad quem debent omnes tendere. Itẽ, non propter carnales gratias, ſed propter ſpirituales dilexit. Vnde Ioannem, qui virgo, & quaſi innocens fuit, ſpecialiter dicitur dilexiſſe. Ioan. 19. Item, nõ ex naturali propinquitate, ſolũ: quia ſic magis angelos dilexiſſet; quos tamen nuſquã apprehendit: ſed ex ſpirituali radice charitatis, propter, inquit, charitatẽ, qua dilexi vos. Et quia non vult huiuſmodi dilectiones carnales eſſe in nobis, ideo Ioan. 13. dicit, Hoc eſt pręceptũ meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. hoc eſt, non ſicut mundus, qui diligit propter bona temporalia. non ſicut mali, *CAP. CLVIII. Quæ dilectio, carnalis: & vitanda.* *Heb. 1. Ioan. 13.*

mali, qui diligunt propter carnalia. non ſicut propinqui, qui ſolum diligunt dilectione ex carne naſcente; ſed ſicut ego.

CAP. CLIX.
Dilectionis varia cauſſæ, penſandæ: & bonę ſectandæ.

CIRCA tertium, nota, quod eſt quædam turpis dilectio hominum ad inuicem: quæ oritur ex vitio concupiſcentiæ carnalis. Et hæc eſt mala; nec vnquam debet eſſe: nec etiam debet nominari inter ſeruos Dei. Alia eſt naturalis, quæ oritur ex natura carnis: ſecundum illud. Quis vnquam carnem ſuam odio habuit? Et hæc, cum ſit naturalis, non eſt bona, vel mala meritorie; niſi ſit nimia. Et hęc ſola, nō debet etiam eſſe inter eos. Tertia eſt, quæ oritur ex virtute. Apoſtolus. 2. Tim. 1. Dedit nobis ſpiritum virtutis, & dilectionis. Et hæc debet eſſe inter eos. Porro, duæ primæ, poſſunt dici carnales. quia à vitio carnis, vel à natura oriuntur. Hæc autem, ſpiritualis; quæ oritur ex charitate; quæ per ſpiritum diffunditur in cordibus. Hæc dilectio differt ab alijs in multis, quæ ſunt ad eius laudem. Eſt enim quædam dilectio, quæ verſatur quandoque circa inhoneſta aliqua. Contra quam Valerius Maximus narrat: quod quidam rogauit amicum ſuum vt aliquid faceret. Cum vero rogatus, illud inhoneſtum eſſe cerneret, reſpondit, ſe hoc non facturum, eo quod eſſet inhoneſtum. Et cum rogans diceret, quid prodeſt mihi amicitia tua, ſi nihil feceris inhoneſtum mea cauſſa? rogatus, reſpondit. Et tua quid mihi prodeſt; ſi pro ea facerem aliquid inhoneſtum? Inde eſt quod Tullius dicit. Hæc eſt lex in amicitia, vt nihil turpe rogemus, neque rogati faciamus. Item, eſt dilectio, quæ in ſola apparentia conſiſtit. Eccleſi 17. Eſt amicus, ſolo nomine. Contra quod ad Rom. 12. Dilectio ſine ſimulatione. & talis, eſt dilectio charitatis. Apoſtolus. 2, Cor. 2. In charitate, non ficta. quæ ſcilicet neſcit fictionem. Item, eſt alia dilectio verboſa. Iob. 16. Verboſi amici mei. Pſalm. Dilexerunt eum in ore ſuo; & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Non talis eſt dilectio charitatis. immo ex intimo corde. Apoſtol. 1. Tim. 1. Finis autem præcepti, eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Item ſunt, qui diligere ſe dicunt: ſed nunquam oſtendunt hoc in effectu. Contra quos dicitur de quodam philoſopho, quod dixerit. Tantum diligo inimicum, qui nihil mali mihi fecit; ſicut & amicum, qui nihil boni mihi fecit. Talis charitas, non eſt dilectio. quæ, ſecundum Gregorium, nunquam eſt océoſa. Item, ſunt aliqui, qui etſi aliquid faciunt, pro dilecto: tamen; non magna. Contra quos de charitate dicit Gregorius. Operatur magna, ſi eſt. Et Ioannes in Epiſtola. In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis: & nos debemus animas pro fratribus ponere. Item, ſunt

Marginalia: *Epheſ. 5.* — *Exemplum.* — *Dilectio, verbo tenus.* — *Pſalm. 77.* — *Exemplum.* — *1. Ioan. 3.*

ſunt alij, qui non diligunt niſi diligentes ſe prius. Dilectio vero charitatis, ſine meritis præcedentibus exhibetur. Ioannes in epiſtola. 1. Ioan. 4. In hoc eſt charitas; non quaſi nos dilexerimus eum, ſed ipſe prior nos dilexit. Item, ſunt alij, qui diligunt propter ſpem dilectionis humanæ. & dilectio huiuſmodi, reciproca negociatio dici poteſt. Hieronymus. Iſta, quam tu deſcribis, negociatio eſt, non amicitia. Dilectio vero charitatis, vtilitatem reſpicit dilecti; etiamſi tribuatur malum pro bono, & odium pro dilectione. Felix igitur dilectio, & omni laude digniſsima; quæ nihil habet inhoneſtatis; vel fictionis; quæ non in verbis ſolum, ſed in corde; nec in corde ſolum, ſed in opere conſiſtit; quæ magna agit, & ſine meritis præcedentibus; & ſine ſpe retributionis humanæ. Sciendum, quod B. Ioannes, cui fuit ſpecialis cura dilectionis fraternæ, inter homines habendæ, ponit ſex vtilitates huiuſmodi dilectionis. Prma eſt, certitudo reſurrectionis ſpiritualis. Vnde dicit, Nos ſcimus, quoniã ſumus translati de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Secunda eſt, illuminatio mentis. Sicut enim recedente fumo, remanet claritas in domo; ita recedente turbatione à fratre, quæ mentem obſcurat, remanet claritas; quæ clare facit videre, & iudicare de rebus. ideo dicit. Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet. Tertia eſt, euitatio ſcandali paſsiui. Sicut enim mater ex dilectione, quam habet erga filium, ſuſtinet omnia, quæ facit ei, licet grauia: ita & dilectio fraterna, omnia ſuſtinet. Eodem modo, qui diligit fratrem ſuum, ſcandalum in eo non eſt. Quarta eſt, diuinæ dilectionis indicium. Ioannes in Canonica. Qui diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Glos. Frater tuus, imago Dei eſt. Si non diligis imaginem, nec eum, cuius eſt imago diligis. Quinta, habitatio diuina. Sicut enim, vbi ſunt turbationes, & odia, diabolus habitat ibi; ita contra, vbi dilectio ſancta, ibi Deus. 1. Ioann. 4. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, Sexta eſt, filiatio Dei. Per peccatum enim, fiunt homines filij diaboli. Sed per hanc, filij Dei. 1. Ioan. 4. Omnis, qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt.

Vere dilectionis ſigna, & fructus.

1. Io. 3.

1. Io. 2.

1. Ioan. 4.

IN CAP. XXIX. REGVLÆ VGO.

PRAEPOSITO, *tanquam patri, obediatur: multo magis Preſbytero, qui veſtrum omnium curam gerit.* Obedientia ſola virtus eſt, quæ ceteras virtutes inſerit menti, inſertasque cuſtodit. Samuel. Melior eſt obedientia quam victima. quia per victimas, aliena caro, per obedientiam vero, voluntas propria religatur. Salomon. Vir obediens, loquitur victorias. quia dum voci alienæ humiliter ſubdimur, nos in corde ſuperamus. Nobis quippe obedientia vſq; ad mortem ſeruanda pręcipitur. Per obedientiam, malum nunquam fieri; aliquando autem etiam debet per obedientiam, bonum, quod agitur, intermitti. Sed quia nonnunquam, iubentur aduerſa, ſciendum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando, ſi de ſuo habeat aliquid, nulla eſt. aliquando autem ſi de ſuo nō habeat aliquid, minima eſt. Nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur; cū locus ſuperior imperatur: is, qui ad præcipienda hęc, ex proprio deſiderio anhelat, obedientiæ ſibi virtutem euacuat. Rurſum, cum mundi deſpectus præcipitur; cum probra, & contumeliæ adipiſci iubentur: niſi hæc ex ſemetipſo animus appetat, obedietiæ ſibi meritum minuit. quia ad ea, quæ in hac vita deſpecta ſunt, inuitus, nolensque deſcendit. Debet ergo & obedientia in aduerſis, aliquid ex ſuo habere; & rurſū in proſperis, ex ſuo aliquid omnino nō habere: quatenus & in aduerſis, tanto ſit glorioſior, quantum diuino ordini, etiam ex deſiderio iungitur; & in proſperis, tanto ſit vtilior, quantum à præſenti, ipſa, quam diuinitus percepit, gloria, funditus ex mente ſeparatur. Innocuis autem mentibus, ornamentum ſemper obedientię iungitur, Domino atteſtante, qui ait: Oues meæ vocē meam audiunt. & ego agnoſco eas, & ſequuntur me. Profecto Redemptori obedit, qui innocens eſt. Et innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit.

Obedientiæ præſtantia.

1. Reg. 3. Prouerb. 21.

Propenſio ad res præceptas, quando bona vel mala.

Ioan. 10.

VMBERTVS.

PRAEPOSITO, *tanquam patri, obediatur: multo magis Preſbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.* Hoc eſt capitulum ſextum Regulę, ſecundum quoſdam: quę eſt de pertinentibus ad ſtatum ſubiectionis, quod facit Obedientia. Et ideo, circa hoc tradit hoc vnicum, pertinens ad obedientiam, & non plura. quia ſatis, in hoc, continentur in genere ea, quæ pertinent ad debitam obedientiam. Ad quod, notandum; quod duplex eſt obedientia bona.

Sextum capitulum Regulæ. De Obediētia.

Obedientia duplex; ſufficiēs, & perfecta.

na. Quædam eſt ſufficiens, ſed imperfecta. & eſt illa, qua quis obedit ſolum in his, ad quæ tenetur. Alia eſt abundans, & perfecta. cum quis obedit in aliquibus bonis, licet non teneatur ex debito. Porro, circa iſtam perfectam obedientiam, quia nemo ad eam ex aliqua Regula arctatur, non tradit Auguſtinus aliquod mandatum. Sed circa primam, ad quam omnes Regulares arctantur ex profeſsione. Determinat autem quatuor in iſto mandato, ad iſtam obedientiã pertinentia. ſcilicet cui debeatur. Et cum debeatur pluribus, quo ordine debeatur eiſdem. Et qualis debeat eſſe cum redditur. Et in quibus ſit reddenda.

Sciendum enim, quod, licet quidam viri ſancti, ex perfectione obedientiæ, inueniantur obedire, non ſolum maioribus, ſed etiam paribus, immo etiam inferioribus interdum: cum, ſecundum B. Benedicti Regulam, Obedientiæ bonum, non ſolum Abbati exhibendum ſit ab omnibus, ſed vt etiam fratres ſibi inuicem obediant: tamen, nullus Religioſus, quantæcunque perfectionis, tenetur obedire, niſi maioribus ſuis; ſecundum illud, Hebræ. 13. Obedite Præpoſitis veſtris. ideſt illis, qui vobis præferuntur. Et ideo, determinans, quibus ſit obediendum, in Religione, dicit Auguſtinus, *Præpoſito, atque Preſbytero.* Item, nota, quod inter Prælatos, eſt quidam Prælatus qui habet plenitudinem poteſtatis. quoad omnes, & quoad omnia, ſcilicet Papa. Et huic quilibet Religioſus, & Regularis, plus tenetur obedire, quam cuilibet Prælato Eccleſiaſtico. Alij vero ſunt Prælati, qui habent particularem poteſtatem, & quoad ſubditos, & quoad iuriſdictionem. ſed iſtis tenentur non omnes, ſed ſolum ſubditi ſui, & non niſi ad ea, quæ pertinent ad iuriſdictionem. Item, inter iſtos, ſunt qui habent eoſdem ſubditos; ſed iuriſdictiones diſtinctas, in quibuſdam. ſicut Abbas, non exemptus, & Epiſcopus, quorum vtriuſque ſunt monachi. & iſti in quibuſdam plus tenentur vni, quam alteri, & contra. Nam in his, quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiaſticam plus tenetur monachus Epiſcopo, quam Abbati. In ijs vero, quæ pertinent ad ſuam Religionem, cuius regimen habet Abbas, tenetur plus Abbati. Alij ſunt, qui habent iuriſdictiones non diſtinctas: tamen ſecundum plus, & minus. vt Prior clauſtralis, & Abbas. & hic plus tenetur ſubditus obedire ſuperiori. Et ideo, cum Eccleſia Auguſtini eſſet ita ordinata, vt Epiſcopus teneret ibi locum Abbatis; Præpoſitus vero locum prioris, vt dictum eſt ſupra, & quod idem adhuc ſeruatur in aliquibus Eccleſijs (alioquin quomodo diceret ipſum Preſbyterum, vel Præpoſitum, curam habere ipſorum fratrum) volens

Cap. CLX. Quibus obedire tenemur, & qualenus.

Cap. 99. in Cap. 13. Regulæ.

volens oſtendere, quo ordine obediendum ſit, in hoc caſu, maioribus: dicit, Præpoſito obediendum: ſed multo magis Presbytero, ideſt Epiſcopo.

CAP. CLXI. Varij obediendi modi.

NOTANDVM etiam, quod quædam eſt obedientia ſeruilis, iuxta illud. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, ad Col. 3. Alia eſt, filialis; ibidem. Filij obedite parentibus per omnia. Porro ſeruilis obedientia, quam timor inducit, quod facit, facit inuite. Filialis vero, quam amor inducit, quod facit, facit libenter. Illa cum murmure: iſta ſimpliciter ſine querela, & diſcuſsione. illa cum triſtitia, iſta hilariter. illa pigre, iſta velociter. illa ficte, iſta viriliter. illa ſuperbe, reputans ſe multa feciſſe: iſta humiliter, reputans ſe ſeruum inutilem. illa cito quieſcit; iſta infatigabiliter laborat, vſque ad mortem. Et iſti ſeptem gradus obedientiæ, ſunt ſecundum Bernardum. Et ideo volens Auguſt. determinare qualis debeat eſſe obedientia: dicit, tanquam patri; non domino: vt ſit obedientia filialis ſicut decet filios Eccleſiæ; non ſeruilis, ſicut fuit ſub lege. Gregor. Obedientia, non ſeruili metu, ſed charitatis affectu, ſeruanda eſt. Hæc autem, tanto laudabilior eſt, quanto laudabiliores ex ſe elicit circumſtantias, ſicut dictum eſt.

CAP. CLXII. Caſus in quibus nõ eſt obediendum.

NOTA inſuper, quod, licet obediendum ſit Prælatis ordinarie; tamen multi ſunt caſus, in quibus non tenentur ſubditi eis obedire. Primus eſt, quando præcipit contra Deum. quia magis oportet obedire Deo, quam hominibus. Actorum. 5. Secundus, quando maior, ſecundum diſtinctionem prædictam, præcipit contrarium. Tertius, quando eximitur quis, ab eo qui poteſt, à poteſtate Prælati ſui. Quartus, quando præcipitur aliquid, in derogationem iuriſdictionis maioris Prælati. vt ſi præciperet minor Prælatus, vt maiori, viſitanti, non diceret aliquid, dicendum in viſitatione. Quintus, quando nullo modo poteſt fieri, quod præcipitur. Nemo enim poteſt ad impoſsibile obligari: extra, de regulis Iuris lib 6. Sextus, ſi aliquid mandatur, per quod eijciatur de obedientia promiſſa. vt ſi præciperet Prælatus ſubdito ſuo, vt intraret alium Ordinem. Septimus, cùm præcipitur aliquid, quod eſt ſupra, vel infra, vel contra profeſsioné factá; cùm nemo teneatur, vltra quam alij tenentur; niſi ad id quod promiſit. Octauus, ſecundum quoſdam, cum præcipitur aliquid impertinens ad profeſsionem: vt ſi præciperet Abbas monacho, vt tota die reſpiceret aues: præcipue ſi hoc faceret ſine cauſa rationabili. Nam ſi hoc faceret cauſa probandi obedientiam, vel ad exercendam patientiam, vel alia de cauſa adnexa profeſsioni, eſſet obediendum.

Deinde

Deinde, notandum, quod inter omnes virtutes Religioni neceſſarias, & ex præcipuis, eſt obedientia perfecta. Hæc enim eſt, quæ Religioſo dat pacem: qui enim minus eſt obediens, habet turbationes frequentes; quia non eſt promptus ad multa, quæ ſibi imponuntur, ad quæ ſi eſſet promptus, haberet pacem. Prouerb. 13. Qui timet præceptum, in pace verſabitur. Item, hæc eſt, quæ adquirit homini gratiam maiorum ſuorum. Exemplum de Abbate Siluano; qui, cum rogaretur à quibuſdam, cur diſcipulum Marcum, plus alijs diligeret, duxit eos per cellas fratrum. Et cum vocaret quemdam, is non ſtatim venit. ſimiliter & multi fecerunt. Cum autem veniſſet ad cellam Marci, & vocaſſet eum; ipſe ſcribebat, & relicta littera imperfecta, ſtatim venit ad eum. Quo viſo dixit Abbas eis. Ecce, quare diligo eum. Et illi. Vere plus diligendus eſt à te; quia Deus plus diligit eum. Item, hæc eſt, quæ totam congregationem, quam inobedientia perturbat, pacificat. 1. Machab. 4. Siluit terra omnibus diebus Simonis, qui interpretatur obediens, Item, hominem vtilem facit ſuæ congregationi. Bonus enim obediens, eſt ſicut aſina, quæ erat in Hieruſalem, communis; quam quilibet poterat accipere ad quoſcunque vſus. Item, facit hominem nobiliſsime triumphare de hoſte fortiſsimo, ſcilicet de animo ſuo; qui qui dominatur, melior eſt, ſecundum Salomonem, expugnatore vrbium. Prouerb. 21. Vir obediens loquetur victorias. Gregor. Dum alienæ voci humiliter obedimus, noſmetipſos in corde ſuperamus. Item, facit Deo ſacrificium acceptiſsimum. 1. Reg. 15. Melior eſt obedientia, quam victimæ. quia ſecundum Gregor. lib. 35. moral. c. 10. per obedientiam propria voluntas mactatur. Item, facit preces apud Deum efficaces. Gregor. Si obedientes fuerimus Præpoſitis noſtris; obediet Deus orationibus noſtris. & hoc iuſtum eſt. Qui enim huiuſmodi Præpoſitos audit, Deum audit. & tales ille exaudit. Item, ſumme ditat meritis; quia lucratur circa omnia opera ſua. Item, cuſtodit à periculis peccatorum. Exequens enim obedientiam, eſt negotiator regis cæleſtis; cuius mandatum exequitur. & ideo ſecurior eſt, quam qui ſua curat. Item, ad maiorem perducit gloriam. Vnde in vitis patrum, vidit quidam quatuor ordines ſanctorum in cælo. Infirmantium, & gratias agentium. infirmis miniſtrantium. in ſolitudine degentium. ſub obedientia viuentium. Et hic ordo erat ſuper omnes. cuius ratio dicta eſt. quia alij, quod faciunt, faciunt ſecundum voluntatem ſuam. hi autem proprias voluntates abdicantes, quod faciunt, faciunt ſecundum voluntatem patris ſpiritualis; quod eſt maius. Et ideo ducit ad gloriam maiorem. Multum ergo cuſtodienda eſt obedientia, quæ tanta bona facit.

Cap. CLXIII. Obedientiæ laudes & vtilitates.

Exemplum.

Matth. 21.

Prouer. 16.

Exemplum.

cit. Bernardus, Mementote fratres. Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Sic etiam nobis cauendum eſt, ne obedientiæ bonum perdamus.

IN CAP. XXX. REGVLÆ VGO.

VT ergo cuncta iſta ſeruentur. & ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur; ſed vt emendandum, corrigendumque curetur; ad Præpoſitum præcipue pertinebit, vt ad Preſbyterum, cuius eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit.

Regula obligatio.

Ad hoc quidem data ſunt iſta Regularia præcepta, vt cuncta ſeruentur. Et ſiquid minus ſeruatum fuerit, oportet, vt cito emendetur. Non enim poſſumus aliquid præterire negligenter, ſine periculo animæ noſtræ. Etenim vouimus ſpecialiter tenere. & ſecundum ea viuere iurauimus. vt Pſal. ait. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Et Apoſtolus. Si quis autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.

Pſal. 118. Iac. 2.

Pertinebit ergo ad Præpoſitũ, & ad eum qui cuſtos eſt Ordinis, vt ad Presbyterũ, cui maior eſt auctoritas, id eſt, ad Abbatẽ, referat, quidquid per ſe, ſecundum canonicam Regulam, non poteſt definire. Quod ſi in congregatione, vbi eſt ordo canonicus, non eſt Abbas, ſed Epiſcopus, ipſe Epiſcopus, Presbyteri nomine deſignatur.

Prælatorũ cura, quæ?

Ad hoc enim Prælati conſtituti ſunt in Eccleſia, vt bene ordinata cuſtodiant; errata corrigant; vitam, & mores ſubditorum, verbo, & exemplo cuſtodiant, Apoſtoli formã ſectantes, qui ait. Argue, obſecra, increpa: Imiſcentes tẽporibus tẽpora. terroribus blandimenta. indiſciplinatos, & inquietos debent durius arguere. obedientes, mites, & patientes, vt in melius proficiant, obſecrare. Negligentes, contemnentes, & ſuperbos, aut increpent, aut puniant. Neque diſsimulent peccata delinquentium; ſed mox, vt ceperint oriri, radicitus, vt præualent, amputent, memores periculi Heli ſacerdotis, de filijs ſuis. Honeſtiores, atque intelligibiliores, prima & ſecunda admonitione corripiant. Improbos, & duros corde; ſuperbos, & inobedientes, verbere, & caſtigatione coerceant: reducentes illud in memoriam; Stultus verbo non corrigitur. percute filium tuum virga; & liberabis animam eius à morte.

2. Tim. 4. — 1. Reg. 3. — Prouerb. 21. — Prouer. 23.

VMBER-

VMBERTVS.

V*T Tergo cuncta iſta ſeruentur*, vſq;, *vel vires eius excedit*. Traditis mandatis, quia parum hæc prodeſſent, niſi diligenter obſeruarentur; agit in hoc capitulo ſeptimo, & vltimo, ſecundum quoſdam, de diligentia obſeruandi ea. Sunt autem tria, quæ multum ad hoc valent. Primum eſt, conditio Prælatorum, de quo agit hic. ſecundum eſt, paterna oratio, de quo ibi, *donet Dominus*. Tertium, iugis mandatorũ memoria, de quo ibi, *vt autem vos*. Porro ad hoc, vt Prælati mandata faciant obſeruari, requirũtur duo, ex parte ipſorum. videlicet cura. & conditio bona ipſorum. Et ideo, primo tradit hic mandatum, circa iſtam curam. ſecundo oſtendit, qualis debeat eſſe Prælatus, vt ei melius obediatur, ibi, *ipſe vero qui vobis*.

ſeptimum & vltimum capitulum Regulæ.

NOTANDVM, quod, ſunt quidam, ad quos pertinet huiuſmodi cura, vt Regula obſeruetur, qui apponunt interdum curam, vt habeatur Regula bene ſcripta, in qua poſsint bene legere fratres. Itẽ, vt frequenter audiatur. Sed quia hoc non ſufficit ad ſalutem, ſine obſeruantia, iuxta illud Apocal. 1. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius: & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Ideo vir ſanctus, iuſsit huiuſmodi Prælatum, cui incumbit ſubditorum ſalutem curare, vt habeat curam, non ſolum ſcribendæ Regulæ, & frequentius legendæ; ſed & obſeruandæ, dicens. *vt ergo cuncta iſta ſeruentur*. Item, interdum contingit, vt aliqui habeant curam maiorem circa obſeruantiam admonitionum, conſuetudinum, ac conſtitutionum quarundam, quæ additæ ſunt ſuper Regulam, quam mandatorum ipſius Regulæ. Iſti ſunt ſimiles Phariſæis, quibus, exprobrando, dicit Dominus. Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Magna ſtultitia eſt, curare minus ſtabilitatem fundamenti, quam ea, quæ ſuperædificantur. quia illo deficiente, neceſſe eſt illa corruere, & non è conuerſo. Et ideo, dicit, *vt ſeruentur iſta mandata*, ſcilicet Regulæ, quæ ſunt ſpecialiter curanda. Item, ſunt aliqui conuentus, in quibus etſi multa mandata obſeruantur, tamen aliqua omittuntur, & ideo tales fiunt omnium rei. Iacobi 2. Qui totam legem obſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Et ideo eſt cura habenda, vt tota Regula obſeruetur: ideo dicit, *cuncta*. Item, contingit interdum, vt Prælati tranſgreſsiones aliquas non corrigant, aut ex puſillanimitate cordis; aut ex humilitate ſuperſtitioſa; aut diffidentia proficiendi; aut ex ignorantia; quia

CAP. CLXIIII.

Regula inprimis tota ſeruanda: tum reliqua additamenta.

Matth. 15.

Cauſſæ, quare Prælati non corrigant abuſus.

neſciunt

neſciunt culpas fratrum, neque curant ſcire; aut propter pacem propriam, quam nolunt turbare; aut propter verecundiam; quia, in quibuſdam, adeo manifeſte excedunt, vt, ſine verecundia, alios corrigere non poſsint; aut propter delicti conſcientiam. conſcientia enim mala, etiamſi neſciatur, tamen timidiorem reddit hominem, ad alios corrigendos; aut propter timorem odij; quia timet incurrere indignationem in corrigendo; aut propter Prælationis amorem, quam timet amittere, ſubditos contra ſe prouocando; aut propter defectũ zeli; aut ex negligẽtia, quæ valde aliena eſt à ſtatu Prælationis. Vnde Bernardus, inter abuſiones clauſtri, hanc ponit; ſcilicet, Prælatus negligens. Et ideo, vir ſanctus dat ſpeciale mandatum, de iſta cauenda, circa tranſgreſsiones, dicens, *non negligenter prætereatur*. Bernardus. Non diſsimulet, inquit, Abbas peccata: ſed mox, vt oriri cœperint, ea radicitus amputet; memor filij Heli ſacerdotis. Item, ſunt aliqui, qui in corrigendo, curam apponunt, vt puniantur præterita; ſed non vt caueantur futura. Alij non multum curant præterita punire: ſed vtrumque debet eſſe, in vera correctione. ſcilicet vt caueatur futura, & puniantur præterita. Ideo dicit, *non negligenter prætereatur: ſed vt emendandum*, quoad futura; *corrigendumque*, quoad præterita, *curetur*: Item, ſunt aliqui, qui quando inueniunt aliqua difficililia ad corrigendum; quaſi deſperantes, ſolent omittere. ſed boni Prælati eſt, hoc ad maiores deferre. Vnde. Exodi 18. dixit Ietro Moyſi. Quidquid maius fuerit, referant ad te: & ipſi tantũmodo minora iudicent.

Nec facta, nec facienda contra Regulam, permittenda.

Superior poteſtas curanda, ad mala corrigenda.

Exemplum. Dicitur de quodam bono ſacerdote, quod quando habebat aliquos in parochia ſua, quos corrigere non poterat; ponebat nomina eorum in ſchedula, & deferens illa ad Epiſcopum, dicebat ei. Domine Epiſcope: Hos, quos commiſti mihi inter alios, reſigno, & relinquo: fac de eis, quidquid placet; quia ego eos corrigere non poſſum, & ſupra vires meas eſt eorũ correctio. Et ideo, dicit vir ſanctus, *ad Præpoſitum præcipue pertinebit: ita ſcilicet, vt ad Presbyterum, cuius eſt apud vos maior auctoritas referat; quod vires*, quoad facultatem: *vel modum*, quoad cognitionem: *eius excedit*.

IN CAP. XXXI REGVLÆ VGO.

Prælati charitas, & humilitas.

IPSE *vero, qui vobis præeſt, nõ ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente, felicẽ.* Nam qui ita præſunt, vt gaudeant de poteſtate dominij, non ſunt veri paſtores, ſed mercenarij.

narij. Hi magis præeſſe appetunt, quam prodeſſe; non quærunt animarum fructum, ſed temporale lucrum: non cæleſtem gloriam, ſed terrenum honorem. De talibus, ait Dominus, in Euangelio; Amen, dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Qui vero ita præſunt, vt gaudeant ſe ſeruitute charitatis; ipſi tenent exemplum viri paſtoris; qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare, redemptionem pro multis. Illi veri Prælati ſunt, &, ſecundum Deum, curam regiminis agunt, qui ad hoc tantum laborant, vt plures ad Deum ſecum trahant; quos delectat onus, non honor; charitas, non poteſtas; ſeruitus impenſa alijs, non ſuſcepta ab alijs. Iuxta quod Apoſtolus ait. Cum eſſem liber in omnibus, omnium me ſeruum feci, vt omnes lucrifacerem. Qui tamen, propter auctoritatem regimimis, honorandus eſt à ſubditis. Vnde ſubditur. *Honore, coram vobis, prælatus ſit uobis.* Ideo, ſcilicet, honorari debet; quia Chriſti vicem in Monaſterio tenet. Vnde & ipſe Dominus paſtoribus ait; Qui vos audit, me audit. &, Qui vos ſpernit, me ſpernit. Debent ergo ſerui Dei, ſuum honorare magiſtrum, cuius, pro amore Dei, ſupra ſe, ſuſceperunt magiſterium. Qui tamen quanto plus honoratur exterius, tanto, oportet vt amplius timeat, atque ſemetipſum deſpiciens, eos, à quibus honor impenditur, ſibi, in cogitatione præponat. Vnde ſubiunctum eſt. *Timore, coram Deo, ſit ſubſtratus pedibus veſtris.* Hinc ſcriptum eſt. Quanto maior es, humilia te in omnibus. Et iterum. Fili, te ducem conſtituerunt; noli extolli: ſed eſto in eis, quaſi vnus ex illis. Et Dominus in Euangelio. Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat exaltabitur. Tanto quippe eſt maior quiſque apud Deum; quanto humilior fuerit apud ſemetipſum. Sed qualis debeat eſſe in moribus, audiamus. *Circa omnes, ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum.* Sicut enim præcellit honore, & dignitate, & ordine; ita eos præcedere debet ſanctitate. vt, eius exemplo, diſcant ſubditi, qualiter viuere debeant. *Corripiat inquietos: conſoletur puſillanimes: ſuſcipiat infirmos: patiens ſit ad omnes.* Qui locum tenet regiminis, mala inferre non debet, ſed tolerare, vt, ex ſua manſuetudine, iracundos valeat mitigare. Quia medicus animarum, contra paſsiones vitiorum, debet opponere medicamenta virtutum. ita ſcilicet, vt prius mores omnium diligenter inquirat, vt, quid cuique inferre debeat, non ignoſcat. *Diſciplinam libens habeat; metuendus imponat. & quamuis vtrumque ſit neceſſarium; tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri; ſemper cogitans ſe Deo pro vobis redditurum eſſe rationem.* Oportet, vt doctor Eccleſiaſticus, ſapiens, ſit & diſciplinatus. quia tunc alijs recte diſciplinam imponit; cum ipſe di-

Matth. 6.

1. Cor. 9.

Prælati, honorandi.

Luc. 10.

Eccli. 3.
Eclceſ. 32.
Matth. 23.

Prælatus, medicus.

Prælatus, doctor.

ſciplinate viuit; cum ex ſe ipſo trahit magiſterium quod exercet in
Heb. 12. alio. Verba ſunt Apoſtoli, dicentis ad Hebræos. In diſciplina perſeuerate; tanquam filijs offert ſe nobis Deus. Et quis filius, quem nō corripit pater, &c. Sunt autem hic duo neceſſaria, vt rector ſuis exhibeat ſubditis; timorem ſcilicet, & amorem. Timorem his, qui ſuperbi, ac rebelles, & duræ mentis ſunt. Amorem vero eis, qui libenter, humiliter, & deuote ſeruiunt Domino Deo. *Et quamuis vtrumq; ſit neceſſarium: tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri.* quia Prælatus quantò plus diligitur, tantò plus auditur. Et magis placet Deo illa ſeruitus, quæ ex voluntate, & amore fit; quam illa, quæ fit ex timore. Propterea dulcis magiſter, diſcipulis ſuis ait. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Non enim vult Dominus, vt eum, tanquam Dominum, timeamus; ſed vult, vt eum diligamus, tanquam patrem filij; & vt præcepta eius faciamus; non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Hoc ſemper autem cogitare debet qui iudex eſt animarum; quia ſuper ſe iudicem habet Deum, vt regiminis curam, tanto ſolicitius agat, quantum ſe redditurum rationem, pro ſibi commiſsis, apud diſtrictum iudicem penſat. Valde enim ſolicitus debet eſſe quiſquis in bono opere; vt in cunctis quæ agit, ſemper cogitet de extremo fine. Vnde ſcriptum eſt. In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. *Vnde vos, magis, obediendo, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini: qui inter vos, quanto in loco ſuperiori, tanto in maiori periculo verſatur.* In periculo magno verſatur, quiſquis in regiminis loco ſublimatur. Nam quáto ſuperior gradus, tantò periculoſior caſus; & cui plus donatur plus exigitur. Grande periculum eſt, ſibi, & alijs viuere; temporalia ſimul, & ſpiritualia prouidere. Sic debet ſui curam agere, vt alios non negligat: ſic de alijs cogitare, vt ſemetipſum, obliuiſcendo, non derelinquat. Sic temporalia procurare, vt non refrigeſcat à ſpiritualibus: ſic inardeſcere ad ſpiritualia, vt ſit ſolicitus de temporalibus. Inde ergo magis, ſubditi Prælato obedire debẽt, vnde magis eum pro ipſis vident laborare. Quod cum faciunt, non ſui, ſed etiam ipſius magis, obediendo, miſerentur. Sui videlicet, quia animas ſuas ſaluant. Scriptum eſt enim. Miſerere animæ tuæ, placens Deo. Ipſius quoq;, qui præeſt miſerẽtur; quia onus eius, alleuiant obediendo. cũ enim ſcriptũ ſit. Filius ſapiens lætificat patrẽ: tanto plus gaudent, & liberius laborant patres ſpirituales pro filijs, quantum eos vident ſpiritualibus obtemperare diſciplinis.

Prælatus, magis ametur. *Ioan. 15.* *Eccl. 7.* *Prælati pericula.* *Luc. 11.* *Eccl. 30.* *Prouerb. 10.*

VMBERTVS.

IPSE

Ipse vero, *qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante: ſed charitate ſeruiente, felicem.* Cum dixerit ſupra ad Prælatum pertinere curam Regulæ obſeruandæ; quia melius hoc poteſt ille perficere, ſi bonas habuerit conditiones, determinat nunc conditiones quæ debent eſſe circa Prælatum. Et primo, circa charitatem. ſecundo, circa honorem, ibi *honore coram vobis*. tertio, circa timorem, ibi, *timore coram Deo.* quarto, circa officij executionem, ibi, *circa omnes ſe ipſum bonorum operum.* quinto, circa diſciplinam, ibi, *diſciplinam libens habeat.* ſexto, circa animi interiora, ibi, *Et quamuis vtrumq;.* Et licet circa plura verſentur conditiones bonæ Prælatorum; tamen iſta prælegit Auguſtinus, tanquam valde neceſſaria in Religioſis Prælatis.

Circa primum igitur, quod continetur in iſto mandato, nota, quod viri Religioſi, qui appetunt præeſſe ambitioſe, & non prodeſſe, primo ſolent appetere Prælationes. 2. Reg. 1. Adonias eleuabatur, dicens, Ego regnabo. at cõtra viri ſancti fugiũt, exemplo Domini, Ioan. 6. Itẽ; iſti adeptis Prælationib⁹, ſe felices reputant. at viri ſpirituales e conuerſo. Iob 6. Ecce gigantes gemunt ſub aquis. Greg. Illis populis quis mente ſupponitur, quibus dignitate præponitur. Vnde Sancti, quia onus ſentiunt, quantũcunq; digni ſint ſciẽtia, vel virtute, in Prælationibus, ſciunt nõ ſe felices eſſe; ſed miſeros, ſe reputantes, gemũt. Vnde, cũ legeretur ad menſam B. Auguſt. Regula in quodã conuentu. & lector dum legeret, illud *Vnde & vos, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini*; erraret, ac diceret, *ipſius miſerrimi*: correctore menſæ emendante, *miſeremini*; Prior dixit correctori; Frater permitte eum dicere miſerrimi. O quantũ ſenſit iſtã miſeriã Moyſes, qui Num. 11. dixit Domino. Cur afflixiſti ſeruũ tuũ; quare non inuenio gratiã corã te: & cur impoſuiſti põdus vniuerſi populi huius ſuper me? Nõ poſſum ſolus ſuſtinere omnẽ hunc populũ: quia grauis eſt mihi. Sin aliter videtur tibi, obſecro, vt interficias me, & inueniã gratiã in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Quid autẽ mirũ, ſi ſancti viri hæc ſentiant ſpirituali illuminatione, cũ quidam viri hoc idẽ viderint ratione. Cũ enim cuidam gentili oblata eſſet veſtis Imperialis, cũ corona, reſpiciens veſtẽ, ait. O pannũ, magis nobilẽ, quam felicẽ; quem, ſi quis attẽdat, quantis ſolicitudinibus, periculis, & miſerijs ſit refertus, ne iacentẽ quidẽ in luto tolleret. Item, multi cõparata Prælatione abutuntur, ſuperbe dominãdo. boni verò vtũtur, humiliter famulando; iuxta illud Matth. 21. Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Nõ ita erit inter vos: ſed quicunq; voluerit inter vos primus eſſe, erit ſeruus veſter. Vnde

Cap. CLXV.

Prælatura, magnum onus.

Exemplum.

Exemplum.

Auguſtinus. Locus ſuperior, etſi adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur. Nota tamen, quod ſunt tria, quæ ſolent inducere aliquos ad recipiendam Prælationem interdum. Vnum eſt, diuina vocatio. reputant enim aliqui, præcipue in Eccleſijs, quando canonici eligunt, quod ſit à Domino. Et ideo non reputant ſe male facere; iuxta illud, Hebr. 5. Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo, tanquam Aaron. Secundum eſt, charitas proximorum. & hoc eſt melius. Auguſtin. Ocium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſsitas charitatis. Aliud eſt, obedientia. & hoc eſt adhuc melius. Hinc eſt, quod de multis legitur, quod etſi illi Prælationes fugerunt, tamen, tandem, obedientes, receperunt. Sed quia tales in Prælationibus non debent ſibi complacere, nec vti ſuperbe dominando; ſicut ambitioſi faciunt, dicit, *ille qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem.*

Tria ſuadent eſſe Prælatum.

Cap. CLXVI.

Prælati maxime ſunt, vt aliis proſint & proſpiciant.

1. Cor. 4.

Et nota, quod ſupremus Prælatus, nimirum Papa, vocat ſe ſeruum ſeruorum Dei. iuxta illud Apoſtoli. Nos autem, ſeruos veſtros, propter Chriſtũ. Itẽ, angeli ſeruiũt hominibus. Heb. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Item, ipſe filius Dei, formam ſerui accipiens, ſeruiuit hominibus. Matth. 21. Ego autem in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat. Et ideo, cũ tot, & tanti ſeruiant hominibus, nõ eſt indecens, immo valde conueniens, & ſalutare, vt quilibet Prælatus, ſe ſeruũ exhibeat ſubditorum. Sunt autem multa, in quibus boni Prælati ſubditis ſeruiunt. Interdum in temporalibus: illa, in eorum commodum procurando, iuxta illud Apoſtoli. Non enim debent theſaurizare filij parentibus, ſed parentes filijs. Interdum, in corporalibus, exemplo Domini, Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, ſcilicet pedibus lauandis, vt vos ita faciatis. Item, in ſpiritualibus, in multis, quæ ſolent magna obſequia ab hominibus reputari. Magnum obſequiũ reputat mater ſe filio exhibere, cum portat eum. Et hoc faciunt boni Prælati. Num. 12. Nunquid ego concepi omnem multitudinem hanc; aut genui, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut ſolet portare nutrix infantulum? Item, bonum obſequium exhibet alij, qui miniſtrat ſpiritualia, ad paſcendũ eum. Sic faciũt boni Prælati. 2. Pet. 5. Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro ego cõſenior: paſcite q in vobis eſt gregẽ Domini. Itẽ, magnũ obſequium exhibet ciuitati, qui pro ea cuſtodiẽda vigilat, tẽpore hoſtili. & ipſi ſunt vigiles, qui cuſtodiũt ciuitatẽ, Can. 3. Itẽ. magnũ oſequiũ exhibet regi, q, pro eo cuſtodiẽdo, vigilat, cum ipſe dormit. & ipſi hoc faciunt pro animabus. Ipſi enim, Præpoſiti ſcilicet, peruigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus

1. Cor 12.

bus veſtris, Hebr. vltimo. Item, magnum obſequium exhibet alij, qui, pro eo defendendo, pugnat contra hoſtes. Et ipſi ſic faciunt. Canticor. 3. Lectulum Salomonis, ſcilicet Eccleſiam, ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſsimis Iſrael: qui ſunt omnes, tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. quod exponitur de Prælatis. Item, magnum exhibent obſequium hominibus, qui eos ducunt per inuia. Et ipſi ſic faciunt. Pſalm. Deduxiſti, ſicut oues, populum tuum, in manu Moyſi, & Aaron. Item, magnum exhibent obſequium alij, qui ipſum infectum ſordibus lauant. & ipſi ſic faciunt. Iob. 1. Sanctificabat filios ſuos. quod pertinet ad Prælatum. Beati Prælati, qui in his, & ſimilibus ſeruiunt ſubditis ſuis, cum charitate. Si enim quod fit cuilibet de minimis, à quocunque, Chriſtus reputat ſibi factum; & daturus eſt talibus in fine regnum: quanto magis Prælato, qui propter ipſum, in hoc, ſupra alios, ſe humiliat? Sicut ergo ſuperbia dominandi, ducit Prælatos ad inferos; ita humilitas ſeruiēdi, eos ducit ad ſuperos. Et ideo, benedicit, *exiſtimet ſe charitate ſeruiente felicem.*

Pſalm. 76.

Matth. 25.

Honore, *coram Deo, prælatus ſit vobis.* In hoc mandato tanguntur duo. Bona conditio Prælati, & vt à ſubditis habeatur in reuerentia, & honore: et hoc iuſtum eſt. Malach. 1. Si ego pater, vbi honor meus? Et notandum, quod quidam minus interdum honorant Prælatum, propter aliqua eius vitia. Gen. 9. Cum vidiſſet Cham verenda patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis. &cet. Alij interdum, propter ſimplicitatem, quam quidam, etiamſi vitijs careant, habent. Iob. 12. Deridetur iuſti ſimplicitas. O quot, propter hoc, Prælatos ſuos contemnunt. Contra quod dicitur, Eccleſ. 3. Et ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in tua virtute. Alij interdum, propter notitiam familiarem. ſicut dicitur de ruſtico quodam, qui minus veneratus eſt crucifixum Eccleſiæ ſuæ, quod factus eſſet ex nuce horti ſui. Matth. 12. Non eſt propheta, ſine honore, niſi in patria ſua. Porro, ex huiuſmodi irreuerentia, ſequuntur tria mala. Vnum eſt, maledictio. Deuter. 27. Maledictus, qui non honorat patrem. Secundum eſt, propria confuſio. Eccleſ. 3. Dedecus eſt filij, pater ſine honore. Tertium eſt, contumelia Dei. Huiuſmodi enim irreuerentiam, ſuam reputat Deus. Luc. 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Vt ergo mala iſta vitentur, honorandus eſt ſemper Prælatus. Ad hoc autem faciendum, monet ſacra ſcriptura. Eccleſ. 11. In medio fratrum, rector illorum in honore. Item, hortatur natura apum, quæ regem ſuum, egredientem de aluear i ſuo, comitantur, & ei faciunt cellam ſingularem.

Cap. CLXVII. Quare à quibuſdam Prælatus non honoretur.

Mala ex eo, quod non honorantur Prælati.

Quæ ad Prælatum honorandum mouent.

rem. Item, monet ratio. Honor enim exhibitus Prælato, exhibetur Deo. quia ipſe dicit. Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Et ideo, cum homo teneatur Deum honorare, debet Prælatum honorare: in corde, eum diligenio; in ſermone, reuerenter ei loquendo, reuerenter eum audiendo; in opere, prompte obediendo, deuote ſeruiendo, reuerenter aſsiſtendo.

CAP. CLXVII Prælatus multas habet timendi cauſsas.

TIMORE, *coram Deo, ſubſtratus ſit pedibus veſtris.* Hic ponit mandatum circa tertiam bonā conditionem Prælati. & eſt ſenſus. Quamuis vobis præponatur; tamen timore, debet vobis ſupponi. Et nota, quod licet omnis homo ſemper debeat eſſe pauidus, tamen Prælatis eſt magis timendum, quam ſubditis. Ipſi enim habent reddere rationem, non ſolum ſui, ſed etiam ſubditorū. Heb. vlt. Ipſi enim peruigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus veſtris. Cum autem animæ ſint res precioſæ, & valde dilectæ Deo, & valde facile pereant; quantum debet timere qui ſic eas accipit in cuſtodia, vt de eis redditurus ſis rationem? Ideo Auguſtinus, timens dicebat. Quid faciam, cum à me exigetur ratio tot animarum, quæ pendent à collo meo? Ideo, ipſi ſunt, quaſi principes exercitus. vt ipſis victis facile totus exercitus diſsipetur. 1. Machab. 9. Cecidit Iudas, & reliqui fugerunt. Et ideo dæmones, acrius eos impugnant. 1. Reg. 13. Totum pondus prælij, verſum eſt in Saul. Si autem ouis naturaliter timet ſuum hoſtem, quanto magis homo? 1. Reg. 28. Vidit Saul caſtra Philiſtijm, & timuit, & expauit cor eius nimis. Item, ſicut de patre impio conqueruntur filij, ita de multis Prælatis. Iob. 31. Si terra mea clamat aduerſum me. Qnod exponit Gregor. de Prælatis, & ſubditis. Item, Auguſtinus de Prælato, *Quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur.* Si ergo in maiori periculo: igitur timor debet eſſe maior. Item, ſignum eſt diuini amoris, cum quis non exponitur occupationibus Prælationis. Gregor. Miſericors Deus, quos tenere diligit, ab occupationibus exterioribus abſcondit. Nam & pater familias, ad eum laborem ſeruos mittit, à quo, filios eximit. Signum vero diuinæ iracundiæ eſt, occupatio in Prælatione. Auguſt. In nullo magis mihi Deum iracundum ſentio, ſicut in hoc: cum eſſem indignus poni ad remum, poſitus ſum ad gubernaculum. Item, inter ſeptem Epiſcopos Aſiæ, qui propter ſui excellentiam vocati ſunt angeli, multi reperti ſunt, contra quos Dominus aliqua habuit, licet pauca. Quid ergo facient Prælati, qui longè ſunt à ſtatu angeli? Item, Sapient. 6. Iudicium duriſsimum his, qui præſunt. Propter hæc omnia ait vir ſanctus, *Timore, coram Deo.*

Circa

Circa *omnes, ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum. corripiat inquietos: conſoletur puſillanimes: ſuſcipiat infirmos: patiens ſit ad omnes.* Hic dat mandatum, circa quartam boni Prælati conditionem: quæ pertinet ad officij executionem. Licet autem, ſecundum prædicta, plurima pertineant ad Prælati officium, tamen Auguſtinus hic tangit quinque, quæ ſunt deſumpta ab Apoſtolo. Et nota, quod inter omnia, quæ ſunt magis neceſſaria Prælato, eſt bonum exemplum. Sine hoc enim carét efficacia quæcunque facit. Secundum eſt, malorum correctio. Quid enim prodeſt ei bene facere, ſi mala ſuſtineret? Tertium eſt, afflictorum conſolatio. Non enim ſolum contra vitia debet adhibere remedium, ſed & contra deſolationes. Quartum eſt, compaſsionis exhibitio, per effectum. Quid enim prodeſt verbis cõſolari, ſi, vbi requirit infirmitas mentis, vel corporis, non exhibeatur opus compaſsionis? Quintum eſt, patientia. Cum enim in his, quæ debent agere, multa grauia oriantur in ſubditis, parum eſt omnia bona facere, ſi deſit patientia in moleſtijs, quæ inferuntur à ſubditis.

Cap. CLXIX.
Conditiones boni Prælati.
1. Theſ. 5.

Circa primum, nota, quod Prælato non ſufficit ſolum docere, more ſcribarum, & phariſeorum, qui dicunt, & non faciunt; ſed debent exemplo Chriſti facere, & docere. ita ſumme pertinet ad eum facere. Gregor in Paſtorali. Sit rector, operatione præcipuus; vt recte vitam ſubditis. bene viuendo, denunciet: & grex qui paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſsitate exigitur ſumma docere; hac eadem neceſsitate compellitur ſumma monſtrare. Propter hoc bene dicit, *operum.* quaſi dicat. Non ſit contentus verbis bonis erga ſubditos: ſed potius inuitator, bonis operum exemplis. Sicut & B. Benedictus in Regula, loquens de Abbate, dicit. Omnia bona, & ſancta, factis amplius, quam verbis oſtendat. Item, non ſufficit ei facere bona occulta tantum; niſi ea faciat, vt oportet, manifeſta. Vnde Math. 5. dicitur primis illis Prælatis, Sic luceat lux veſtra, coram hominibus, vt videant bona opera veſtra. & ideo dicit, *exemplum,* Item, non ſufficit ei cauere à malo exemplo, niſi det & bonum. Vnde in Euangelio de eiſdem dicitur. Sint lumbi veſtri præcincti. quod pertinet ad declinationem à malo: & lucernæ ardentes in manibus veſtris. quod pertinet ad oſtenſionem boni exempli. & ideo dicit, *bonorum.* Item, non ſufficit ei dare exemplum in vno bono, niſi det & in omnibus: & non ſolum aliquibus, ſed omnibus. ideo dicit, *circa omnes.*

Cap. CLXX.
Prælati maxime eſt, dare bonum exemplum.
Act. 1.
Luc. 12.

Notan-

Notandum etiam, quod licet omnes debeant dare exemplum, iuxta illud Rom. 12. Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus; tamen Prælati, ad hoc magis tenentur. Vnde ad hoc facit ſpecialem exhortationem Paulus, Timotheo Epiſcopo dicens. Exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione; in charitate, in fide, in caſtitate. Huius autem rei ſunt multæ rationes. Prælatus enim eſt in alto ſtatu, & loco. & ideo non poteſt abſcondi: ſicut ciuitas ſupra montem poſita: & ideo ſi aliquid eſt turpe in eo, quanto à pluribus videtur, tanto fit deriſio maior in eo. Sicut ergo qui aſcendit ſupra admotas ſcalas, ſollicitus eſt veſtes ſuas reſtringere, & aptare, ne aliquid turpe in eo videatur; ita curandum eſt Prælato: eo quod in alto poſitus, ſpectaculum eſt multorum, vt nihil inhoneſtum appareat in eo, ſed potius omnis decor, honeſtas, pulchritudo. Item, Prælatus eſt ſicut exemplar, ex quo alij libri tranſcribuntur. & ideo, ſicut omnes libri, ſcripti ex malo exemplari, ſunt corrupti; ita exemplum Prælati, niſi ſit bonum, eſt cauſa corruptionis in omnibus ſubiectis. Et ita, ſicut magna cura ponenda eſt circa primum exemplar librorum, vt ſit valde bonum, ſic eſt de Prælato. Item, Prælatus eſt, ſicut ductor gregis, ſecundum illud, Pſalm. Deduxiſti, ſicut oues. populum tuũ, in manu Moyſi & Aaron. Et ideo, ſi vadit per viam malorum operum, ſequitur eum populus per eandem. Gregor. Vnde fit, vt cum paſtor per abrupta graditur, per præcipitium grex ſequatur. Et ideo, dicit idem Gregor. Scire debent Prælati, quoniam tot mortibus digni ſunt, quod exempla perditionis ad ſubditos tranſmittunt. Idem Gregor. Non debet hominum habere ducatum, qui neſcit homines, bene viuendo, præire. Item, Prælati ſunt miniſtri Dei. & ideo, ſicut famuli regis incedunt pulchrius, quam ceteri populares: ita & ipſi debent pulchriorem virtutum conuerſationem oſtendere. Item, Prælati ſunt, ſicut ſignum poſitum ad ſagittas obloquentium de eis facile. Et ideo, expedit, vt circa hoc remedium apponant. hoc non poteſt aliter bene fieri, niſi per bonum exemplum. 2. Pet. 2, Hæc eſt voluntas Dei, vt bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Item, Prælati ſunt, ſicut corpora ſuperiora, quæ lucida ſunt, & illuminant terram, ita ipſi ſubditos. Item, opus exempli efficaciam præſtat verbo. quia, ſecundum Gregorium, plus exempla, quam verba mouent. Cum ergo Prælati ſit docere, debet exemplum addere: vt eius vox, vocem habeat virtutis. Gregor. Auctoritas verbi perditur, cum vox opere non iuuatur. Item, Prælatus habet officium medici. & ideo coram infirmis, non debet aliquam

1. Tim. 4.

Matth. 5.

Pſalm. 76.

aliquam iſirmitatem portare. ne dicatur ei illud Euangelij. Medice cura te ipſum. Qua præſumptione alijs mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ne ergo eius officium contemnatur, debet, coram alijs, omnimodam ſui oſtendere ſanctitatem. Item filiorum eſt, imitari patrem, ſecundum illud, Ioan. 5. Quæcunque pater facit, hæc & filius ſimiliter facit. Et ideo cauendum eſt Prælato, ne ſit ex illis, de quibus dicitur, Matth. 23. Secundum opera eorum nolite facere. Sed potius cum Apoſtolo dicere poſsit, Imitatores mei eſtote. *Luc. 4.* *Phil. 3.*

CIRCA ſecundum, nota, quod quidam ſunt Prælati, circa correctiones ſubditorum negligentes. Contra quod dicitur in Pſal. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. Sicut enim Domini terrarum, qui iuſti ſunt, exercent iuſtitiam contra delinquentes; ita ad Prælatum iuſtum pertinet, corrigere. neque hæc eſt malitia, ſed miſericordia. Item, Prælati negligentes, aſsimilantur, ſecundum Iſidorum, dormienti, de cuius manu cadit baculus paſtoralis. Et pictores pingunt talem, quaſi incumbentem in cathetra ſuper cubitum, ſomno grauatum; & cadentem de manu eius baculum paſtoralem: & merito ſic exprimuntur. Ex dormitione enim negligentiæ, verbum correctionis amittunt. Et ideo, ad euigilandum, dicitur eis, in perſona ſummi Prælati. Simon dormis? Item, ſunt, ſicut Prætores, qui ſibi præferri gladium curant; & tamen ſine cauſa. quia ſunt ita inertes, vt nunquam eo vtantur. Contra quod dicitur. Si malum feceris, time poteſtatem. non enim ſine cauſa gladium portat. Item, ſunt, ſicut imago B. Nicolai mortua, tenens baculum in manu, quo nunquam vtitur. De tali dicitur Zachariæ. 11. Paſtor, & idolum. Præterea iſti ſunt, qui nunquam ſcire volunt culpas ſubditorum: immo & grauantur, cum ad eos corrigendum incitantur; omnia diſsimulare volentes. Contra quod dicit B. Benedictus in Regula. Non diſsimulet Abbas peccata delinquentium; ſed mox vt oriri ceperint, radicitus ea vt præualet amputet. Iſti ſunt, qui nunquam vtuntur iraſcibili potentia, ad bonum: non iraſcentes contra delicta: ſed omnia cum quadam ſtulta patientia, quaſi inſenſibiles ſuſtinentes. Contra quod dicit Bernardus. Non iraſci, vbi iraſcendum, eſt peccatnm. Iſti ſunt, qui excuſantes ignauiam ſuam, dicere ſolent, quod ſubditi magis regendi ſunt benignitate, quam ſeueritate: magis amore quam timore. Quod licet interdum habeat veritatem, tamen non ſemper. Vnde Auguſtinus ad Bo-

CAP. CLXXI. Prælati maxime eſt corrigere. *Pſalm. 140.* *Marc. 14.* *Rom. 13.*

niſacium. Quidam dixit,pudore, & liberalitate, liberos retinere ſatius eſſe credo,quam metu. Hoc quidem verum eſt.ſed ſicut meliores ſunt,quos dirigit amor;ita plures ſunt, quos corrigit timor. Et Iſidor. Qui blande caſtigatur,& non corrigitur; acrius neceſſe eſt vt arguatur. Cum dolore enim abſcindenda ſunt,quæ de lenitate ſanari

Mala ex omiſſa correctione.

non poſſunt. Et nota,quod negligentiam corrigendi multa mala ſequuntur. Quorum quædam redundant in Prælatum. alia in delinquentem. alia in communitatem. Sunt autem mala tria, quæ redundant in Prælatum. Primum eſt, confuſio. Sicut enim honor eſt patri, bonos habere filios: ita parit confuſionem malitia eorum. Eccleſ. 22.Confuſio eſt patris de filio indiſciplinato. Secundum eſt, culpa. Tranſeunt enim in Prælatum culpæ ſubditorum, quos non corrigit. Exemplum in medico; qui reus eſt mortis infirmi ſuſcepti ſub cura, niſi faciat quod in ſe eſt, in infirmo curando. Aliud exemplum in pædagogo: cui vitio vertitur, ſi puer illius curæ commiſſus, indiſciplinatus, ex illius negligentia inueniatur. Aliud exemplum ponit B. Benedictus in Regula in paſtore, dicens. Sciat Abbas culpæ paſtoris incumbere, quidquid paterfamilias in ouibus minus vtilitatis poterit inuenire. Tertium eſt, pœna temporalis. Punientur enim non ſolũ in futuro, ſed etiam in præſenti, Prælati negligentes, pro culpis ſubditorum. Vnde iratus, Dominus dixit ad Moyſen.

Num. 25.

Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos, contra ſolem,in patibulis. Et eſt exemplum in Heli, ſacerdote. Sunt iterum alia

1. Reg 2.

tria mala,quæ redundant in damnum delinquentis. Primum eſt, excæcatio. Credit enim delinquens, interdum, cum non corrigitur, illud quod facit non eſſe malum; vel non eſſe tantum malum,vt eſt. Ideo dicit Gregor : in paſtorali. Nonnulla vehementer increpanda ſunt: vt dum culpa ab actore non cognoſcitur, quanti ponderis ſit ab increpantis ore ſentiatur. Et ideo bene dicitur, Prouerb. 29. Virga, & correctio tribuit ſapientiam. Secundum eſt, delicti multiplicatio. Delictum enim , quod non corrigitur, facilius multiplicatur. Bernardus. Impunitas, eſt inſolentiæ mater: radix impudicitiæ; tranſgreſsionum nutrix. Eccleſ. 8. Quia cito non profertur contra malos ſententia; idcirco abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Tertium eſt, finalis perditio. quia enim non corriguntur, ideo facilius delicta continuantur, & tandẽ homines pereunt:ſicut patet de Adonia, dicente, Ego regnabo.

3. Reg. 1

quem pater non corripuit: & tandem eſt interfectus. Sunt & alia tria mala, quæ redundant in damnum communitatis. Primum

mum eſt, infectio. ſicut enim morbida ouis, niſi ſanetur, inficit gregem; ita peccatum incorrectum. Secundum, difficultas corrigendi. Tertium, rebellio ad omne bonum. Delictum enim incorrectum, non ſolum inficit alios, ſed etiam inhabiles reddit ad omne bonum.

QVAERENDVM nunc eſt, qui ſint, quos vocat inquietos: & de cauſis huius inquietudinis; & quare ſpecialiter dicantur corrigendi. Inquieti ſecundum Gloſ. 1. ad Theſ. 5. dicuntur curioſi, ſiue girouagi. Ex quo elicitur, quod inquieti proprie dici poſſunt, qui curoſitate exagitati, ſecum conſiſtere non poſſunt: ſed modo intus: modo foris: modo ad portam, cum externis: modo in locutorio, cum fratribus: modo in hoſpitum loco: modo in valetudinario: modo in horto: modo in coquina: & ſic de alijs locis. Dixit quidam, tali, deriſorie. Tu es, ſicut Deus, qui vbique inueniris. Porro huiuſmodi homines, ſunt ſicut muſca, animal inquietum: quæ modo ſuper vnum reſidens, modo ſuper alium, omnes moleſtat. Sic & iſti, diſcurrendo; modo iſtum ſcandalizant: modo cum illo litigant: modo illum derident: modo illum concitant: & ſimilia. Cōtra hos Apoſtolus dicit. Rogamus, fratres, vt detis operam, vt quieti ſitis. Sunt iterum ſicut pullus equinus, habens ſub cauda ſpinam; qui vbique diſcurrens, nuſquam poteſt quieſcere. Circa cauſas huiuſmodi inquietudinis, nota, quod poſſunt eſſe tres. Vna, eſt leuitas cordis: ſicut accidit in papilionibus, qui ex leuitate huiuſmodi, diſcurrunt vbique ſecundum impetum cordis. Alia, eſt intrinſeca, ſicut accidit in paupere, qui, cum deficiunt ei bona ſua, cogitur diſcurrere huc & illuc, vt inueniat in quo reficiatur. Alia eſt, ægritudo animæ. Sicut enim ægritudo corporalis, non ſinit hominem quieſcere; ſic etiam animæ. Nota. quod in vitis patrum, frater quidam interrogauit Abbatem Antonium, dicens: Quid cuſtodiens, placebo Domino? Reſpondit ille: Quocunque vadis, habe Deum præ oculis: & in omnibus quæ agis, adhibe teſtimonium ſcripturarum diuinarum; & vbicunq; ſederis, ne cito mouearis. hæc tria cuſtodias, & ſaluus eis. Vnde Hieronymus: Monachum ſe eſſe, non loquendo, & diſcurrendo; ſed tacendo & ſedēdo quiſq; nouerit. Nota etiam, quod propter tria, aliquod vitium eſt magis corrigendum. Primo, quoniam eſt manifeſtum. Secundo, quoniam alios turbat. Tertio, quoniam ex diſsimulatione, leuius, ac nullum reputatur. & ideo, cum omnia iſta concurrant in vitio inquietudinis, dicitur hoc ſpecialiter corrigendum.

CAP. CLXXII. Quinam proprie inquieti, & vnde?

1. Theſſ. 4.

Exemplum.

Inquieti maxime corrigendi.

ſolarentur eas de fratre ſuo. Si iſti tam ſoliciti fuerunt pro conſolatione deſolatorum, quorum curam non habebant; quanta crudelitas eſt, ſi ille, qui habet curam alicuius deſolati, & eum coram ſe videt quotidie, non habet curam conſolandi ipſum? Bene ergo dicit Auguſtinus Prælato, vt conſoletur: ſed quos? puſillanimes.

Circa quod quæritur, qui nam vocentur puſillamines: & quare ſpecialiter dicantur conſolandi; & de his quæ poſſunt valere ad conſolationem. Puſillanimitas dici poteſt, timor immoderatus, ex animi paruitate procedens. Porro iſta puſillanimitas, facit interdum æſtimare rem quæ nō eſt peccatū, eſſe peccatum: ſicut accidit in multis Religioſis, præcipue recens conuerſis: qui in multis ęſtimant peccatum, vbi non eſt: ſicut diues timidus, quando videt pauperem, æſtimat furem; quando videt diuites, æſtimat prædones: & cum ſit pax, inſidias ſuſpicatur. Pſal. Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Interdum vero, facit timere quæ non ſunt timenda; licet habeant effigiem timendam: vt aduerſitates, & verba hominum, & huiuſmodi; ſicut pueri timent laruas. Bernard. Timent, quæ non oportet. Interdum impedit aggreſsionem futuri laboris: ardua inchoata, facit dimittere ex diffidentia conſummationis. Circa conſolationem iſtorum, notandum, quod confirmatio puſillanimum, eſt opus magnæ pietatis. cedit enim in bonum commune: & confortat contra malitiam dæmonum. Ideo ſpecialiter ſunt confortandi. Ad quorum conſolationem, multa poſſunt valere. Vnum eſt, verbum diuinum. Ipſe enim Deus eſt qui dicit, Luce 12. Nolite timere, puſillus grex. Si magna eſt conſolatio exiſtenti in periculo maris, vel infirmitatis, vel belli, quando dicit ſapiens gubernator nauigantibus; ſapiens medicus infirmantibus; ſapiens dux pugnantibus; nolite timere: quanta debet eſſe conſolatio illis, quibus tantus, & tam ſapiens dicit, Nolite timere? Aliud eſt, ſpes diuini auxilij. Sperare enim poteſt omnis Deo ſeruiens, quod non deſeret eum, quem ſuo ſanguine redemit. Nam ipſe per Eſaiam dicit. Noli timere, quia ego redemi te. Si autem ſpes omnis eſt conſolatoria, iuxta illud. Spe gaudentes: quanto magis talis ſpes? Aliud eſt, promiſsio huius auxilij, quod magis eſt quam ſpes. Vnde, Eſaiæ 41. Seruus meus es tu. elegi te, & non abieci te; ne timeas, quoniam tecū ſum. Si obſeſsis eſt magna conſolatio, quando aliquis potens nunciat eis, ſe adfuturum, & auxilium allaturum: quanto maior debet eſſe conſolatio illis, quibus dicit Dominus, ſe non adfuturum, ſed adeſſe? Aliud eſt, ſocietas magna, & bona. Quis eſt enim adeo timidus, quem bona ſocietas non confortet? Speratur enim, ſeruientes Deo non ſolum habere ſecum in ſocietate angelos, ſed & bonos

Cap. CLXXIIII. Quinam propriè puſillanimes: & quomodo tractandi.

Pſalm. 13.

Quæ maxime conſolantur.

Eſa. 43.

Rom. 12.

bonos viros. Aliud eſt, contrariorum proſtratio. Quidquid enim eſt in mundo terribile; ſiue peccatum; ſiue diabolus; ſiue proſpera; ſiue aduerſa, & huiuſmodi; totum victum eſt à Domino. Et ideo dicit, Ioannis. 16. Confidite. ego vici mundum. Sicut ergo minus timet, qui, debellato hoſte, pugnaturus eſt. Ita, poſtquam deuictus eſt mundus, magna conſolatio fiduciæ poteſt oriri in cordibus omnium, qui debent cum ipſo pugnare. Aliud eſt, beneficium gratiæ. Gratia enim, eſt ſicut gladius, quo ſufficiẽter poteſt ſe homo defendere. propter quod

2. Cor. 12. dicit Dominus Apoſt. Sufficit tibi gratia mea. ſcilicet ad defendendũ te. Aliud eſt, remunerationis conſolatio. Gregor. Quidquid intolerabile puſillanimitas aſſerit, hoc leue, & facile ſpes remunerationis oſtendit. Luc. 12. Nolite timere, puſillus grex: quia complacuit patri veſtro vobis dare regnum.

CAP. CLXXV. Varia infirmitas; & quomodo vnaquaque curanda.

CIRCA quartum, notandum, quod multiplex eſt infirmitas. Quædã, eſt corporalis ægritudinis. Luc. 4. Omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Ieſum: & ipſe ſingulis manus imponens, curabat eos. Huius autem exemplo, tales infirmi ſuſcipiendi ſunt à Prælato, in viſceribus compaſsionis, ad medicinalia pro ſalute. Vnde Auguſt. ſupra: *fiat ſine murmure, de conſilio medici; ita, vt etiãſi nolit, iubente Præpoſito, faciat quod faciendum eſt, pro ſalute.* Alia, eſt corporalis. Matt. 26. Caro autẽ infirma. id eſt debilis. Sic infirmi ſunt, qui habent complexionẽ debilẽ. Et tales ſuſcipiendi ſunt pie, & diſpenſatiue, cum aliqua ſpeciali recreatione. Vnde ſupra: *Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus, ad Monaſterium, aliquid alimentorum, operimentorum, veſtimentorumue datur, quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus non datur, non debet alijs moleſtum eſſe.* Alia eſt, infirmitas concupiſcentiæ carnalis: ex qua contingit, vt aliquis interdum patiatur lubrica, & turpia, & quidem frequẽter, licet occulte. tales ſuſcipiendi ſunt cum benignitate, in foro confeſsionis. Alia eſt, infirmitas morum, ſiue vitiorum. Bernardus. An non mali mores, ſunt mali humores? mali autem humores, ſunt morbi cauſa. Tali autem infirmitate laborant homines iracundi: impatiẽtes: impetuoſi: inobedientes. tales ſuſcipiẽdi ſunt inter brachia patientiæ, vt ſint materia ad merendum. Alia eſt, infirmitas vacillationis. de qua Sapient. 3. Figura infirmiter poſita, à vento circummouebitur. Huiuſmodi autem ſunt, qui non ſunt firmi in ſtatu ſuo: & tales ſuſcipiendi ſunt ſolicite, vt confirmentur. Apocal. 4. Eſto vigilans, & confirma reliqua, quæ moritura erant. Alia eſt, infirmitas dubitationis. & hæc eſt

Rom. 14. duplex. quædam, circa credenda. Apoſtolus. Infirmum in fide aſſu-

1. Cor. 8. mite. quædam, circa agenda. de qua Apoſtolus. Conſcientia ipſorum,

cum

cum ſit infirma, polluitur. Huiuſmodi autem infirmitate laborant, qui vel tentantur in fide, vel puſillanimitate conſcientiæ, in agendis, vacillant. tales ſuſcipiendi ſunt in ſpiritu manſuetudinis, vt inſtruantur. Apoſtol. Vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi, in ſpiritu lenitatis. illos ſcilicet, qui præoccupantur in aliquo delicto. huiuſmodi autem infirmi, qui non ex malitia, ſed ex ignorantia cadunt interdum, ſunt ſicut cæcus in via. Alia eſt, infirmitas perfectionis. Tales autem ſunt nouitij, & alij, qui non aſcenderunt ad perfectionem in Chriſto. & iſti ſunt charitatiue ſuſcipiendi, tanquam paruuli. Aſtolus. Tanquã paruulis in Chriſto, lac potum dedi vobis, non eſcam. Sed ſunt aliqui Prælati (quod cum dolore referendum eſt) qui infirmis non viſcera pietatis, ſed potius crudelitatis oſtendunt. non condeſcendentes eorum infirmitatibus. Non ſunt iſti ſicut, B. Nicolaus; qui, ſuper afflictos, pia geſtabat viſcera. non ſicut Iob: cum quo ab infantia creuit miſeratio. non ſicut Paulus, qui dicebat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Iſti ſunt medici animarum; ſed non eſt eis cura de malè habẽtibus. Iſti ſunt illi paſtores maledicti, de quibus loquitur Ezechiel, dicens. Væ paſtoribus Iſrael. & poſt. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; quod confractum, non alligaſtis, quod ægrotum, non ſanaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis. Item, de Spiritu ſancto legitur. Rom. 8. quod adiuuat infirmitatem noſtram. De Paulo iterum legitur, Actorum 20. quod ipſe laborabat manibus proprijs, vt haberet vnde ſuſciperet infirmos: & ſic faciendum, exemplo ſuo, monſtraret. Natura item docuit omnia volatilia, & animalia, vt maiorem curam habeant fœtuum, adhuc debilium, quam quando ſunt fortiores. Contrarij ergo ſunt ſpiritui ſancto, Paulo, & naturæ, Prælati in infirmos crudeles. Item, Prælatus potius ſumitur ad onus, quad ad honorem. Et ideo illos ſubditos, qui propter infimitatẽ mentis vel corporis ſunt oneroſi, non debent proijcere, ſed potius humeros ad portandum ſupponere.

Gal. 6. *1. Cor. 3.* *Contra Prælatos, non compatientes.* *Iob. 31.* *2. Cor. 11.* *Ezech. 34.*

Circa, quintum, nota quod tria ſunt, quæ ſolent dare occaſionem impatientiæ. Vnum eſt, magnitudo ſtatus. Facilius enim ſolent iraſci viri magni, qui non habent ſupra ſe reprehenſores, quam iuniores. Prouerb. 28. Secundum ligna ſiluæ, ſic exardeſcet ignis: & ſecundum virtutem hominis; id eſt potentiam, ſic iracundia erit. Aliud eſt, grauamen, quale eſt in infirmo. Exemplum de Iob: qui, quaſi grauatus infirmitate, videtur multa, quaſi impatiens, dixiſſe amicis, conſolari eum volentibus. Aliud

Cap. CLXXVI. *Tres impatientiæ occaſiones.*

Aliud eſt, multitudo negotiorum. Hæc enim ſunt, veluti muſcæ pungentes: & ideo, quanto plura ſunt, tanto magis moleſtant. Iſta autem tria ſunt in Prælato; & ideo multas habet occaſiones impatientiæ.

Impatientia, maxime abſit à Prælato.

Verum impatientia Prælati, multum eſt periculoſa, ad ipſum enim, propter regimen, cuncta pertinet facere ſapienter. Impatientia vero perturbat ſapientiam. Prouerb. 14. Impatiens, operatur ſtultitiam; qui vero patiens eſt, multa gubernatur ſapientia. Ad ipſum iterum pertinet iuſte iudicare, iuſte corrigere: & iuſte omnia facere. Impatientia vero peruerſe, & iniuſte omnia facit. Iacob. 1. Ira viri iuſtitiam Dei non operatur. Item, impatiens, eſt quaſi furioſus. furia vero magis periculoſa eſt in ſoluto, quam in ligato. Prælatus vero eſt quaſi ſolutus, quia non eſt ligatus per obedientiam, ſicut ſubditus. Et ideo, ſua impatientia, totam domum perturbat, ſicut furioſus ſolutus. Contra quod dicitur, Eccleſ. 4. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens ſubiectos tuos, & opprimés eos. Patet ex his quod periculoſa eſt impatientia Prælati cum perturbet eius ſapientiam, & peruertat eius iuſtitiam, & faciat abuti potentia. Notandum autem, quod ſicut Prælatus debet alios tolerare, ita & ipſe eget tolerari à ſubditis. Nihil autem eſt, quod faciat eum magis intolerabilem, quam impatientia. Prouer. 18. Epiſcopum ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere? Nec mirum: quia ſicut dicitur ibidem, cap. 17. Graue, eſt ſaxum; & arena, oneroſa; ſed ira ſtulti, vtroque grauior. Item, debet eſſe talis, ad quem debent omnes recurrere. Impatienti vero vix audet aliquis appropinquare; ſicut ſcriptum eſt de Nabal. 1. Reg. 25. Ipſe eſt filius Belial; ita vt nemo póſſit ei loqui. Item, Prælatus eſt, quaſi ſignum ad ſagittam; contra quem alius quis obloquitur; alius murmurat; alius iudicat; alius inſipientem dicit: alius in tali defectu; alius in delicto tali; & ita niſi ſit patiens, ſemper erit turbatus, & nūquam tranquillus: quod valde eſt contrarium ſtatui Prælationis. Sicut enim Deus, qui omnia regit, in ſumma eſt tranquillitate: ita Prælatus in tranquillitate debet omnia diſponere, & non turbari aliorum turbinibus. Vnde de Dauid. 2. Reg. 14. dicitur. Sicut angelus Domini, ſic & dominus meus rex. vt nec benedictione, nec maledictione moueatur. Bene ergo datur Prælato mandatum, de patientia habenda ad omnes: quia & occaſiones multas habet impatientiæ: & periculoſa eſt valde impatientia eius; & neceſſaria eſt ei patientia propter multa. Ideo dicit Auguſtin. *patiens ſit ad omnes*, vt patet ex dictis.

Diſciplina, triplex.

Disciplinam *libens habeat: metuendus imponat*: In hoc quinto mandato, circa bonas conditiones Prælati, determinatur, quomodo ſe debeat habere circa diſciplinam. Et notandum, quod diſciplina tripliciter

tripliciter accipitur. Quandoque dicitur correctio: Prouerb. 23. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam. quandoque dicitur religioſa morum cura. Vgo de S. Victore. Diſciplina, eſt membrorum omnium motus ordinatus, & diſpoſitio decens, in omni habitu, & actione. quandoque dicitur opus pœnitentiæ: vt ſunt abſtinentia, vigiliæ, & huiuſmodi. Hebr. 12. Omnis diſciplina, in præſenti videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris. Et hoc modo accipitur hic.

Cap. CLXXVII. Contra Prælatos molles, & diſciplinam in ſe negligentes.

Et notandũ, quod in quibuſdam Religionibus, ita perit vitæ auſteritas, vt nec apud maiores, nec apud minores ſeruetur. In alijs Religionibus etſi ſeruatur à minoribus, nõ tamen apud maiores. Apud quoſdam vero, ſeruant maiores, ſed non minores: quia ad hoc non compelluntur. Bernardus. Ecce, parcitas, reputatur auaritia: ſobrietas, auſteritas creditur: ſilentium, triſtitia reputatur. E conuerſo, remiſsio, diſcretio dicitur; effuſio, liberalitas: loquacitas, affabilitas: cachinnatio, iucunditas: mollicies veſtimentorum, honeſtas: lecti ſuperfluus cultus, munditia. De Prælatis, idem dicit. Vides quoſdam de maioribus lautius comedere: ſapidius bibere: indui pulchrius: cubare mollius: loqui licentius; orare rarius. Hæc enim eſt abuſio in tota Eccleſia: vt ſicut ſunt homines in ſtatu ſublimati, ſic & magis velint viuere delicate. Non ſunt iſti, Prælati, ſecundum ordinem Apoſtolorum, de quibus dicit Apoſtolus, Vſque in hanc horam eſurimus & nudi ſumus: ſed ſecundum ordinem ſcribarum, & Phariſæorum, qui imponunt onera grauia, & importabilia in humeros hominum: digito autem ſuo, nolunt ea mouere. Dauid autem rex, ſitiens, noluit bibere aquam, quam tres fortes, cum periculo vitæ adportarũt ei: ſed libauit eam Domino, dicens. Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem. Nam ſanguinem iſtorum hominum, & animarum periculum bibam. 2. Reg. 13. Multi autem, de ſtatu humili, tranſeuntes ad qualemcunque ſtatum altiorem, faciunt ſibi magnas delitias aſsidue de eis, quæ pauperes fratres, cum multo labore corporis, & anguſtia cordis conquirunt. Legitur in hiſtoria tripartita, quod cum Theodoſius Imperator, eſſet in quadam expeditione, in qua exercitus laborabat ſiti, quidam, videns eum æſtuanteum ſiti, obtulit ei potum limpidiſsimum, confectum ex aromatibus, aqua frigida ſuperfuſa. qui, vincens animum ſuum, noluit bibere; ſed offerenti ait, vt alij, cui vellet, offerret. & hoc fecit, vt corda aliorũ intuentium, propter hoc, animarentur ad tolerandam ſitim. Simile legitur de Alexandro Magno. Mira res. Homines, ſecularis dignitatis, abſtinent, vt ſuo exemplo alios animent: & Prælati Eccleſiaſtici, immo Religioſi, non curant; ſed ſubditos, victu ſuo: & exemplo ſuorum exceſſuum, in ci-

1. Cor. 4. *Matth. 23.* *Notanda hæc Prælatis, & tenenda.* *Exemplum.*

bis, & potibus, ſcandalizant. Moyſes & Aaron principes populi eodem cibo, & potu vſi ſunt, quo populi in deſerto. 1. Cor. 10. Omnes eandem eſcam ſpiritualem. id eſt, ſpiritualia ſignificantem, manducauerunt; & eundem potum. et quidam Prælati, vel officiales Religioſorum, non dignantur comedere, vel bibere, ſicut conuentus? Legitur de S. Germano Epiſcopo, qui fuit vir nobiliſsimus, & ante epiſcopatum, delitijs valde deditus, quod poſtquam factus fuit Epiſcopus, vſq; ad terminum vitæ ſuæ, ſcilicet annos triginta, corpus ſic afflixit, vt nunquam comederit panem frumenti, nec vinũ biberit, niſi in die natiuitatis, & paſchæ; nec oleum, nec ſal pro ſapore comederit, qui & cineres in refectione prælibabat; & nullam habuit veſtẽ, præter cilicium, & cucullam. Lectulus eius, cineres, & quotidiana impreſsione duratos, ſuppoſito tantum vno ſacco, cum cilicio, continebat. nunquam veſtimentum, vel calceamenta extrahebat. Quid dicent ad hæc homines ruſticani, qui promoti ad modicas dignitates, in Religione, nihil volunt auſteritatis ſuſtinere in vita, ſed ſemper ſingulares in cibis, & potibus, & lectiſternijs: & veſtibus communibus nunquam ſunt contenti? Rechabitæ propter præceptũ Ionadab, patris ſui, abſtinebant à vino perpetuo, ſicut dicitur Hier. 35. & quidã Prælati qui debent eſſe filij Dei, per imitationẽ, nolunt abſtinere à ſuperfluis delitijs? Deniq; paſtor dicitur à paſcendo; non ſe, ſed gregem; iuxta illud 1. Petri 5. Paſcite qui in vobis eſt gregẽ Dei. Iſti vero, non curant de paſcendo grege conuentus, ſed ſolũ de ſe. & ideo maledicti à Domino dicuntur. Ezech. 33. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. nonne greges paſcuntur à paſtoribus? Ex his patet, quam reprehenſibile ſit, cum, apud maiores in Religione, vitæ auſteritas non inuenitur.

Exemplum.

CAP. CLXXVIII. Contra Prælatos molles, & diſciplinam in ſubditos, negligentes.

DE tertio, nota, quod ſunt quidam Prælati, qui licet viuant diſciplinate; tamen ex quodam defectu, vel puſillanimitate, vel timore, ſunt ita molles in ſubditos, vt quaſi nunquam pro exceſsibus, duram pænitentiam, vel aliquam duram obedientiam, vel neceſsitatem obſeruandi auſteritatem Ordinis, eis imponunt. Propter quod, apud eorum ſubditos, perijt huiuſmodi diſciplina. Tales Prælati ſunt, ſicut terriculamenta, poſita in agris, ad timorem auium, vel beſtiarũ, quæ tenent arcum extentum, & nunquam iaculantur. Baruch vltimo. Sicut formidines, ſunt in cucumerario. Sunt iterum, ſicut reges, non habentes baculum, niſi arundineum; ſicut deriſorie factum eſt Chriſto. Cõtra quod dicitur in Pſal. Reges eos in virga ferrea. Sunt etiam, ſicut ciues quidam, qui filios ſuos exponunt voluptatibus, & delitijs omnibus; & non tenent eos ſub aliqua virga. & ideo tandem confundun-

Pſalm. 2.

ſunduntur & filij & parentes. Contta quos ad Epheſ. 6. dicitur. Educate filios veſtros, in diſciplina, & correctione Domini. Non reliquit huiuſmodi molliciei exemplum Chriſtus, qui flagello vſus eſt ad verberandos delinquentes in templo. Non Apoſtolus, qui fornicatorē ſathanæ tradidit. Non Petrus, ad cuius imprecationem, proprietarij, morte ſubitanea perierunt. Non eſt ſapientis medici, ſemper vti lenibus: quia plus proſunt interdum corpori, ad ſalutem, aſpera. Et cum dolore abſcindenda ſunt, quæ ſanari leniter non poſſunt. Apoſtolus. Peccantem, coram omnibus corripe, vt & ceteri timorem habeant. Ergo boni Prælati eſt, arguere viriliter; vt ab omnibus alijs timeatur. Et ideo bene dicit vir ſanctus, *diſciplinam metuendus imponat.* id eſt ita ſtrenue imponat, vt timeatur. Patet ex iam dictis, quam reprehenſibile ſit, cum in Religione perijt diſciplina ſiue auſteritas: vel apud omnes; vel apud maiores ſolum; vel apud minores ſolum. Et ideo, vt apud omnes vigeat, dicit vir ſanctus Prælato, *diſciplinam libens habeat: metuendus imponat.*

Ioan. 2. *1. Cor.* 5. *Actor.* 5. *1. Tim.* 5.

E**T** *quamuis vtrumque ſit neceſſarium; tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri; ſemper cogitans, Deo ſe pro vobis eſſe redditurum rationem. Vnde & vos magis, obediendo, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini: qui inter vos, quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur.* In hoc ſexto loco ponitur mandatum, circa bona conditiones Prælati, quantum ad animi interiora. Sunt autem hæ duæ, ſcilicet actiones, & cogitationes: circa quarum vtramque tradit mandatum. Circa primam, cum dicit, *Et quamuis &cet.* Circa ſecundam, cum dicit, *ſemper cogitans.* Circa primam, notandum, quod licet ad Prælatum pertineat & timeri, & amari; tamen, ſecundum, eſt melius. Et ideo, cum dixiſſet in præcedenti mandato, *metuendus imponat*; ſubdit, quod quamuis vtrumque ſit neceſſario appetendum, eſt tamen plus ſecundum.

S**CIENDVM** ergo, quod prout hic dicitur, neceſſarium eſt Prælato vt timeatur. Et hoc propter ſubditorum vtilitatem. Multi enim illorum ſunt, qui frequenter magis timore inducuntur ad bonum. Auguſtinus. Sicut meliores ſunt, quos amor dirigit; ita plures ſunt, quos timor corrigit. Item, propter ſtatus ſui exigentiam. Indecens enim, & inconueniens eſt, vt aliquis præſit aliquibus, & non timeatur ab eis. Et ideo Dominus, qui dedit homini dominium ſuper animalia, immiſit eis ſimul timorem erga illum. Geneſ. 9. Terror veſter, & tremor, ſit ſuper cuncta animantia

Cap. CLXXIX. Prælato curandum eſt, vt timeatur.

terræ. Item, propter Dei honorem. Non enim eſt ad honorem Regis, ſed ad confuſionem, cum eius Vicarius non timetur. Et ideo dicitur Luc. 10. Prælatis. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Porro huiuſmodi exemplum, videlicet vt Prælati timeantur, habetur in natura. Inter animalia omnia, illud, quod magis timetur ab omnibus animalibus, eſt illud quod natura fecit ſuper alia; videlicet leo. Item, habetur exemplum in poteſtatibus ſecularibus. Rom. 13. Si malum feceris, time poteſtatem. non enim ſine cauſa gladium portat. Item, habetur

1. Cor. 4. in principibus Apoſtolorum. Nam dicit Paulus. In virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Petrus vero, occiſis proprietarijs, incuſsit timorem omnibus. Actor. 5. Factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia. Sunt autem tria, quæ valent ad hoc, vt Prælatus timeatur. Primum eſt, morum grauitas. Sicut enim, quando conformat ſe quotidianis leuitatibus, ſæpe fit ex hoc contemptibilis Prælatus; ſic grauitas facit eum haberi in timore venerabili. Propter hoc dicitur de Iob. cap. 20. Videbant me iuuenes, & abſcondebant ſe. Secundum eſt, auctoritas. Sunt enim quidam, qui nunquam prodeunt ad opus aliquod virile, ex auctoritate, quam habent.

Tit. 2. Et ideo dicit Apoſtolus ad Titum. Argue, cum omni imperio: nemo te contemnat. quaſi dicat. In hoc fac imperioſe: ne vertaris in contemptum. Tertiũ eſt, rigor iuſtitiæ: cum videlicet taliseſt, vt non credatur, aliquo modo à iuſtitia eum deflecti poſſe. Et ideo de Herode dicitur, Marci. 6. Herodes metuebat Ioannem; ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum.

CAP. CLXXX Prælato magis curandum eſt vt ametur, quam vt timeatur.

NOTANDVM, quod licet neceſſarium ſit Prælato, vt timeatur; tamen magis eſt ei curandũ de amore ſubditorum. & hoc multis de cauſis. Quarum aliæ ſunt ex parte ſubditorum, aliæ ex parte Prælati: quod ſic patet. Illud quod imponitur amanti, licet difficile ſit, tamen fit facilius, quam quod imponitur timenti. Nihil enim amanti difficile. Item, quod fit à tali, fit hilariter, & non cum triſtitia, ſicut quod fit ex timore, & eſt acceptum Deo. Vnde Apoſtolus.

1. Cor. 9. Non ex triſtitia, aut ex neceſsitate. hilarem enim datorem diligit Deus. Item, timentis eſt, fugere; diligentis vero, adhærere. Et ideo, vbi timentes fugiunt, interdum ipſi qui diligunt, adhærent Prælato infatigabiliter; ſicut Lucas Paulo, ſecundum Hieronymum. Et ideo,

Coloſ. 3. ſecundum Apoſtolum, charitas dicitur vinculum perfectionis. Item, Prælati in multis indigent tolerari à ſubditis: hoc autem facit amor. Auguſtinus. Tantum quiſque portat, quantum amat. Item, indigent iuuari in multis: hoc autem dilectio facit. Amici eſt iuuare amicum: &, pro adiutorio, ſolet vnus ad alterum recurrere. Item, frequenter

quenter

quenrer à ſubditis moleſtantur; ſed dilectio non nouit hoc facere. quia dilectio proximi malum non operatur. Quantum ergo debent Prælati appetere vt à ſubditis diligantur: cum ſubditos hoc faciat facilius obedire; & acceptabilius Deo ſeruire & fortius eis in bono adhærere: & ipſos Prælatos faciat portari in defectibus; & eos iuuari in negotijs: & ad eos ſe habere quietius. Ideo, non ſolum Auguſtinus, ſed & Bernardus, dicit ad Prælatos. Studete magis amari, quam timeri. Et Iſidorus. Talem te redde ſubditis, vt magis ameris, quam timearis. Quis ergo dubitet, quin hoc à ſpiritu ſancto ſit, in quo tres tanti Doctores, vno ore, concordant. Sed notandum, quod ad hoc, vt Prælatus diligatur à ſubdito, cauendum eſt à ſuperbia, quæ non diligi facit, ſed odioſum reddit. Eccleſ. 5. Odibilis eſt coram Deo, & hominibus ſuperbia. Item, à duritia: quæ reddidit Roboam odioſum populo. Et ideo dicitur contra in Eccleſiaſtico. In manſuetudine, opera tua perfice; & ſuper gloriam hominum diligeris. Item, à ſingularitate. Cum enim conformat ſe alijs Prælatus, & eſt illis, quaſi vnus ex illis; ex hoc, adquirit ſibi aliorum amorem. Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſibi ſimile.

Rom. 13. *3. Reg. 12.* *Eccl. 13.*

Restat videre, poſt huiuſmodi appetitum, pertinentem ad affectum; de cogitationibus Prælati, pertinentibus ad intellectum. Inter omnes autem cogitationes, pertinentes ad ſtatum eius, hæc eſt in primis neceſſaria, vt non ad horam, ſed ſemper cogitet de ratione reddenda pro ſubditis. Propter quod dicit, *ſemper cogitans, Deo ſe pro vobis redditurum rationem.* Nam quandoque exigitur ratio de rebus parum valentibus. Prælati vero habent reddere rationem de rebus precioſis, ſcilicet animabus. Heb. vltimo. Ipſi peruigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus veſtris. Item, Dominus requirit rationem de numero. Hieremiæ 30. Adhuc tranſibunt greges ad manum minantis. Et quia Prælatus debet habere curam ſolicitam de cuſtodia omnium, exemplo Saluatoris, qui dicit, Ioannis 13. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & non perijt ex eis, niſi filius perditionis. Item, de fructu. B. Benedictus in Regula. Sciat Abbas culpæ paſtoris incumbere, quidquid in ouibus, paterfamilias minus vtilitatis poterit inuenire. Et ideo debet Prælatus dare operam diligentem, circa ſubditos, vt debitum fructum reddant. exemplo illius boni paſtoris, qui dicit. Geneſ. 31. Oues tuæ, & capræ tuæ ſteriles non fuerunt. Ex his apparet, quod iudiciũ duriſsimum, ijs, qui præſunt, fiet. Durum, quia de ſingulis animabus commiſsis oportebit reddere rationem. Durius, quia anima pro anima punietur. Duriſsimum, quia pro ſola negligentia, hoc incurrere poſſunt. Væ multis Prælatis, qui hæc non cogitant.

Cap. CLXXI. *Prælato reddenda ratio Deo ſuæ adminiſtrationis.* *Iudicium in Prælatos quare durum, durius, & duriſſimum.*

cogitant. Et ideo dicit vir ſanctus, *ſemper cogitans, Deo ſe pro vobis redditurũ eſſe rationem.* Attendendũ vero eſt, quod anima Prælati eſt in maiori periculo, quam animæ ſubditorum. & ideo, propter hoc, multum tenentur ſubditi compati animæ eius, & dare operam, ne, propter ſe, ipſa pereat. Hoc autem faciunt, cum bene obediunt. Et ideo ſubdit, *vnde & vos magis, obediendo, non ſolũ veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini: qui inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur.*

IN CAP. VLTIMVM REG. VGO.

Lectio Regulæ, vt ſemina. DONET *Dominus, vt obſeruetis hæc omnia:* vſque, *ſicut liberi ſub gratia conſtituti.* Aperte poſt lectionem ſubditur orarè. Sic enim eſt legere, & prædicare, quo modo agrum ſeminare. Sic eſt orare, quo modo ſemẽ operire. Sicut qui ſeminant in agro, ſi hoc operire diſsimulauerint, veniunt volucres, & totum quod ſeminatum videbatur, diripiunt: ita quidem iſti, qui agro ſui cordis, ſemina verbi Dei, Pſallendo, legendo, prædicando, aſperſerint, niſi poſtea orando in corde clauſerint, & quodãmodo ſepelierint, veniunt volucres, id eſt cogitationes huius ſeculi, volatiles, inanes, & vacuæ, & rapiunt quod in corde fuerat ſeminatum. Ideo, poſt lectionem, & prædicationem. ſemper orandum eſt, vt virtus verbi Dei maneat in corde; & fructus ſpiritualis creſcat in operatione. Benè autem ait, *tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores.* Non enim poſſunt impleri hæc omnia Regularia præcepta, niſi per amorẽ iuſtitiæ, quæ eſt ſpiritualis pulchritudo animæ. Nemo enim inuitus bene agit, etiam ſi bonum eſt quod agit. Quod vero ſubdit, *Et bono Chriſti odore, de bona conuerſatione fragrantes,* pertinet ad bonam vitam, & bonam famam. Vnde Apoſtolus. Chriſti bonus odor ſumus in omni (*2. Cor. 2.*) loco. Serui ſunt ſub lege, qui ex timore dominis ſuis ſeruiunt. liberi, ſub gratia, qui ex amore implent diuina mãdata. Gratia Dei quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritũ ſanctum qui datus eſt nobis, (*Rom. 5.*) implet legem. Iuſto non eſt lex poſita. vbi enim ſpiritus Domini, ibi (*1. Tim. 1.*) libertas. (*2. Cor. 3.*) Sic autem viam mandatorum Dei currimus libere, ſi dilatatum cor noſtrum, in Charitate Dei habeamus. (*Pſal. 118.*)

Vt autem vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo, poſsitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis: ſemel in ſeptimana vobis legatur. Ideo legi præcipitur, quatenus memoriter lectum teneatur. B. enim Iacobus dixit. Qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & manſerit in ea, nō auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Et bene hunc libellum, dicit ſpeculum: quia in eo, tanquam in ſpeculo, inſpicere poſſumus, quales ſumus: ſiue pulchri, ſiue fœdi: ſiue iuſti, ſiue iniuſti: vtrum quiſque noſtrum Regulariter viuat: vtrum proficiat, an deficiat: vtrum Deo placeat, an diſpliceat. Scriptura quippe nobis ſacra, noſtrā interiorem repræſentat imaginem. oſtendit quid formoſum, quid deforme ſit in anima: & qualiter pulchritudo iuſtitiæ debeat obſeruari: qualiter debeat virtutum decor componi: quomodo vitiorum maculæ debeant abſtergi. prauorum vſus eſt, mala ſemper agere, &, quæ egerint, nunquam retractare. Quidquid faciunt, cæca mente pertranſeunt. At contrà ſancti viri, in ſcripturis ſacris quotidie non ceſſant inſpicere vitam ſuam, moreſque ſuos vigilanter penſare. Et, ſi quid deforme, vel incompoſitum, aut inordinatum inuenerint, mox prout ſcriptum vident, reformare, & componere ſe ſtudent: quatenus ſancti, & immaculati coram Deo, tam in corpore inueniantur, quam in anima. Ideo Pſalm. ait. Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Et Apoſtolus admonet, dicens, Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Et iterum, Noſter homo interior renouatur de die in diem. Vnde aperte ſubditur; *Et, vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes; agite gratias Deo, bonorum omnium largitori.* Gratiarum actiones patri luminum ſemper à nobis debentur; à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſcriptura teſte, deſcendit. Nemo eſt enim donis Dei beatus, qui donanti exiſtit ingratus. & Apoſtolus. Quid habes quod non accepiſti. Merito ergo, Domino Deo noſtro gratias agere admonemur, vt agnoſcat homo, ſi quis bene viuit, gratia Dei ſe id habere, & vt perficiatur in dilectione iuſtitiæ, non aliunde ſe conſecuturum: quæ cogitatio pium facit. Ipſa eſt enim ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum. Colitur autem ſacrificio laudis, & gratiarum actionibus: vt cultor eius, non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur. *Vbi autem ſibi quicunq; veſtrum, videt aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro; orans, vt ei debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.* Amen.

Cap. XII. De iugi meditatione Regulæ.

Regula, ſpeculum.

Iac. 1.

Pſal. 118.

Epheſ. 4.

2. Cor. 4.

Bona noſtra ſunt Dei.

Iac. 1.

1. Cor. 4.

VMBER-

VMBERTVS.

DONET *Dominus, vt obſeruetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore, de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui, ſub lege; ſed ſicut liberi, ſub gratia conſtituti.* Hoc eſt ſecundum, quod facit ad Regulæ obſeruationem, ſcilicet paterna oratio. Nam boni doctotis eſt, non ſolum ſtudere ſapientiæ, vt ſciat quid doceat; & non ſolum docere verbo vel ſcripto, vt inſtruat: ſed & dare operam, vt obſeruetur, quod dicit, vt proficiat. Quia vero, non eſt ſeminantis, nec terræ ſatæ fructum producere, ſed Dei ſolius; ideo recurrit bonus doctor, ſuper hoc, ad orationem. Inde eſt, quod Doctor egregius, in fine doctrinæ in ſuis epiſtolis, ſemper orat, dicens, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. qui, ſcilicet, moneat, & iuuet facere, quæ docui. Eodem modo, orat Auguſtinus, dicens, *Donet Dominus, vt obſeruetis hæc omnia.* quaſi dicat, Quid prodeſt me in iſtis ſtuduiſſe, & vobis ita tradidiſſe, niſi obſeruetis? Ideo rogo Dominum, vt ille, qui ſolus poteſt, donet vt hæc obſeruetis.

Paulus.

CAP. CLXXXII. Contra Religioſos, qui non obſeruant Ordinem ſuum.

NOTANDVM autem, primo, quod ſunt quidam Religioſi, qui tradita ſibi à Deo mandata paruipendunt, eo quod paſsim tranſgredientes, Ordinem diſsipant; ſimiles illi, cui dicitur Hieremi. 2. A ſeculo confregiſti iugum meum: rupiſti vincula, & dixiſti, non ſeruiam. Iſti ſunt, ſicut rhinoceros. quod animal, ſecundum Gregor. in moribus adeo eſt indomitum, vt ſi ligetur, moriatur, vel vinculum diſſoluat. Sciendum autem, quod multa ſunt, quæ valent ad hoc, vt Religioſi obſeruent Ordinem ſuum. Vnum eſt, exemplum priorum. Legitur Hierem. 35. quod Rechabitæ, propter mandatum patri ſui Ionadab, nunquam biberunt vinum. Phariſæi, & Iudæi, propter traditiones ſeniorum niſi crebro manus lauent, non manducant. Legem Perſarum, & Medorum nullus audet violare. Quantò ergo magis, Religioſi, Chriſtiani, ſeruare debent mandata ſancta, ſanctorum patrum ſuorum? Et niſi faciant, timendum eſt eis, ne illi cõtra eos ſurgant in iudicio, & condemnent eos. Aliud eſt, promiſsionis obligatio, facta per profeſsionem. qui enim promittit, & non reddit, ipſe ſibi laqueum mortis parat. Vnde B. Benedictus in Regula. Qui aliquando aliter fecerit, à Deo ſe damnandum ſciat, quem irridet. Tertium eſt, apparentia exterior. Quid enim prodeſt nomen, vel habitus Religionis? Ambroſ. Quod ſumus profeſsione; actione potius,

Matth. 15.

Dan. 6.

Matt. 12.

tius, quã nomine demonſtremus: actio reſpondeat nomini, & nomẽ reſpondeat actioni. Quartum eſt, ſucceſsio ſanctorũ. Viri enim Religioſi, tanquam filij, ſuccedunt in hæreditatem ſanctorum. Et ideo, ſi vere ſunt filij, & non ſpurij, debent eos imitari in operibus. Vnde Dominus dicit Iudæis. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Eadem ratione. Si filij Auguſtini, Benedicti, Dominici, Franciſci, eſtis, opera eorum quæ fecerunt, & facienda tradiderunt, facite. Quintum eſt, conditio cohabitationis. Nam ſecundum leges eorum, cum quibus habitamus, debemus viuere. Sextum, multitudo idem vouentium. Nam Eccleſ. 5. dicitur, quod diſplicet Deo ſtulta & infidelis promiſsio. Item, dicitur Eccleſ. 36. Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſsio. Cum ergo obſeruantiæ regulares, ſint quaſi ſepes, ſequitur ex eorum diſsipatione, direptio omnium bonorum ſpiritualiũ. Item, ſi omne mendacium eſt reprehenſibile, quanto eſt maior cui quis mentitur, tanto reprehenſibilius eſt mendacium. Tales autem, Deo, cui ſe obligauerunt, mentiuntur. & ideo valde timendũ eſt de morte ſubitanea, ſicut accidit Ananiæ ex eadem cauſa. Actor. 5. Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Item, tales ſunt ſicut ſtatua Dauidis, in qua nihil eſt inuentum, niſi ſolum veſtes, & pelles caprarum. 1. Reg. 19. in qua illuſum eſt regi Saul, & non ſine indignatione eius. Quare, inquit, ſic illuſiſti mihi? Nunquid nõ eſt illuſio ſimilis, quando nõ inuenitur in Religione niſi habitus? Item, ſicut. 1. Eſdræ. 3. Seniores, qui viderant templum, cum eſſet aliter fundatum hoc templum in oculis eorum, flebant: & cauſa, quia quaſi nihil erat illud in comparatione ad primũ: quantam ergo materiam doloris habent viri perfecti, qui vident Religionem tam grauiter corruiſſe à ſtatu antiquo? Item, Religio, via eſt ad paradiſum. Qui ergo diſsipant tam, faciunt ne ſequẽtes poſsint per eam eò peruenire. Eſaiæ 33. Diſsipatæ ſunt viæ: ceſſauit tranſiens per eam. Item, multi, videntes Religionem diſsipatam, amittunt deuotionem intrandi in eam. Baruch. 4. A multis derelicta ſum, propter peccata filiorum meorum: quia declinauerunt à lege Dei. Item, ſecularibus, propter hoc, fit in deriſum. Thren. 2. Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: Sibilauerunt, & mouerunt capita ſua, ſuper te, filia Ieruſalem. Vide etiam de illo, qui dixit matri. Volo ſaluare animam meam: & tandem, quia negligens fuit in Religione, non eſt ſaluatus.

Ioan. 8.

Exemplum.

NOTANDVM ſecundo, quod ſunt aliqui, qui non integre ſeruant Ordinẽ ſuũ, ſed aliquam partem ſeruant profeſsionis ſuæ, ali- *CAP. CLXXIII.*

Contra illos, qui non integre ſeruant Ordinem ſuũ.

quam non. Iſti ſunt, ſicut Samaritani, qui partim colebant Deum, partim idola. Iſti ſunt, qui ſequuntur, claudicando. Contra quos dicit Helias. 1. Reg. 18. Vſquequo claudicatis in duas partes? Sunt iterum, ſicut adultera; quæ, licet à viro non omnino recedat, tamen, iuxta eum, recipit alterum. Sunt iterum ſicut pica, quæ partim eſt alba, partim nigra. & iſti, ſunt partim mali, partim boni. Quod obſtupeſcens Dominus, dicit, Hierem. 12. Nunquid auis diſcolor, hæreditas mea mihi? Sciendum eſt autem, quod ex huiuſmodi partiali Ordinis tranſgreſsione, ſequũtur multa mala. Tales enim ſunt, ſicut vas perforatum; vt bona alia, quæ faciunt, ob partem Religionis violatã, amittãt Eccleſ. 9. Et qui in vno peccauerit, multa bona amittet.

Exemplum.

Exemplũ in vitis patrum de quodã, qui viſus eſt haurire aquã ex puteo, & ponere in vaſe perforato, vnde tota exibat. Vnde etiam Iacob. 2. dicitur. Qui in vno offenderit, factus eſt omnium reus. Exemplum.

Exemplum.

Quidam miles inuenit quendam ſtultum monachum, qui propter militis vxorem, veſtem quandam ſibi parauerat, quæ partim erat religioſa, partim ſecularis. Eum ergo miles apprehendens, dixit; Domine monache; ex parte iſta, quæ eſt religioſa, non audeo te tangere, ne ſim excommunicatus, ſed ex parte iſta ſeculari bene poſſum te tangere. qua ex parte, adeo eum verberauit, vt mortuus ſit, perinde ac ſi per totum corpus, illum verberaſſet. Non eſt autem dubiũ, quin ſimiliter homines huiuſmodi Deus condemnaret, ac ſi totam profeſsionem tranſgrederẽtur. Item, tales ſunt deturpati, ſicut nuntij Dauidis, quando raſa fuit barba eorum dimidia, & veſtes mediæ præciſæ vſq; ad nates, & non ſunt iudicati digni, ſtare in conſpectu Dauid. Et ideo dicitur eis; Manete in Hiericho donec creſcat barba veſtra. 2. Reg. 10. Item, per hanc rimam Religionis, ingrediuntur hoſtes. Iob 30. Quaſi rupto muro, & aperta ianua, irruerunt ſuper me. Item, tales omnia quæ promiſerunt debent reddere. Et ideo, ſi partem reddant, & non totum, non euadent tortores. Matth. 18. Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quouſque redderet vniuerſum debitum. Quia ergo indecens eſt ſemiplene Religionem ſeruare, & tot mala inde ſequuntur, dicit vir ſanctus, *vt obſeruetis hæc omnia.*

Cap. CLXXIIII. Spiritualis pulchritudo Religioſis curanda.

NOTANDVM tertio, quod ſicut eſt quædam pulchritudo corporalis; ita eſt quædam ſpiritualis, ſcilicet virtutum: de qua Salomon multum prophetauit in libro Canticorum. Hæc eſt, quæ reddit hominem, ſimilem pulcherrimo Deo. Vnde quod homo factus dicitur

dicitur ad ſimilitudinem Dei, dicunt ſancti id referendum ad virtutes, per quas homo aſsimilatur Deo. Hæc eſt, quæ ſola reddit Deo amabilem. Vnde Pſal. Audi filia: quod eſt obedientiæ: inclina aurem tuam; quod eſt humilitatis: & obliuiſcere populum tuum; quod eſt extinctionis carnalis affectus: quæ omnia ſonant virtutem. Et ſequitur. Et concupiſcet rex decorem tuum. Item, pulchritudo hæc, non eſt mutuata, ſicut multæ pulchritudines corporales; ſed eſt conſubſtantialis, & naturalis ipſi virtuti. Seneca. Nullo honeſtamento indiget virtus: quia ipſa, magnum decus ſui eſt. & ideo maior, ſicut pulchritudines naturales in floribus. Item, pulchritudo corporalis cito marceſcit, Iacob. 1. non ſic autem pulchritudo virtutum. Et ideo dicitur Cant. 6. anima ſancta, pulchra, vt luna: cuius pulchritudo non deficit. Legitur de B. Antonio, qui, cum vidiſſet quandam mulierem, valde ornatam, fleuit, dicens, Ignoſce mihi omnipotens Deus; quia vnius diei iſtius meretricis ornatus, totius vitæ meæ ſuperauit ornamenta. Hæc, tanta pro mundo compoſuit; & ego immortali Deo placere propoſui; & ſimilia, per meam negligentiam, nunquam impleui. Propter hoc ergo, bene dicit vir ſanctus, *tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores*.

Pſalm. 44.

Exemplum.

CAP. CLXXXV. De odore bonæ famæ Religioſis curando.

QVARTO notandum, quod in ſcriptura ſancta, bona fama dicitur odor, multis de cauſis. Fœtor enim egreditur è rebus vilibus, vt eſt lutum, vel ſtercus: ſed odor, è rebus precioſis, vt eſt cinnamonum, balſamum, & huiuſmodi. Eodem modo fama bona è precioſa ſanctitate bonorum egreditur. Iudit. 8. Hæc erat omnium famoſiſsima; quia timebat Dominum valde. Item, bonus odor, cum ſentitur, indicat rem cuius eſt odor: ita bona fama indicat Chriſtum eſſe apud eos, qui ſic redolent. Apoſtolus 2. Cor. 2. Chriſti bonus odor ſumus. Item, ſicut bonus odor reficit; ſic bona fama. Prouerb. 15. Bona fama impinguat oſſa. Item, ſicut bonus odor, licet regulariter iuuet; tamen quibuſdam venenatis nocet, vt buſonibus; ita bona fama. Vnde Apoſtolus. Chriſti bonus odor ſumus, his, qui ſalui fiunt, & his qui pereunt. Alijs quidem, odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam. Gloſ. Illi, qui inuidebant bonæ famæ Pauli, vel Chriſti, bono odore, peribant. Noli ergo inuidere, & non occidet te bonus odor. Item, ſicut odor, ex odorifera re contuſa magis elicitur; ita & fama bonorũ. Canticor. 5. Perfla hortum meũ, & fluẽt aromata illius. gloſ. Eccleſia pulſata, & probata, odorem conſtantiæ

2. Cor. 2.

ſuæ, & abundantioris virtutis vbique diffundit. Item, bonus odor attrahit. Vnde dicitur de panthera, quod propter bonum odorem, aliæ feræ ſequuntur eam; ita bona fama. Canticor. 1. Curremus in odorem vnguentorũ tuorum. Exemplum de regina Saba: quam Salomonis fama traxit de finibus terræ. Hieronymus. Ab vltimis Hiſpaniarum, & Galliarum finibus, quoſdam veniſſe legimus: & quos ad ſui contemplationem Roma non traxit; vnius hominis fama perduxit. Item, bonus odor, ſecundum medicos, mollificat: ita & bona fama mollificat multos ad deuotionem. Vnde, Tobiæ 7. Audito nomine Tobiæ ſenioris, demiſit ſe Raguel, & cum lacrimis eſt oſculatus Tobiam iuniorem. Et plorans ſuper collum eius, dixit; Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri es filius.

3. Reg. 10.

Cap. CLXXXVI. Errores, circa famam Religioſo curandã.

Notandvm autem, quod à multis, multis modis erratur; circa huiuſmodi famam. Sunt enim aliqui, qui omnino non curant ſuam famam. Contra quos, Eccleſ. 41. Curam habe de bono nomine. Alij ſunt, qui propter confidentiam bonæ conſcientiæ, famam negligunt. Contra quod Hieronymus. Non habeas illud; Sufficit mihi conſcientia mea. non curo quid de me loquantur homines. Apoſtoli prouidebant bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Alij ſunt, qui bonam famam amittunt; non ex malitia, ſed ex negligentia. Contra quod Auguſtinus. Sancta conuerſatio, cauta debet eſſe: ne forte, cum mala vita ſit per laſciuiam; mala fama fiat per negligentiã. Alij ſunt, qui non parcentes famæ ſuæ, audacter aliqua committunt, cum diſpendio famæ ſuæ. Contra quod eſt illud Gregorij in Regiſtro. Quidquid poteſt grauare opinionem tuam, omnino fugias; & committere illud, nullius ſuaſioni conſentias. Alij ſunt, qui dummodo à viris malis caueant, non curant res malis ſimiles declinare. Contra quod dicit Apoſtolus 1. Theſſ. 5. Ab omni ſpecie mali abſtinete vos. Alij ſunt, qui etſi in vno loco relinquũt bonam famã, tamen nõ ſic in alijs. Contra quod Apoſt. 2. Cor. 7. Odorẽ notitiæ ſuæ, per nos manifeſtat, in omni loco. Sunt autem multa, propter quæ, boni viri debent apponere diligentiam ad habendam bonam famam. Vnum eſt, vtilitas proximi. Auguſt. Nobis neceſſaria eſt vita noſtra; alijs fama noſtra. Nam ſicut crudelis eſt qui famam ſuam negligit; ſic qui non curat alijs ſubuenire. Secundum eſt, vtilitas propria. Tertium, conſolatio amicorum. Auguſt. Qui nos amant, quærunt quid, laudent in nobis. Qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. nos autem in vtroque medio conſtituti, & vitam noſtram, & famam noſtram ſic cuſtodire debemus, vt nõ erubeſcant à detractoribus laudatores. Quartum eſt, dilectio inimicorum. Apoſtolus

Rom. 12.

poſtolus ad Titum 2. In omnibus præbe te ipſum, exemplum bonorum operum; vt vereatur is, qui ex aduerſo eſt: nihil mali habens dicere de nobis. Quintum eſt, proprius decor, quem ſolent multi magno æſtimare. Bernardus. Fortitudo tua, confidentia fidelis conſcientiæ. decor tuus, eſt bonæ opinionis, vel famæ ſplendor. Sextum eſt, fructus diuturnitatis. Fama enim non ſolum prodeſt alijs, dum homo viuit ſicut decet: ſed etiam poſt mortem: Eccleſ. 41. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen manebit in æternum. Septimum eſt, reuerentia diuini nominis. Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Notandum tamen; quod eſt quædam fama, quæ oritur ex aliquo malo perpetrato. Pſalm. Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. *Pſalm.* 10. Sunt autem aliqui, qui ſolent tali fama lætari. Et ſunt ſimiles quibuſdam, qui ex corruptiſsimis ſenſibus, ſolent fætoribus ſtercorum delectari. Alia, eſt ex factis ſecularibus, quæ pertinent ad potentiam, vel ſapientiam, vel diuitias. Iſte autem odor non eſt diuinus, ſed meretricius. Quia ergo viri Religioſi tantum curare debent bonam famam vt prædictũ eſt, & ſolum famã, orientem ex ſanctitate, & pure, propter Chriſtum; bene dicit vir ſanctus, *Seruetis hæc omnia, tanquam Chriſti bono odore, de bona conuerſatione fragrantes.* Vnde per hoc, quod dicit, *bono*, oſtendit, quod nunquam de malo debent quærere famam. & per hoc, quod dicit, *conuerſatione*, declaratur, quod non ex factis ſecularibus, ſed ſolum ex operibus bonis, eſt eis fama quærenda. Per hoc vero, quod dicit, *bono Chriſti odore*, notatur, quod in fama ſua nihil debent quærere, niſi Chriſtum.

Vt autem vos in libello hoc, tanquam in ſpeculo, poßitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatur, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Hic agitur de tertio, quod valet ad Regulæ obſeruationem, quod eſt memoria mandatorum eius. Quia vero iſta memoria habetur per Regulæ lectionem, primo tradit mandatum circa huiuſmodi lectionem: ſecundo, circa ea, quæ facienda ſunt poſt lectionem, cum dicit, *Et vos inueneritis &c.* Licet autem, frequenter debeat legi Regula à ſuis profeſsorib9, tamẽ ne circa hoc fiat aliqua omiſsio, reſtringit ſuos ad certum tẽpus legendi, cum dicit, *ſemel in ſeptimana vobis legatur.* Item, cauſam aſsignat huius, cum dicit, *vt autem vos in libello hoc, tanquam in ſpeculo. poßitis vos inſpicere.* Item vtilitatem huius declarat, cum dicit, *ne per obliuionem aliquid negligatur.* Sunt autem notabilia, quæ eliciuntur ex hoc mandato. Vnum eſt, quod cauendum eſt, ne fiat aliquid, quantumcunque modicum, ex contemptu, cum

dicit, *ne aliquid negligatur.* Aliud, quod non debent excidere è memoria, quæ pertinent ad ſalutem, cum dicit, *ne per obliuionem aliquid negligatur.* Aliud eſt, quod, ad vitandam huiuſmodi obliuionem, inſiſtendum eſt lectioni frequenti: quod notatur, cum dicit, *ſemel in ſeptimana.* Aliud eſt, quod legens, vel audiens Regulam, debet intendere, cum dicit, ***Et vos in libello hoc.***

CAP. CLXXXVII. *Cauenda negligentia rerũ præſcriptarum in Regula.*

CIRCA primum, notandum, quod ad cauendam negligentiam quamcunque, circa ſalutaria mandata, ponit Dominus ſpeciale mandatum, dicens Deutero. 8. Obſerua, & caue, ne quando obliuiſcaris mandata eius, atque iudicia, & cæremonias. Non ſolum autem dat circa hoc mandatum, ſed addit duram comminationem, Leuit. 20. Si negligens populus terræ, & quaſi paruipendens imperium meum dimiſerit hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloch, ponam faciem meam ſuper hominem illum, & cognationem eius, ſuccidamque illum. Non ſolum autem ponit ſuper hoc comminationem, ſed & pœnam grauem legitur inflixiſſe. Exod. 9. Qui neglexerir ſermonem Domini; dimiſeritque ſeruos ſuos, & iumenta in agris. & poſt. Et percuſsit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunr in agris, ab homine vſque ad pecus. Præterea, dicitur Hieremiæ. 48. Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter. Cum ergo obſeruantia Regulæ, ſit opus Domini, qui circa hanc committit negligentiam, maledictus eſt à ſpiritu, qui loquitur in Propheta. Item, prouerb. 19. dicitur, Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam, Qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur. Cum ergo Regula Religioſi, ſit via ipſius: ſicut qui negligit viam ſuam, interdum incurrit periculum mortis, ita qui in ſuam Regulam negligentiam committit. Item, dicitur. Eccleſ. 9. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Sicut ergo domus, cuius reparatio negligitur, ſubito cadit, ita & talis. Sunt autem tria quæ ſolent eſſe occaſio huius negligentiæ. Primum eſt, minor timor Domini. Qui enim multũm timet Dominum, cauet negligentiam. Eccleſ. 7. Qui timet Deum, nihil negligit. Secũdum eſt, minor cura animæ ſuæ. Si enim homines, tantum curarent ſalutem animæ ſuæ, ſicut curant ſalutem corporis, nihil negligerent eorum, quæ pertinent ad animæ ſalutem. Tertium eſt, occupatio circa alia negotia Eccleſ. 26. Difficile exuitur negotians à negligentia.

Tres occaſiones negligendæ Regulæ.

CAP. CLXXXVIII.

CIRCA ſecundum, nota, quod ſecundum philoſophos, memoria eſt theſaurus ſpecierũ, quæ, ſcilicet, per virtutes apprehenſiuas indu

ducuntur in animá. Inter omnia auté bona, quæ debet vir bonus habere in memoria, ſunt Dei mandata. Eccleſ. 3. Quæ præcepit tibi Dominus, cogita illa ſemper. Et Prouerb. 7. Fili, liga legem meam in digitis tuis. Et Deutero: 6. Meditaberis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. & ligabis, quaſi ſignum in manu tua: eruntque, & non mouebuntur ante oculos tuos: ſcribeſque ea in limine, & in poſtibus domus tuæ. Oſeæ 4. Quia oblita es legis Dei tui; obliuiſcar filiorum tuorum, & ego. Vnde dicitur de B. Bernardo, quod apud ſe frequenter dicebat. Bernarde, Bernarde, Bernarde, ad quid veniſti? reducens ſibi in memoriam profeſſionem ſuam: & hoc conueniens eſt, Dicitur enim Hiere. 2. Nunquid poteſt obliuiſci virgo ornamenti ſui? Cum ergo Regula ſit ornamentum ſpirituale, & valde pulchrum viro Religioſo, quomodo conuenit vt eam tradat obliuioni? Itē, dicitur in vitis patrum, quod tres ſunt virtutes Sathanæ. Obliuio, Negligentia, & Concupiſcentia. Obliuio, eſt mater negligentiæ: ex negligentia vero, oritur Concupiſcentia: ex concupiſcentia corruit homo. Obliuio ergo profeſſionis, initium eſt totius ruinæ in Religione. Et ideo bene dicit, *ne per obliuionem aliquid negligatur.*

Regula frequenter ruminanda.

Exemplum.

Circa tertium, notandum, quod quia ea, quæ ſciuntur, vel intelliguntur, vel audiuntur, vel dicuntur, vel fiunt, facile è memoria elabuntur; ideo adinuentæ ſunt ſcripturæ: vt ea, quæ expedit habere in memoria, per ſcripturam perpetuentur. Exod. 17. Scribe hæc in monimentum in libro. id eſt ob memoriam. Sed ſunt aliqui Religioſi, qui ita faſtidiunt legem in ſcripturis, vt raro, vel nunquam ſe occupent in eis. Contra quod Auguſtin. ſupra; *Codices certa hora ſingulis diebus petantur.* Sunt alij, qui cum legunt, libentius legunt libros gentilium, quam ſacros. Propter quod B. Hieronymus, raptus ad iudicium, grauiſsime flagellatus eſt, vſque ad abiurationem. Sunt alij, qui etſi libenter legunt ſacras ſcripturas, tamen parum ſciunt vel ſcire curant Regulam profeſsionis ſuæ. Iſti ſunt, ſicut ſtulti Aduocati, qui nunquam ſtudent textui, vel gloſſæ, in rebus de quibus ferenda eſt ſententia à iudice. Secundum enim Regulam ſuæ profeſsionis quilibet eſt iudicandus. Vidi contra ego quendam monachum, qui quaſi ſemper, ferebat Regulam S. Benedicti in manibus, modo legens in ea, modo ſtudens, modo quærens quæ ſibi eſſent dubia, cum inueniebat virum diſcretum. Phariſæi decalogum, ſcriptum in brachio ſiniſtro ferebant. Deutero.

Cap. CLXXIX.

Regula frequenter legenda a Religioſis.

Exemplum.

Deutero. 17. dicitur, poſtquam reſederit in ſolio regni ſui Rex, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ: quantò magis Religioſi hoc facere debent? Proinde, ſolent Prælati diſcreti ordinare, vt illi, qui ex occupatione, vel negligentia aliqua, hoc non faciunt, alio tempore ſuppleant.

ET vbi vos inueneritis, ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Dato mandato circa Regulæ lectionē, tradit mandata circa ea, quæ ſunt poſt huiuſmodi, facienda. Sciendum autem, quod conſideranti ſe qualis ſit, duo occurrunt: ſcilicet qualis ſit in bono: & qualis ſit in malo. Bernardus. Vigilanter cerne, qualis ſis ex te, & qualis ex dono. Primum conſiderans in ſpeculo Regulæ, interdum inuenit ſe ſcripta facientem; & hoc bonum: non facientem interdum; & hoc malum. Circa primum, tradit hoc mandatum; videlicet, de gratiarum actione. Contra ſecundum, ibi, *vbi autem quicunque veſtrum.*

CAP. CXC. Obſeruantes Regulã, non ſibi, ſed Deo, id acceptum ferant.

CIRCA primum, notandum, quod ſunt quidam, qui conſiderant ſe, facientes quod facere debent, & inaniter extolluntur: Similes Philoſophis, qui non glorificauerunt Deum, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Rom. 1. Contra quod dicit Apoſtolus. Quid habes, quod non accepiſti: ſi autem accepiſti, vnde gloriaris, quaſi non acceperis? (*1. Cor. 4.*) Alij ſunt, qui non ſolum extolluntur inaniter in ſe, ſed & ſuper alios hæc non ſeruantes, gloriantur: ſimiles Phariſæo hypocritæ, dicenti, Lucæ 18. Gratias ago tibi Domine, quod non ſum ſicut ceteri hominum. Contra quod Apoſtolus. (*Rom. 11.*) Noli gloriari aduerſus ramos, id eſt, fractos. Alij ſunt, qui licet ſciant, quod quidquid boni faciunt, ex dono Dei habent; tamen ex quadam ruſticitate, non referunt ei gratias: immo quamuis aſsidua recipiant Dei beneficia, tamen ſemper remanent ingrati. Contra quod, Coloſ. 3. Et grati eſtote. Porro ex huiſmodi ingratitudine, ſequuntur tria mala. Primum eſt, ſpoliatio bonorum acceptorum. Auguſtin. Quod deus dederat gratis, abſtulit ingratis. Secundum eſt, impedimentum accipiendorum. Bernardus. Non eſt dignus dandis, qui non refert gratias de datis. Tertium eſt, punitiò, etiam corporalis. Vnde dicit Ioſephus, quod Ezechias, licet immolaſſet Domino, poſt triumphum Sennacherib: tamen, quia non reddidit dignas Deo gratias, faciendo ei nouum canticum, ſicut in talibus patres conſueuerunt, ægrotauit vſque ad mortem. Ex gratiarum vero actione, è contrario, tria ſequuntur bona. Primum eſt, conſeruatio bonorum, iam perceptorum. Aliud, bonorum multiplicatio. Tertium, promotio ad maiora in futurum. Dominus de beneficijs omnibus vult vt

homo

homo habeat totam vtilitatem, ipſe vero gloriam. Propter iam dicta vir ſanctus, incitat nos ad gratiarum actiones.

Vbi autem ſibi quiſque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro: orans, vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Poſt mandatum præcedens, traditum de gratiarum actione; pro ijs, quæ, lecta in Regula, inueniuntur obſeruata; ſubiungitur hic mandatum de pænitentia pro ijs, quæ inueniuntur non ſeruata. Quia vero pænitentia vera, ſecundum Ambroſium, eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere; ideo, ſecundum hoc, duo mandat. Vnum, cum dicit, *doleat de præterito.* Aliud, cum dicit, *caueat de futuro.* Quia vero in vtroque eorum, eſt neceſſarium donum Dei; ſubiungit, *orans, vt ſibi debitum dimittatur,* quantum ad primum: *& in tentationem non inducatur,* quantum ad ſecundum.

CAP. CXCI.

Dolenda valde Regulæ negligentia.

CIRCA primum, vide, cum dicit, *doleat*, quanta cura B. Auguſtini fuit de Regula, ſtricte ſeruanda. Superius enim dixit, *ſi quid ſeruatum minus fuerit*, non negligenter prætereatur. Præterea, dixit, *ne per obliuionem aliquid negligatur.* Nunc autem dicit, *Vbi autem ſibi quicunque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito.* Item, aliqui Prælati, abutentes poteſtate ſibi commiſſa, interdum omittunt aliquid ex Regula, ad quod alios cogunt. Alij, quia officiales, ratione occupationum, ab aliquibus ſe excuſant. Clauſtrales enim ſimplices, interdum continuam obſeruantiam Regulæ, intolerabilem putant. At B. Auguſtinus, nullum excipiens ab obſeruantia Regulæ, dicit, *quicunque veſtrum*: ſcilicet Prælatus, vel officialis, vel ſimplex clauſtralis: viderit aliquid ſibi deeſſe: Item, ſunt aliqui, qui etſi tranſgreſsionem Regulæ confiteantur interdum, vel ſe accuſent; tamen raro dolent ex corde vero; vel raro ſe corrigunt. Et quia ſine his, prima non ſufficiunt, ideo dicit, *vt doleant, & caueant.* quia melius eſt, quam confiteri ſolum, & accuſare. In vitis patrum legitur, quod Abbas Siluanus, raptus ad iudicium, videnſque multos in habitu Religioſo duci ad tormenta, reuerſus ad ſe, flebat inconſolabiliter, nolens exire de cella. quod ſi quando compellebatur exire, operiebat caput ſuum capucio, dicens; Quid neceſſe eſt videre lumen illud, in quo nihil vtile eſt. Si autem iſte fleuit pro alijs Religioſis, iam damnatis; quanto magis dolendum eſt Religioſo ſuper tranſgreſsione ſuæ profeſsionis, ne damnetur? Ibidem legitur,

Nullus Religioſus immunis à ſua Regulæ obſeruatione.

Exemplum.

quod cum Abbas Neſtor de Sciti, veniſſet ad ſenes in monte Nitrio, vocatus ab eis; & rogaſſent eum vt faceret eis verbum; ille plorans, dixit; Fratres, ploremus, & producant oculi noſtri lacrymas, antequam eamus hinc eo, vbi lacrymæ noſtræ corpora noſtra comburant. Et fleuerunt omnes, cadentes in facias ſuas, dicentes, Ora pro nobis pater. Vnde, cum lectio Regulæ oſtendat Religioſo, quæ bona deſunt ei, & quę mala habet; ſicut ſpeculum oſtendit mulieri fœditatem ſuam, quæ oſtenſio eſt ſibi cauſa triſtitiæ, bene dicit, *vbi autem quicunq; veſtrum viderit ſibi aliquid deeſſe, doleat de præterito.*

Exemplum.

CAP. CXCII. Peccati relapſus in primis cauendus, & quare.

CIRCA hoc, quod dicit, *caueat de futuro*, notandum, quod in omni delicto eſt aliqua complacentia, propter aliquid, quod in eo delectat. Item, eſt in eo aliqua audacia, quod delinquens contra Deum, non veretur. Sicut ergo virgo, poſt corruptionem, propter voluptatem ſuperiorem, eam attrahentem, facilius inclinatur ad peccata ſecundaria, quam ad prima: & fur, videns nihil mali ſibi accidiſſe ex primo furto, audacius committit alia furta; ita in omni delicto accidit; vt poſt prima, facilius homo inclinetur ad ſecunda, vel alia, perpetranda. Et ideo, reddens Auguſtinus circa hoc Religioſum cautũ, dicit, *caueat de futuro*: innuẽs, quod facile cadet in ide, niſi caueat diligenter. Attendendum autem, quod peccati relapſus aufert fructũ totius purgationis præteritę, per cõtritionẽ, cõfeſsionẽ, & ſatisfactionẽ. Eccl. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit mortuũ, quid prodeſt lauatio eius? Item, vilificat nobiliſsimã creaturam. Prouer. 26. Sicut canis rediens ad vomitum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Item, redigit in maiorem poteſtatem diaboli. Lucæ 11. Tunc, ſcilicet quando reueritur imũdus ſpiritus in domũ ſuam, vadit, & aſſumit alios ſpiritus, nequiores: & ingreſsi habitant ibi. Item, priuat labores vtilitate. Eccleſ. 44. Vnus ædificans, & alter deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? Item, aggrauat peccatum, ſicut recidiuatio infirmitatem. Luc. 11. Et fiunt nouiſsima hominis illius, peiora prioribus. Et prouocat contra ſe angelos in iudicio: qui habuerunt gaudium ob conuerſionem peccatoris, & maius expectant ob glorificationem. Et ideo multum poterunt indignari contra eos, à quibus fraudantur tali gaudio. Bernardus. Tu, qui ad vomitum redire deliberas, putas ne placatos habebis in iudicio, quos tanto priuare vis gaudio? Item, Deum grauius offendit, propter gratiam, factam in præcedenti remiſsione. Matth. 18. de ſeruo nequam. Vnde Dominus, Ioannis: 8. dicit mulieri. Vade, & iam amplius noli peccare. Porro ad cauendum relapſum, multum valet,

valet cōcipere firmum propoſitum cauendi. Sicut enim citius frangitur ab inimico oſtium vacillans, quam firmum; ſic animus, ſine firmitate propoſiti, citius vincitur à diabolo. Item, valet ad hoc timor proprij caſus. Qui enim timet multum cadere, melius cauet ſibi: & ideo non facile cadit. Apoſtolus. 1. Cor. 10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Item, cōfidentia in Domino. Qui enim de ſe præſumit, ſtat ſuper ſedem ſuperbiæ, vbi ceciderunt, qui operātur iniquitatem. Et ideo facile cadunt propter huiuſmodi ſedis fragilitatem. Qui vero de ſe diffidentes, ſpem ponūt in Domino, adiutorio ſuo, ſtant, & incedunt firmi. Pſal. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Item, ſolicitudo circa ſui cuſtodiam. Non enim ita cito capitur caſtrum cuſtoditum ſolicite, ſicut cuſtoditum negligenter. Et ideo dicitur, Deut. 4. Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſolicite. Sicut enim vir prudens, infirmitatem incurrens, conſiderat cauſam infirmitatis, ſi fuerit frigus, vel calor, vel huiuſmodi; & cauſa inuenta, adponit remedium, & cautionem in poſterū, ita viri pænitentis eſt, conſiderare quæ fuerunt occaſiones peccati ſui, & cum remedio de præterito, cautionem adponere in futurum. Auguſtinus. Satisfacere, eſt cauſas peccatorum excindere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere. Iuuat item vitare pericula. Sicut enim in locis bellorum, qui ſe exponunt, citius læduntur, quam qui ſe abſcondunt; ita multum valet cōtra ſagittas inimici, abſcondi. Prouerb. 22. Callidus videt malum, & abſcondit ſe. Innocens, ſcilicet ſimplex, tranſijt, & afflictus eſt damno. Item, fugere occaſiones. Eccleſ. 21. Quaſi à facie colubri, fuge peccatum. Item, occupatio ſancta. Hieronymus. Semper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum.

Quæ valent ad cauendum relapſum. — *Pſal. 124.*

Circa tertium, cum dicit, ***orans, vt ſibi debitum dimittatur,*** notandum, quod quantumcunque aliquis doleat de commiſsis: nūquam eſt certus de eorū remiſsione. Ionæ. 2. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus? Et prudētis eſt ſemper timere de huiuſmodi remiſsione. Eccleſ. 5. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Propter iſtum timorē, etiam ſancti, orant pro peccatis dimittendis. Pſal. Pro hac, ſcilicet remiſsione, orabit ad te omnis ſanctus, in tempore oportuno. Nota autem, quod multa ſunt, quæ faciunt ad remiſſionem peccati. Vnum eſt, peccati cognitio. Pſal. à peccato meo munda me: quoniā iniquitatē meā ego cognoſco. Ipſo enim dicente, Peccaui Domino; Nathā propheta ſtatim reſpondit; Et Dominus tranſtulit peccatum tuum à te, 2. Reg. 11. Aliud eſt, ſui ipſius apud Deum accuſatio.

CAP. CXCIII. Quæ valent ad remiſsionem peccati comparandam. — *Pſalm. 31.* — *Pſal. 50.*

Pſalm. 31. accuſatio. Pſal. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Aliud eſt, contritio de peccato: ſicut apparet in Petro, cui, propter fletum amarum, remiſſum eſt
Pſal. 113. peccatum. Aliud eſt, confeſsio oris. Pſal. Facta eſt Iudæa, ſanctificatio eius. Iudæa, confeſsio interpretatur. Aliud eſt, peccati deſertio. Prouer. 28. Qui confeſſus fuerit ſcelera ſua, & reliquerit ea, miſericordiam
Rom. 6. conſequetur. Aliud eſt, ſatisfactionis impletio. Apoſtolus. Exhibete mẽbra veſtra ſeruire iuſtitiæ, &c. Aliud eſt, opus miſericordiæ. Matth. 5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Aliud eſt, remiſsio Eccleſiaſtica. Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Aliud, remiſsio iniuriæ. Eccleſ. 28. Relinque proximo tuo, nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Aliud eſt, flagellum Domini, pie ſuſceptum. Tobiæ. 3. Cum iratus fueris, miſericordiam facis; & in tempore tribulationis dimittis his, qui inuocant te. Aliud eſt, interceſsio ſancta. Iob vlti: Iob ſeruus meus orabit pro vobis, vt non imputetur vobis ſtultitia. Aliud eſt, meritum alienum. Luc. 5. Quorum fidem vt vidit, ait paralytico; Homo, remittuntur tibi peccata tua. Aliud eſt, immenſitas dilectionis. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Oranti ergo pro peccatis, laborandum eſt circa iſta, vt leuatis manibus operum cum voce, oratio eius citius exaudiatur.

CAP. CXCIIII. *Tentari eſt ſeruorum Dei.*

CIRCA quartum, quod dicit, *in tentationem non inducatur*, notandum, quod ſunt quidam, quos diabolus raro, vel nunquam tentat: qui nimirum, gratis illi ſeruiunt. Gregor. Illos pulſare negligit, quos iure quieto poſsidere ſe ſentit. Alios vero, qui Chriſto ſeruiunt, magis tentationibus vexat; ſicut Pharao filios Iſrael. Et ideo dicitur, Eccleſiaſt. 2. Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara
Quare diabolus tentet. animam tuam ad tentationem. Sunt autem multæ cauſæ, quare diabolus impugnet ſeruos Dei. Vna eſt, ſuperbia. Superbus enim eſt diabolus; & ideo quando aliquem contra ſe cognoſcit præeminentem, indignatus inſurgit contra eum ſicut tyrannus. Gregor. Antiquus hoſtis, tanto grauius contra hoſtes ſæuit, quanto eleuari eos conſpicit. Alia eſt, inuidia. Inuidia enim, quam habuit ab initio erga hominem, ne aſcenderet in cælum, non ceſſat. Et ideo quando videt bonos illuc tendere, nititur eos impedire. Gregor. Illos antiquus hoſtis rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudijs, iungi cæleſtibus contemplatur. Alia eſt, vindicta. Eſt enim malitioſus, & ideo quando aliquis facit vituperium, repellendo eum à ſe, vt faciunt boni, ſe vlciſci nititur. Gregor. Tanto diabolus, in hominis fractione, duriorem ſe exhibet, quantum ab eo ſe proiectum eſſe dolet. Alia eſt, cauſa inimicitiæ

micitiæ antiquæ inter hominem, & diabolum: etenim boni magis ei rebellant, & ideo ipſe eos impugnat. Gregor. Hoſtis noſter, adhuc in hac vita nos poſitos, quanto magis ſibi rebellare conſpicit, tanto acrius nos impugnare contendit. Sciendum autem, quod Dominus huiuſmodi tentationes non permitteret euenire electis ſuis, quibus omnia cooporantur in bonum, niſi cederent ad vtilitatem eorum. Apoſtolus. 1. Cor. 10. Faciet cum tentatione prouentum. Et quidem multũ. Primo, ad adquirendam ſcientiam pugnandi, qualia ſunt haſtiludia militi. Eccleſ. 34. Qui non eſt tentatus, qualia ſcit? ſcilicet de bello ſpirituali, ad quod ſumme valet experientia. ſecundo, ad expellendam negligentiam. qui enim non ſentiunt ſe hoſtes habere, frequenter pigreſcunt. Gloſ. ſuper illo verbo. Proba me Domine, & tenta me. Niſi tentaret, eſſemus negligentes. tertio, ad proficiendum in virtutibus. Vnde fratri dicenti ſe non habere tentationes, dixit ſenex, Vade & roga Deum, contra te moueri bellum; quoniam pugnando proficit anima; & ſicut dicitur in vitis patrum, Multum addicit ſibi virtus laceſsita: ſicut canis prouocatus, fit bellicoſior. Quarto. ad expellendam elationem. Apoſtolus 2. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Quinto, ad alios inſtruendos. Viri enim perfecti, qui tranſeunt per multas tribulationes, & tentationes, melius ſciunt alios inſtruere. Apoſtolus. 2. Cor. 1. Si tribulamur; pro veſtra exhortatione, id eſt, vt ſciamus vos exhortari. Hebr. 2. In eo, quod tentatus eſt, potens eſt auxiliari & alijs. Sexto, ad coronam conſequendam. Iacob. 1. Beatus qui ſuffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Sunt autem multa, quæ valent ad vincendas tentationes. Primum eſt, aſsidua belli memoria. Qui enim cogitat aſsidue, ſe hoſtes habere, melius etiam cauet. Et ideo dicitur Iob. 40. Memento belli. Secundum eſt, vigilantia: ſicut fit in caſtris tempore hoſtili, in quibus vigilatur, etiam de nocte, propter hoſtium periculum. Et ideo dicitur. 1. Petri 5. Vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. Tertium eſt, confirmatio animi. multi enim deficientes animo, ſolent in pugna ſuccũbere. & ideo dicitur Ioſue 1. Cõfortare, & eſto robuſtus; noli metuere, & noli timere. Quartum eſt, conatibus diaboli repugnando. Iacob. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis Quintũ eſt, adiutoriũ bonorũ. Eccleſ. 4. Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Sextum eſt, virtus fidei. Hebræ. 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Et ideo dicit Petrus. Cui reſiſtite fortes, in fide.

Tentari, ſæpe vtile eſt. *Rom. 8.* *Pſal. 25.* *Exemplum.* *Varia, atque optima remedia contra tentationes.* *1. Ioan. 5.* *1. Pet. 5.*

Septimum eſt, fidelis reuelatio tentationum, in confeſsione, viris bonis. Vnde in vitis patrum, Nihil ita confundit, & allidit virtutem dæmonum, quam ſi quis ſecreta cogitationum reuelauerit ſanctiſsimis patribus. Furum enim eſt fugere, vbi conſpiciuntur. Octauum eſt, meditatio ſacræ ſcripturæ. Cor enim, eſt ſicut molendinum, quod ſemper molit. Et ideo quando reuoluit in ſe ſacram ſcripturam, non recipit illud, quod diabolus affert ad molendinum, per cogitationes. Nonum eſt, crucis memoria. Hoc eſt enim vexillum regale, quod erectum terret & fugat dæmonum agmina. Chryſoſt. Tanta eſt virtus ſedulæ meditationis crucis Chriſti, vt ſi fideliter in corde teneatur, ſtatim ad eius memoriam, totus diaboli fugetur exercitus. Decimum eſt, ſcientia diuina, quæ inſtruit in multis, circa illud bellum. In bello enim plus valere ſolet ſapientia, quam vires, vel arma bellica. Eſaiæ 11. Non nocebunt, neque occident, in vniuerſo monte meo: ſcilicet hoſtes infernales: quia repleta eſt terra ſcientia Domini. Vndecimum eſt, contritio capitis tentationum, ſcilicet cogitationum primarum. Hieron. Lubricus eſt coluber tortuoſus, & niſi capite teneatur, totus illabitur. Duodecimum eſt, diuinum auxilium. Ipſe enim Deus eſt, qui conſeruat in tentatione. Eccleſ. 33. In tentatione conſeruat illum, ſcilicet Deus timentem ſe. Item, non permittit tentationem inualeſcere. Et ideo, quaſi ad ſummum remedium, docens confugere, dicit Auguſtinus, *orans, vt in tentationem à Domino*, ſcilicet permiſsiue, *non inducatur*. Beati viri illi, qui prædictis vtentes remedijs, viriliter reſiſtunt tentationibus. Nam dicit Bernardus. Quotiens tentationibus reſiſtimus, dæmones ſuperamus; angelos lætificamus; Deum honoramus. Ipſe nos hortatur, vt pugnemus: adiuuat, vt vincamus: certantes ſpectat: deficientes ſubleuat: vincentes coronat. Amen.

Concluſio Operis.

Finis expoſitionis in Regulam B. Auguſtini.

EPISTOLA

EPISTOLA F. VMBERTI, QVINTI, ORDINIS PRAEDICATORVM, GENERALIS MAGISTRI; DE tribus Votis, atque alijs virtutibus, ad Religioſos in primis ſpectantibus.

FILIIS GRATIAE, & cohæredibus gloriæ, Fratribus Chariſsimis, Religioſis vniuerſis: vitam ducere Deo gratam; ſibi fructuoſam; angelis iucundam; dæmonibus terribilem; hominibus exemplarem. Nulla ſunt omnino reputanda, dilectiſsimi, quæ diuinæ laudi non militant, & honori. Inde eſt, quod officij neceſsitate, ac ſuperna Charitate compellimur, veſtris auribus, nunc ſcribendo, nunc monendo, ſæpius inculcare, quæ vos bona facere, & mala doceant declinare. Sed, cum pateat, ſecundum affectiuam, & intellectiuam, geminas vires, & animæ perfectionem eſſe bipartitam; virtutem videlicet, & ſcientiam; decet his nimirum, virum euangelicum adornari; vt per primum, in bonum: per alterum, dirigatur in verum: Per primum, ardeat: per ſecundum, luceat: Per primum, potens ſit in opere; per reliquum, in ſermone: illius exemplo qui cepit facere, & docere. *Act. 1.* Denique præſentem epiſtolam, dignum duximus charitati veſtræ ſcribere, quæ vos inſtruat, & moueat ad Regularis obſeruantiam diſciplinæ. Igitur ab Obedientia, quæ vnum de ſubſtantialibus Religionis eſt, noſtrum principium inchoemus, ad laudem, & ad gloriã illius, qui origo bonorum eſt omnium, atque finis.

CAP. I. Scribẽdi cauſſæ.

De Voto Obedientiæ.

CAP. II. Exhortatio ad Obedientiam.

DILIGENTI ſtudio, fratres chariſsimi, ſatagamus virtutum exercitijs inſiſtere: quib⁹ Chriſto cõformemur, & ad perfectionis ſemitã informemur, atq; per gloriã, reformemur. Et quis ambigat Obedientiã talẽ eſſe? Hanc enim ſaluator noſter adeo amplexus eſt, vt vſq; ad mortem, & crucis ſuppliciũ, patri obediens fuerit. *Philip. 2.* Per hanc, pater multarũ gentiũ Abraam, terrã ſuã, & *Gen. 12.* cognationem ſuam egreditur, & vſq; ad imolationem filij ſui, quem *Gen. 22.* habuit chariſsimum, inclinatur. Per hanc Ioſue, terram promiſsio- *Ioſ. 1.* nis intrauit; & hoſtes gladio ſibi ſtrauit. Monemus igitur, & hortamur in Domino, vt Obedientiæ bonum, eo ſeruemus ſolicitius, quo minus, ſine ipſa, Regularibus eſt ſalus: ſcientes certiſsime, acceptam eſſe multum apud omnipotentem Deum Obedientiam.

dientiam. qua, pro Chriſto, nobiliſsimum, quod eſt anima, captiuatur libertas voluntatis. Quare dignum, & iuſtum eſt, vt quanto quis arctius nunc per Obedientiam ſtringitur, tanto plus poſtmodum in cœleſtibus glorioſius eleuetur. Hoc ipſum certe, exemplum illud nobis innuit, vbi frater cui quatuor oſtenſi ſunt ordines, eum qui ſeruauit Obedientiam ſummum vidit.

CAP. III. Deteſtatio Inobedientiæ. 1. Reg. 15.

CONTRA vero, valde deteſtabilis eſt inobedientia, quæ idololatriæ ſceleri comparatur. Per hanc, vel ſpirituale furtum committitur, vel rapina. Nam ſi reſiſtimus occulte obedientiæ, furtum eſt: ſi manifeſte, rapina eſt: quia in vtroque, rem alienam, inuito domino contrectamus. Voluntatem enim, quam pro Chriſto reliquimus, contra iuſtitiam vſurpamus. Non igitur immerito, pater noſter Adam, immortalitate, & innocentia, propter inobedientiam, ſpoliatur, ac, de paradiſi amænitate eiectus, in hanc vallem miſeriæ relegatur: per quod aperte criminis huius enormitas declaratur.

Gen. 3.

CAP. IIII. Male obedientes.

SICVT multa ſunt, quæ reddunt Obedientiam commendabilem; ſic ſunt plura, quæ faciunt ipſam vitioſam. Sunt enim nonnulli, qui vt citius liberentur, male obeunt iniuncta ſibi officia. In alijs vero, inuenitur extorta licentia. Alij, licentiam accipere non curant. Alij, contra negatam licentiam, id quod placet, facere non formidant. Alij, iubenti Prælato contradicunt, & tamen faciunt. Alij, deuote quidem obedientiam ſuſtinent; ſed executionem negligunt. Alij, ne mandatum ad eos perueniat, ſe abſcondunt. Alij, quod peius eſt, ſe tales exhibent, vt Prælatus eis nihil audeat iniungere, vel mandare. Alij, dicunt ſe neſcire, vel non poſſe, quod mandatur; mendacium coniungentes quodammodo inobedientiæ; cum eos ignorantia, vel impotentia non impediat, ſed voluntas. Quidam quoque nolunt, ea quæ iniunguntur facere; timentes, ne ab ipſis talia, quaſi ex conſuetudine, requirantur. Alij, perficiunt, ſed cum murmure; vel non voluntarie, ſed coacte. Alij, perficiunt quidem obedientiã, ſed id cum triſtitia, vel nimis tarde. Sunt etiam quidam, qui, quod volunt, obtinent minis, aut precibus importunis. quod ſi quandoque negetur eis licentia, domum commouent, & ſe ipſos. Hi omnes, ſi veram Obedientiam aduerterent, in ſua conſcientia, de prædictis, grauiter ſe accuſarent. Sed, heu, nonnulli ſunt, qui colant culicem, & camelum glutiunt: qui paruas negligentias in ſe puniunt, & maiores non aduertunt: quia ſtatum hunc periculoſum minime agnoſcunt. Tales autem, ſi amatores puri cordis eſſent, non tam malum actum, quam malum ſtatum corrigere laborarent.

Dolendum pro neglecta Obedientia.

VT

VT autem Obedientia veſtra omnipotenti Deo ſit acceptabilis, ſtudete habere promptam, ſine dilatione: deuotam, ſine dedignatione: voluntariam, ſine contradictione: ſimplicem, ſine diſcuſsione: ordinatam, ſine deuiatione: iucundam, ſine turbatione: ſtrenuam, ſine puſillanimitate: vniuerſalē, ſine exceptione: perſeuerantem, ſine ceſſatione.

CAP. V. Qualis debeat eſſe obedientia.

BONVS itaque frater, adeo ſit paratus, & non turbatus; vt inueniatur ad Obedientiā ſemper pomrptus. Quapropter, dilectiſsimi, ſitis ſicut aurū ductile, & quaſi virga flexilis; quæ recta aut curua redditur ad libitū artificis. Sitis, vt rotæ volubiles, quæ ſecundum impetum ſpiritus, mouebantur. Sitis, vt iumentum apud Deum: cuius dorſo, indifferenter quælibet imponuntur. Certe ſyllaba communis valde grata eſt verſificatoribus; quæ poni poterit in omni loco. ſic & promptus frater ad Obedientiam, Deo gratus eſt, & hominibus: quia nihil reſpuit iniunctorum. Legiſtis, Chariſsimi, quod ſtellæ vocatæ dixerūt, Adſumus. per quod aperte datur intelligi, quam coniuncta debeat eſſe vox iubentis, & operatio exequentis. Talis ille bonus Marcus extitit: qui vocatus, imperfecta dimiſſa littera, quam inceperat, ſtatim venit. Sed contra, quidam, velut quadrati lapides, ad Obedientiam vix mouentur. De quibus ait Sapiens, Qui transfert lapides affligetur in eis. Cum enim Prælatus, ponere quoſdam in Obedientiæ bono dicitur, ex repugnātia rebellium, fatigatur. Ad Obedientiæ promptitudinem animemur exemplo. Si enim ſerui ſuis dominis præſto adſunt, nos Prælato inobedientes erimus? Pudeat nos interdum ſeruos noſtros conductos paruo pretio, promptiores eſſe ad peragenda grauia, quam ſimus nos Prælatis noſtris, pro gloria ſempiterna.

CAP. VI. Obedientia ſit prompta.

Ezech. 1. & 10.

Iob. 38.

Tarde obedientes, quales ſint.

Eccleſ. 10.

SIT poſt hæc, deuota Obedientia veſtra. Ea namque deuotione, ſuſcipiendum eſt quod iniungitur, ac ſi Dominus præcepiſſet. Non enim homini, ſed in homine, Deo certiſsime obedimus. Dubium namque non eſt, quin acceptum offeratis ſacrificium Redemptori, dum, propter ipſum, alienæ vos ſubijcitis voluntati. Vtinam ſimus, fratres, cum Chriſto, per obedientiam, crucifixi: vt ſicut ille membra clauis ligata, ſic mandatis ſuperiorum noſtrorum membra noſtra ſint omnia captiuata: ſciētes certiſsime quod tanto liberaliores apud Deum erimus, quanto nunc pro illo deuotius nos arctamus. Denique virtus hæc, non ſine cauſa, victimis antefertur: quia hîc mactatur in holocauſtum omnipotenti Deo voluntas propria, ſed ibi caro tantummodo aliena. In ieiunijs, orationibus, & vigilijs, poſſunt nobis æquari ſeculares: quos, quia in abdicatione proprieta-

CAP. VII. Obedientia ſit deuota.

tis, & in obedientia præcellimus, eoſdem iudicaturi cum Chriſto in extremo examine præcedemus. Vnde ſummopere cauendum eſt, ne in his duobus, etiam in minimo, claudicemus.

Matth. 19.

Cap. VIII. Obedientia debet eſſe voluntaria.

VOLVNTARIA quoque ſit obedientia: quæ non virga, vel calcaribus indigeat, ſed moueatur ſibilo dulciori. Multum enim laudabilis eſt obedientia, quæ præceptum ſeruat. Laudabilior, quæ conſilijs, atque admonitionibus obtemperat. Sed omni laude digniſsima, quæ præcipientis animo ſe conformat. Sed ſunt nonnulli, qui potius à maioribus ſuis volunt audire placita, quam vt placeant audita. qui Prælatum ſibi, nō ipſi Prælato cupiunt obaudire. Iſti non magiſtrum dicentem; Domine quid me vis facere: ſed cęcum, cui Dominus ait, Quid vis, vt faciam tibi, ſatagunt imitari. Ex his apparet, fratres mei, duplicem eſſe obedientiam. Aliam quidem, neceſsitatis. aliam vero charitatis. Illa præceptum reſpicit: hæc conſilijs, & admonitionibus adquieſcit. Illa neceſsitate quadam arctatur: hæc charitatis amplitudine dilatatur. Illa, per coactionem, eſt ſeruorum: hæc, per libertatem ſpiritus, filiorum. Et iſtam vtique tanto magis acceptam, quanto minus debitam, eſſe conſtat.

Act. 9.
Luc. 18.

Cap. IX. Obedientia debet eſſe ſimplex.

TAM ſimplex etiam ſit obedientia veſtra, fratres, vt iniuncta, ſine diſcuſsione facientes, iudicetis de veſtro, nec in minimo, vos habere. Nam quiſquis intentionem præcipientis iudicat, bellum intrinſecus parat. Per hoc enim, quod cauſas mandatorum, quas ignorat, diſcutit, in labyrinthū erroneum ſeſe ponit. certe per hoc, obedientiæ bonum minus pure perficitur, cum quis Prælatum irrationabilia iubere, præſumptionis oculo, intuetur. Verumtamen, ſi Prælatus interdum minus vtilia veſtro iudicio iubet; mouere vos ad inobedientiam illud non debet. Nam etiamſi ille errauerit ſic iubendo, nequaquam vos deuiabitis, ſenioris mandatum, niſi contra Deum quid præcipiat, exequendo. Etſi enim ea, quæ per obedientiam facitis, non ſunt interdum vtilia Monaſterijs, tamen ſemper erunt vtilia vobis. Quid enim profuit, vt quidam patrum virgam aridam, longo tempore, iuſſus rigaret, niſi quod in terra coaleſcens, virtutē obedientiæ & obedientis meritum illa demōſtrauit? Obedientiæ ſane faſtigium in hoc eſt, vt quaſi ſtultum ſe quis faciat in hoc mundo; nihil ſcilicet diſcernens, nihil iudicans ex his, quę fuerint imperata: ſed cum omni ſimplicitate, ac fide illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicās, quod ſibi lex Dei, vel examē Superioris indixerit. Et vere ſi hoc modo euacuati fuerimus ſpiritu proprio, replebimur, non immerito, tunc diuino. Attēdite quod adeo omnis creatura ſuo obedit, ſine diſcuſsione, creatori, vt de ipſa faciat, quidquid placuerit ſuæ maieſtati. Per quod manifeſte

Obedientia cæca.

feſte inſtruimur, vt ſimpliciter iuſſa facientes, nequaquam Superioribus noſtris per inobedientiam reluctemur.

OPORTET nihilominus obedientiam eſſe ordinatã: ne, ſi ordo eius peruertitur, obedientiæ quoque opus conſequenter deprauetur. Vnde conſiderandum eſt, ſicut ratio noſtra debet eſſe ſubdita creatori, ſic voluntatem obedire debere rationi, atq; ſenſualitatem voluntati. Nam quando recalcitrat voluntati ſenſualitas, vel rationi volũtas, aut creatori ratio; debitæ ſubiectionis in anima perit ordo: & tunc, iuſto iudicio, nobis ab inferiori noſtro reſiſtitur, cum à nobis noſtris Superioribus nõ pareatur. Ordo quoq; obedientiæ, conſiderata Prælatorum differentia, tenendus eſt: vt maiores minoribus in huiuſmodi præferantur. Duobus enim Prælatis, contraria præcipientibus, adquieſcendum omnino eſt maiori. Vnde, cum Dominus, Prælatus ſupremus ſit, contemnenda ſunt prorſus mandata hominum, quando quidquam præcipitur contra Deum. Oportet enim, vt ait Petrus, Deo magis, quã hominibus obedire. Patet igitur nunquã eſſe mala, propter obedientiam, perpetranda, licet, propter eandem, interdum bona ſint rationabiliter omittenda. Scitis enim contemplatiuam vitam, in multis actiuam præcellere, & tamen cum ab illa ad iſtam ſubditus trahitur, quod propter mandatũ negligit, virtute obedientiæ, meritorum cumulo compenſatur.

CAP. X. Obedientia debet eſſe ordinata.

Actor. 5.

POST hæc, ſciendum eſt, nunquam ex triſtitia, aut ex neceſsitate, id quod iniungitur eſſe faciendum. Iucunda enim obedientia, Prælatum ipſum iubentem lætificat; obedientiæ laborem leuat; ſecuritatem quoq; conſcientiæ præſtat. Si quis autem mœſtus obtemperat, cum Simone Cyreneo, cum angore, crucem portat. Currus non inunctus, ſub onere murmurat; & ſic is, qui cum triſtitia obedientiam exequitur, carere ſe vnctione ſancti ſpiritus declarat. at vero gaudens cum Andrea crucem ſuſcipit, quiſquis onus quod imponitur, nec corde renuit, nec ſigno quolibet contradicit. Sunt autem quidam, qui ex deſiderio faciunt etiam laborioſa, dummodo ſint quæ placeant: Alij, cum grauitate, ſuſcipiunt facilia; quia iuſſa. Iſtud fieri perſuaſione diaboli certum eſt: vt hoc nobis graue faciat, in quo maius meritum eſſe conſtat: & aliud nobis offerre ſatagit gaudioſum; quod ſaluti noſtræ minus perſpicit fructuoſum.

CAP. XI. Obedientia ſit læta.

Matth. 27.

NON tantum leuia; ſed & ardua, propter obedientiam, ſunt agenda. Eſt enim obedientia precioſa, cũ obtemperatur ijs, quæ placent, non tamen quia placent, ſed quia iniuncta ſunt. Precioſior vero, ſuper aurum & topazion, cum obeditur in contrarijs: in quibus,

CAP. XII. Obedientia ſit fortis, nec recuſetur.

licet interdum ſenſualitas remurmuret; erit tamen ratio ſemper prompta; exemplo Chriſti, qui, quamuis calicem paſsionis à ſe transferri peteret, voluntatem tamen ſuam, patris ſubiecerat volũtati. In Obedientia, fratres mei, multũ valet ad merendi effectum difficultas operis, cum promptitudine voluntatis. Quoniam vero, per clauſtralem vitam, iungimur Religioni, mundo morimur, & terrenis actibus, quodammodo, ſepelimur; noſtras, per obedientiæ victimã, voluntates, continenter mortificemus, vt illi, qui pro nobis precioſum ſuum ſanguinem fudit, ſemper viuere valeamus. Nunquam ad iuſſa ſuperioris reſpondere præſumatis, Non poſſumus, aut Neſcimus; cum patres noſtros, aggreſſos, propter obedientiæ bonum, etiam importabilia, ſecundum humanũ iudicium, cognoſcamus. vires enim Deus omnipotens adminiſtrat corpori, vbi voluntas ſeruiens, ad id quod iniungitur, adeſt menti. Vnde quidam ſanctorum patrũ, mandato ſenioris obtemperans, ſupra ſpem, virtute diuina, non propria, ſaxum mouit. Ex his colligere poteritis, quod obedientiæ diſcretio eſt, vt ſit aliquo modo indiſcreta; vt ea, pro bono quis aggrediatur obedientiæ, quæ interdum videantur carere, ſecundum hominum ſapientiam, ratione. Hinc eſt, quod vir obediens loquitur victorias. *Prouerb. 21.* quia voluntatem, quæ ſe inclinat naturaliter ad proſpera, per coactionem obedientiæ, curuatur etiam ad aduerſa.

CAP. XIII. Obedientia debet eſſe vniuerſalis.

NEC ſemel debet quiſq;, quod iubetur facere; ſed ſemper, & in omnib⁹ obedire. Sed dicunt in corde ſuo deſides, & rebelles: Videmus qui ad obedientiã ſunt difficiles, hos ab onerib⁹ eſſe liberos: & ab officijs ſecuros. His enim vbique defertur, & parcitur; cum alij, qui ſe ad obedientiam paratos exhibent, nunc officijs, nunc laboribus inceſsanter onerentur. Quis ergo poſſet, inquiunt, quæ mandantur, omnia cuſtodire? Sane, ſi cordis oculum aperimus, aperte conſiderare poſſumus, illis, pro eo quod eis parcitur, eſſe condolendum: iſtis vero, quod non parcatur, eſſe gratulandum. Quod enim interdum parcatur rebellibus, ipſorum vitio id deputatur, nõ virtuti. Fit namq; iſtud, ne peior ſciſſura fiat: & ne concutiatur calamus conquaſſatus. Sic Deus non præcepit dare libellum repudij; ſed permiſit. Exultent autem iſti, qui oneribus prægrauantur. quia, dum multiplicantur ſuper eos onera, multiplicatur & materia meritorum; & conſequenter præmiorum. Ocium inſuper eiſdem tollitur; peccatorum pœna minuitur; tentationum occaſio remouetur. Sciendum autem, licet omnes homines obedientia ſtringantur aliqua; ad eam tamen, propter votum, Regulares magis eſſe obligatos. Nam patriſamilias

Mar. 2. Matth. 12. Matth. 19.

triſamilias obediendum eſt,in bona ſuæ domus ordinatione. Regibus,in Reipub. gubernatione.Plebanis,in diuinorum præceptorum expoſitione,& ſacramentorum adminiſtratione.Prælatis Ordinum, in diſciplinæ obſeruatione.Summo Prælato Deo,in declinatione vitiorum,& cuſtodia mandatorum. Vos autem, fratres, Obedientia ſpecialiter vos ligaſtis: nec aliquid excepiſtis. Exemplum Pſalmiſtæ ſequamini,dicentis ad mandata Dei omnia ſe eſſe directum. *Pſalm. 118.*

VESTRA denique ſit obedientia perſeuerans. Cum enim profeſsionem faciatis, vſque ad mortem vos obedituros, vos in perpetuum obligatis. Quia igitur exitus,& nō principium, acta probat, qui felici iucunditate perpetuo eſt coronandus, vſque in finem obeentiam nō derelinquat. Cui placet vt ſibi veritas promiſſa perſoluat, ipſe quoq;,quod promiſit, nunquam omittat. Qui enim ſecundum Chriſti ſententiam perſeuerauerit vſque in finem, certiſsime ſaluus erit.De memoria quoque veſtra non excidat,qui in vno præcepto ſenioris offendit, cum præcedentem obſeruationem omnem perdere. *CAP. XIIII. Obedientia ſit perſeuerans. Matth. 24.*

De Voto Paupertatis.

AD aliam obſeruantiam Regularem manum admoueamus, vt, qualiter, ſine proprio, debeatis viuere, doceamus. Igitur,ex Eccleſiæ primitiuæ perfectione,diſcere poteritis, cuncta communia vos habere debere. Creaturæ nobis id ipſum indicant; quæ, communicando bonum,quod habent, inuicem ſeſe donant: mutuo quoque ſibi ſeruiunt membra corporis, communitatem rerum indicantia per hæc nobis. *CAP. XV. De abdicatione proprietatis.*

ABDICATIONEM rerum Chriſtus docuit. Inſtitutores noſtri nobis, morientes legarunt. ſcriptura quoque ſacra, figuris idem multiplicibus, demonſtrauit.Nam crucifigendus Chriſtus, veſtibus ſuis ſpoliatur. per quod nobis, quam nudos omni proprietate nos eſſe conueniat,declaratur. Ipſe quoque non habuit,vbi caput ſuum, ſicut aſſeruit, reclinaret. Sancti etiam noſtri legarunt nobis, migrantes ad Dominum, humilitatem, charitatem, voluntariam paupertatem.Id ipſum exemplo ſuo oſtendentes, qui pauperes erant pecunia; ſed diuites vita pura. Denique legitur, quod mulieris amictæ ſole pedibus,luna ſupponitur: per quod eſſe calcanda nobis cuncta mutabilia, demonſtratur. *CAP XVI. Quænam moueant ad abdicationem proprietatis. Ioh. 19. Luc. 9. Apoca. 12.*

SED, heu, ſunt aliqui, qui bonum paupertatis vitiant; nunc poſsidendi deſiderijs; nunc verbis inordinate prolatis; nunc etiam *CAP. XVII. Votum Paupertatis, varijs modis vitiatur.*

factis, in virtutis huius præiudicium demonſtratis. Nonnulli ſunt etenim, qui ad ea, quæ profitendo contempſerāt, accenſis appetitibus, nunc anhelant: obliti, apud ponderatorem ſpirituum, ipſam peruerſam voluntatē, prius etiam, quā ad actum prodeat, condemnari. contra vero, quidam patrum, quia rapere cucumerem concupiuit, ad ſolem acriter ſe afflixit, vt vexatio talis intellectū ſibi tribueret, ac ſic malum deſiderium in ſe temperaret. Hi vero, qui habere diuitias, quas foris habere non poterant, nunc affectant, ſi veri Chriſti diſcipuli eſſent, per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam, exonerati ab omni impedimēto, intrare ſolicite laborarent. Inuenimus etiam interdum quoſdam, in quibuſdam rebus adeo delectari: vt nec ad eas concedendas petenti fratri, velint aliquatenus inclinari. Alij ſcripta ſua, vel res alias nitūtur à fratrum aſpectu abſcondere, vt poſsint petentibus negare: quibus potius contemnenda eſſent hæc tranſitoria, & fraternæ Charitati omnia poſtponēda. Pudet autē dicere nōnunquā, pro viliſsimis rebus, ſic quoſdā accendi, vt ſi quis vel digito, quidquā ex ijs contrectare præſumpſerit, tā indignatione cordis cōtra ipſum, quā inſolentia verborū moueātur. Inueniuntur & alij, qui ſic dicūt. Niſi mihi detur hoc, vel illud habendi, vel accipiendi licentia, nequaquam Domino poſſum cōmode deſeruire. Sunt & alij, qui ſe tales exhibent, vt Prælatus eis, quæ habent, auferre non audeat: vel vt ad tempus concedant, iniungere, non præſumat. quod ſi abſtulerit quidquam talium, turbationem in domo illi concitant, & tumultū. Sed quia, per talem indignationē in prædictis rebus, aliquod ius ſibi vendicant, proprietarios quodamōdo ſe demonſtrant. Pro his enim turbationē nequaquam ſibi aſſumerēt, niſi res illas, pro quibus mouentur, ad ſe pertinere aliqualiter iudicarent. Sunt itē nonnulli, qui pecuniā ſine licentia, nec accipiūt, nec expendūt; & tamē, quia licentiam ſibi denegari nulla ratione volunt, apud Deum excuſabiles nō exiſtunt. Alij, dum dare, vel accipere quoq; deſiderant, inſidioſe Prælati ſui abſentiā expectant; vt à minore Prælato licentiam habere valeant, quam, negandam à maiore credunt probabiliter, aut formidāt. Iſti quidē apud homines forinſecus excuſari poterunt, ſed apud eum, cui omni cor patet, & omnis volūtas loquitur, perfectionis ſemitam derelinquunt. Quidam etiam eſculenta, & poculenta, ſibi miſſa, vel ſoli cōtendunt habere, vel illis ſolumōdo, quibus placet, diſtribuere: nec fratres alios, ſecundū diſpenſationē eorū, quorum intereſt, participes volunt eſſe. Sunt & alij, quibus auctoritas eſt tradita, qui Monaſterij res indignis conferūt; aut ex incuria perire ſinunt; aut ſuperflue res expendunt; qui nonnunquam, circa curam ſui, reperiuntur prodigi,

Iſai. 28.

Matth. 7.

prodigi, ſed quoad alios, ſatis parci. Hi ſi certe aduerterēt quod eleemoſynæ ſunt pauperum, quibus viuunt, eas cum magna timoris & reuerentiæ prouidentia æqualiter diſpenſarent.

CAP. XVIII Quales debent eſſe veri amatores paupertatis.

VERI autem paupertatis amatores, ſine licentia nihil accipiunt, nec dant, nec habent: neque celant vel mutuant, vel furantur. Quamuis enim neceſſaria nobis habere liceat; nullus tamen habeat quidquam ſpeciale. Ecce beatus pater Auguſtinus, tantæ paupertatis extitit, vt nec teſtamentum, vel moriens, vllum fecerit. & ſicut proprium non licet habere clauſtrali, ſic & operari ſtudeat in commune. Sciendū autem, Religioſis poſtponenda eſſe quædam actu pariter, & affectu, qualis eſt proprietas rerum, qua ſe priuarunt. quædam affectu, ſed non actu; vt interdum eſt per actiuam vitam, diſpenſatio temporalium. Quædā actu, & non affectu; ſicut, pro bono obedientiæ, quandoque intermittitur contemplatio ſupernorum. Sed, heu, videmus multos bonum paupertatis appetere: qui tamen nolunt ipſam cum defectu, ſeu penuria ſuſtinere. Apud omnipotentem vero Deum paupertas tunc precioſa redditur, cum eam voluntas deuota, cum difficultatis moleſtia comitatur. Sane ad retinendam arreptæ nuditatis virtutē, ita vosmetipſos ab omni proprietate reddatis exortes, vt tanquam peregrinos, & nihil habentes, pijs Monaſterij largitionibus vos noueritis veſtiendos deinceps, & alendos. Ex præmiſsis ergo colligite, vt poſsidendorum in vita præſenti nec quidquam inordinate concupiſcatis; nec inhoneſte adquiratis; nec ſine licentia quidquam recipiatis, vel detis; nec præter voluntatem Prælati, aliquid teneatis; nec licentiam extorqueatis; nec, contra fraternam charitatem, quidquam teneatis; nec inutiliter expendatis.

CAP. XIX. Multa nocumenta proprietatis.

OSTENDVNT proprietarij ſe vacuos eſſe Dei gratia; qui contra profeſsionem ſuam poſsidere ſatagunt aliena. Mala permutatio, quæ crumenā ditat, ſed animam Deo priuat. Quantū enim Religioſus arcam onerat rerum proprietate, tantum grauat conſcientiam egeſtate. In dialogorum B. Gregorij libro legimus quendam Religioſum paucos nummos abſcondiſſe: cuius ſepultura extra cœmeterium poſita, maledictionem pro benedictione ſic habuit; Pecunia tua tecum ſit in perditionem; poſitis pecunijs apud ipſum. Tales, ſi decedunt impænitentes, peiores ſunt inferno; qui, moriente Chriſto, reſtituit aliena. Iſti pro re tranſitoria, rem precioſam oppignorant: quia pro talibus, animam ſuam damnant; & ſe gaudijs cæli priuant. Vnde frater, qui ſe & ſua, Chriſtum ſecuturus, relinquit; in ea ſe poſtmodum vitioſe intromittit. iſte talis, inſipientem ſe oſtendit: quia molam aſinariam, de collo amotam, reſumit; *Apocal. 20.*

AMPLECTENDA, poſt hæc, velut vnũ de Religionis pręcipuis capitibus ipſa caſtitas: quæ diuinæ viſioni nos aptat; quæ naturã ſuperat, & Angelicis ſpiritibus nos cõformat. Hęc eſt, inquã, quæ fidelẽ animã, Chriſti ſponſam efficit: quæ ſequentes agnum canticum ſingulare docet: & Deo proximum eſſe facit. Talibus inhæreatis nuptijs, vbi thalamus, eſt cordis munditia; amplexus, gratia: proles, opera bona: dos, felicitas ſempiterna. O quam regales ſunt illæ nuptiæ: vbi anima Chriſto per amorem iũgitur: vbi leua eius, imbecillitatem noſtram adiuuans, per meritum ſub capite ponitur, & dextera ipſius nos per præmium amplexa bitur. *CAP. XXI.* *Apoc. 14.* *Cant. 2. & 8.*

CASTITAS, veſtimentum eſt nuptiale: quo decorabitur anima in conuiuio ſummi Regis. Hoc biſſino indumento, qui caret, de nuptijs æternis cum confuſione expellitur. Videte, quomodo confuſi ſunt valde ſerui Dauid, quibus veſtes vſque ad nates præſcindebantur: ſic confuſi nimis erunt apud altiſsimum qui tegumẽto nunc continentiæ ſpoliantur. Omni laude dignum, in carne, præter carnem, viuere: & inter ſpinas eſſe, ſed ſpinarum aculeos non ſentire. Salamandræ comparantur iſti: quæ in igne non comburitur: & piſci, qui aquis circumdatur, & non ſuffocatur; & grano quod neque inter zizania opprimitur. Iſti mira faciunt in hoc mundo. Maius enim miraculum eſt, de carne propria fomitem extirpare libidinis, quam eijcere dæmonia, vel febres de corporibus alienis. *CAP. XXII. Similitudines quædam pro caſtitate.* *2. Reg 10.*

TRIBVS modis incontinentes errant, dũ vel cogitatione; vel delectatione; vel conſenſu circa hoc vitium laborant. Huius figuram euidenter nobis ſacra ſcriptura innuit, cum in primorum parentum peccato, ſerpentem, & mulierem, atque virum introducunt. Sit itaque cor noſtrum per caſtimoniam thronus eburneus: ſit lectus floridus: ſit fons clarus: ſit vtique hortus concluſus: amenus paradiſus; arca intrinſecus deaurata: & virtutum delectabilis officina &c. *CAP XXIII. Tria mala incontinentiæ.* *Gen. 3.*

IN primis ergo ſuper corda veſtra, fratres mei chariſsimi, ponere ſalutis ſignaculum ſatagite, & ne vagentur ad inania prohibete. Cor enim ceræ ſimile dicitur; quæ, per impreſsionem, ſigillo quolibet figuratur. Quare pulchris imaginibus mentes veſtras imprimite: ac ſic eas interna gloria decorate. Studeamus etiam pigmenta bonarum cogitationnm, in ignẽ deſideriorũ noſtrorum mittere; quo valeamus ſancti amoris incenſo, in conſpectu altiſsimi redolere. Deſiderium enim noſtrum, ignis eſt: & ſecundum materiã, quam imponimus, vel fœtorem, vel boni odoris fragrantiam excitamus. cor quoque noſtrũ molæ currenti continue comparatur: quæ vel loliũ, *CAP XXIIII. De cogitatione mala.*

 vel tri-

vel triticum cōminuit, ſecundū arbitrium imponentis. Sciat veſtra fraternitas, nos, cogitando peruerſa, raptorem in theſaurum noſtrum immittere, malum ſemen iactando: venenatum regulum nutrire: ſagittas diaboli, abſq; clypei oppoſitione, recipere: incuruando nos ſathanæ, Chriſtum de ſolio deijcere: porcos in hortum noſtrum deuaſtandum introducere; lutum in fontem conſcientiæ immittere: floribus relictis, ad ſtercora nos conuertere: &c.

CAP. XXV. De delectatione mala.

QVASI matrem proles, ſic malum delectatio ſequitur cogitatum. Quiſquis vitare vult ſequens malum; præcaueat antecedens: ſciens, qui delectationibus carnalibus mentem dederit, eum à ſupernis influxibus ſe elongare. Abſit enim vt diuina conſolatio infundi debeat vaſi inquinato. Nam cor immundum, ſedes eſt ſathanæ; cui non decet Chriſtum per gratiam conſidere. O quam indigna commutatio; incommutabile bonum ſpernere, & rebus mutabilibus adhærere; fontem dulcedinis relinquere, & turbato riuulo ſe replere. Ergo ſi de peccatis nos cogitare contingat; non hoc ex delectatione, ſed amara compunctione fiat; ſicut pater multarum gentium Abraam, euerſas vrbes à longe conſpexit: & Hieremias, ſuæ ciuitatis excidium dolens, planxit.

Gen. 19. *In threnis.*

CAP. XXVI. De conſenſu malo.

CETERVM, ſi contingat vt illicita cogitatio vos interdum mordeat, ſummopere cauendum eſt, ne, vſque ad conſenſum delectatio decurrat. Cum enim diabolus inclinare vos ad peccandum intuetur, ad quendam vos conſenſus tranſitum hortatur: ſed mendax eſt, & pater eius: quia nequaquam peruerſus tranſit: quin potius in conſenſu noſtro, ſi aduerterit, pedem figit. Conſiderandum tamen eſt, duplicem eſſe conſenſum, qui nos maculat: dum ſcilicet vel malum facere decreuimus; vel cum non in opus ipſum, ſed in delectationem præſentem conſentimus. Quando enim delectatio cogitationis, vſque ad voluntatem delectandi protrahitur; tunc moroſa, & rea criminis, etiam abſque perpetratione operis, iudicatur. Quod ſi taliter delectantes, apud omnipotentem, rei videantur, quo reatu conſtringuntur, qui, tentationes præuenientes, ad illicita ſe compellunt?

Ioan. 8.

Duplex conſenſus mortalis.

CAP. XXVII. Quales debeant eſſe qui continentes ſunt.

STVDEAMVS ergo, fratres, corporis habere continentiam, atque mentis: quæ nobis per cinctos lumbos atque armillas, & zonam auream declaratur. Si vero tentatio carnis, vel dæmonis

nis ad illicita nos incitat, mentem tamen fortiter ſtantem hoc non frangit. Sed multũ intereſt inter virtutes, quibus reſiſtimus, & quibus quieſcimus: quia tanto ſunt hæ illis meliores, quantum triumpho antecellit ſynceræ quieta poſſeſsio puritatis. Quamuis enim laude plenum ſit, carnalibus deſiderijs reſiſtere; multo tamen laudabilius eſt tentationum incitamenta non ſentire. Nam quamuis obtineat in bellorum conflictibus quis triumphum; tamen vulnerum interdum ictus recipit, & plagarum. Motus etiam, quos cum labore pugnæ quis comprimit; quando ſe pacem habere ſperauerat, tunc inſurgunt. Nequaquam enim dimicans, ab hoſte ſecurus eſſe poterit, quem poſt victoriam, intra ſuos dominantem terminos derelinquit. Securior Dauid erat poſtquam à prælijs, ſubiectis hoſtibus, quieuerat; quam cum bellorum diſcriminibus ſubiacebat. Status ille tranquillus in arca Noe deſignatur, in qua cuncta quietantur animalia, & pacantur. Ad pacem hanc laudabilem tunc venimus, quando contra vitia inſurgentia, non quaſi ex neceſsitate, pugnare compellimur; ſed ea potius cum ſe primo oculo rationis obtulerint, velut colubrum horrore nimio deteſtamur, &c.

Luc. 12. Ezech. 16. Apoc. 1. 2. Reg. 22. Gen. 8.

NON ſolum opus luxuriæ nepharium, ſed & ad illud inclinantes circumſtantiæ ſunt vitandæ. Quales ſunt incautus viſus; tactus; oſculum; & amplexus; frequens colloquium, atque riſus.

CAP. XXVIII. Pericula caſtitatis.

ETENIM, quia mors per feneſtras noſtras ingreditur, neceſſe eſt, vt viſus ipſe cum magna diligentia obſeruetur; ne, dum incauto aſpectu exteriora reſpicimus, diuitias interiores amittamus. Certe, ſi Dauid viſum ab incauto intuitu reſtrinxiſſet: in tantæ tentationis malum minime cecidiſſet. Pudicitiam quoque Dina perdidit, quæ ad videndas mulieres regionis circumiens, in ſui ſe cuſtodia non concluſit. Ad tegendum viſum noſtrum exemplum ſaluator noſter nobis tradidit, qui nec proprios, in deriſionem, velari oculos recuſauit. Quocirca ſcandalizantẽ oculũ, ſecundũ Domini conſiliũ, eruamus, vt viſum videlicet, ne vanitates hauriat, auertere ſtudeamus.

CAP. XXIX. De viſu incauto. Hier. 9. 2. Reg. 11. Gen. 34. Matth. 5.

CAVENDI ſunt præterea contactus non ſolum laſciuarum, ſed bonarum etiam fœminarum. Quamuis enim bona ſit terra; bona quoque ſit pluuia: tamen ex illarum commixtione lutum efficitur. Eodem modo, licet bona ſit manus viri, & bona manus fœminæ: ex contactu tamen illarum nonnunquam lutoſa cogitatio, vel affectio generatur. Si picem etenim quis tetigerit, manum vtiq; ſordidabit. Quis autem ſtultus credit, ſe manum in ignem mittere, & incendium non ſentire? Vnde quidã ſanctus, quando per aquam, matrem propriam tranſportabat, manũ pallio, ne illam tangeret, inuoluebat.

CAP. XXX. De contactu. Eccli. 13. Exemplum.

Cap XXXI. De amplexibus & oſculis. *1 Cor 7.* *Rom. 16.* Si ergo, ſecundum dictum Apoſtoli, bonum eſt mulierem non tangere; nequaquam expedit illam oſculari. Concupiſcentia tamen quoſdam ſic falſe decipit,& excæcat, vt dicant talia licere. cum eundem beatum Apoſtolum conſtet ſanctum oſculum indulſiſſe. O quam miſerabiliter perit iudicium rationis, cum affectus incipit dominari. format enim mens captiua conſcientiam qualemcunque, dum tamen perficiat quod affectat. Ipſa vero conſcientia poſt facti perpetrationem, amoris ſtimulis mentem pungit, quæ ad vnam partem deflectens, veritatis ſemitas derelinquit. Amplexus enim mortales non curant, qui ad æternas nuptias ſe præparant. Ornatos namq; lampadibus munditiæ, & oleo lætitiæ decet eſſe eos, qui ſuperni ſponſi cupiunt amplexibus intereſſe.

Cap. XXXII. Remedia pro Caſtitate. Remedia ſane luxuriæ ſunt. Familiaritates ſuſpectas deuitare: Sibi non nimis confidere: Occaſionem tentationum fugere: Senſus exteriores claudere: Cogitationes malas reſtringere: Carnē domare: Motibus inſurgentibus reſiſtere: Bonis ſe ſemper exercitijs occupare. Quem autem antiquus hoſtis vacantem viderit, hunc ſuis negotijs occupabit. Sciendum profecto eſſe quidem nobis contra vitia alia pugnandum; ſed incontinentiæ malum potiſsimum fugiendum. Quoniam, ſicut infirmus, potu frigidæ aquæ, ardorem febrium non minuit, ſed accendit; ſic fomenta concupiſcentiæ quærens, in his miſerijs, deſiderium nec ſatiat, nec extinguit.

Cap. XXXIII. Reſiſtendum luxuriæ. Omni ſtudio neceſſarium eſt cor cuſtodiri; quia conſtat illud multipliciter impugnari. In reſiſtendo quoque neceſſe nobis eſt, vt ibi ſimus in noſtra cuſtodia cautiores, vbi pugnas hoſtium experimur fortiores. Nam & diabolus ibi ponit frequentius tentationum laqueos, vbi magis ſentit nos incautos. Et ibi fortius ſtudet nos debellare, vbi nos nouit amplius ægrotare. Pax & concordia cunctis eſt laudabilis, niſi contra vitia pugnaturis. Quod optime innuitur, cum *Cant. 4.* turris Dauidis, ædificata cũ propugnaculis, decorata fuiſſe mille clypeis, omniq; armatura fortiũ memoratur. Vnde & antiquis populis, *Ioſ 15.* propter exercitium prælīandi Iebuſeus relinquitur: & Machabeis in *1. Mach 2.* Sabbato pugnādi licentia conceditur; vt quam gratum ſit Deo bellũ *Exemplum.* contra vitia declaretur. Fratrem illum diligenter recogitate, quem vidit quidam per diuerſarum ſpecierum, coram ſe, formatas imagines impugnari: quas quia per negligentiam non repulit, cordis ſui pulchritudinem in conſpectu Dei, cernentis omnia maculauit. Con- *Exemplum.* tra vero, bene ſibi frater ille tentatus conſuluit, qui vt magis obliuiſceretur talium mulierum, ſibi luteam, ac fœdam figurauit. Ad iuuandam cuſtodiam cordis noſtri, Cherubin flammanti gladio, ad

viam

viam ponitur paradiſi. Studeamus autem maxime caput ſerpentis conterere: hoc eſt, tentationum principijs reſiſtere: vt ſic hoſtem, dum eſt debilis, opprimamus; vt nequitiam in ſemine deſtruamus: atque etiamſi aduerſarius noſter ſæpius tentationibus nos examinet, ipſa tamen frequentia nos tędio non afficiat: nec ſimus ſicut lapides, quos ſtillæ cadentes, non violentia, ſed numero tandem cauant. Liquet hoc in patre quodam: qui annis quadraginta tentatus, fortis athleta Chriſti perſtitit: ſed poſtmodum, vnius noctis ſpatio, victus ceſsit. *Exemplum*

De alijs Religioſorum virtutibus.

MATREM virtutum humilitatē, fratres chariſsimi, libenter amplectamur; quam & Chriſtus verbis docuit, & exemplo nihilominus demonſtrauit. Scitis & de quodam apud antiquos patres, qui oſſa mortuorum afferre iuſſus eſt, vt illis exhiberet ignominiā, & honorem. vt nimirum ſicut ad vtrumq;, inſenſibilia illa cerneret; ſic & ipſe laudes vel vituperia de cetero non curaret. *CAP. XXXIIII. De humilitate. Exemplum.*

AD perfectam humilitatem iſtis gradibus venietis; vt videlicet defectus veſtros cum dolore, & emendationis propoſito recolatis. ſi propriam excellentiam ex corde fugetis. ſi vos contemnatis. ſi vos vere mundo mortuos æſtimetis. ſi nulli, niſi Deo ſoli, placere appetatis; nec vlli diſplicere niſi Domino, timeatis. ſi humana vobis præſentia nihil adijciat honeſtatis, aut minuat ſolitudo. ſi vos inutiles, non ſuperficie labiorum pronuncietis, ſed veraciter reputetis. ſi deſideretis viles videri. ſi omne quod eſt contra communem curſum ordinis, quod poteſt vos reddere notabiles, declinetis. ſi ſingularem ſenſum relinquatis. ſi vos ipſos in conſcientijs veſtris accuſetis, & alios excuſetis. *CAP. XXXV. Humilitas quomodo acquiratur.*

SIGNA ſunt humilitatis, Gratiam hominum negligere: Sententijs aliorum adquieſcere: Correptiones libenter audire: Caput inclinare: Veſtes notabiles non ferre: Riſum temperare: Ampulloſa verba non proferre: Tortuoſum inceſſum vitare: Maiorum præcepta, ſine diſcuſsione, perficere: Æqualibus, ad obſequium, paratum eſſe: Minores non contemnere: Simplici gradientes via, nunquam duplicitatis, ac fictionis veſtigium prætendere: In litibus nolle victoriam obtinere. *CAP. XXXVI. Quæ ſigna humilitatis.*

Cap. XXXVII. Humilitatis vtilitates.

VT humilitatis fructum noueritis, agnoſcatis illam, cinerem eſſe virtutũ, carbones in feruore conſeruantem: fundamentum, ſpirituale ædificium, ne cadat, ſuſtentans: & ſcalam ad cæleſtia nos ſubleuantem. Ipſa enim humilitas virtutes ceteras conſeruat: capiti noſtro nos aſsimilat; actiones, pulchritudine ſua, ornat. Hæc eſt, quæ Deo eſt amabilis; in ſe ipſa eſt laudabilis: multipliciter nobis vtilis; & proximis exemplaris. Humilitas certe virtus eſt, quæ obtinet abſentia; ſtabilit præterita; recuperat iam amiſſa.

Cap. XXXVIII. Quomodo quis humilis debeat apparere.

Si quis ergo perfecte humilis eſſe nititur, velut ſurdum, mutum, & cæcum, immo quaſi ſtultum exhibere, ex intimis, ſe conetur. videlicet vt nihil audire, vel loqui, vel videre cupiat, quod à propoſito ſuo retrahat: à bono vero, propter deriſionem, non recedat. Humilitatem quoque perfectus quiſq; teneat ſine fictione. vt ſicut illam exhibet forinſecus in opere, ſic non deſerat eam corde. Non ſitis ergo ſicut illi, qui humilitatem quidem diligunt, ſed contemni nolunt. quia ſi tales humilitatem vere noſcerent, nequaquam illam in contemptu propriæ excellentiæ conſiſtere dubitarent. In veſtimentis ſeruetis tale medium, vt nec curioſitate nec precioſitate ſint notabilia; nec etiam, vilitate nimia, deturpata. Superbia enim nonnunquam de ſuo interitu coaleſcit. Dum enim abijcere ſe nititur, hoc ipſo ſæpius inaniter gloriatur. Eodem modo, cum pro Chriſto quis ieiunauerit, ſæpe vana gloria per hoc ſurgit. Vnde cum quidam frater quæreret cur magis in congregatione, quam in ſolitudine ieiunare poſſet? Reſponſum eſt ei. Quia multi, in Monaſterio eum abſtinentem viderent, ſed in ſolitudine nullus ieiunij teſtis eſſet.

Exemplum.

Cap. XXXIX. Nocumenta ſuperbiæ.

NOCVMENTVM ergo ſuperbiæ in hoc perpendatur, quod duo ſunt in operibus bonis; gloria videlicet, & vtilitas. quorum primum ſibi Deus ſeruauit; ſed reliquum nobis dedit. Vnde ſi Dei partem nobis habere contendimus, abſque dubio partem alteram amittemus. Sicut enim ventus puluerẽ proijcit; ſic vanitas virtutes diſsipat, ac diſpergit. Hoc enim certiſsime ſciendum eſt, quod nunquam obedientiæ bonum, nec patientiæ virtus, nec perfectionis puritas obtinebitur, ſi humilitatis ſynceritas amittatur.

Cap. XL. Quæ conſeruẽt Humilitatem.

SI ergo humilitatem, & quæ conſcripſimus diligitis, diligenter illam conſeruate. quod fiet, ſi in vobis penſaueritis facilitatem cadendi; difficultatem reſurgendi: & incertitudinem perſeuerandi. ſi cogitationem habere ſtudueritis propriæ fragilitatis; & conſiderationem fratris alterius melioris. Si ſæpe cogitaueritis mortem imminentem

nentem. Si Deum, quæ agitis, attenditis intuentem. Si nihilominus ipſum Dominum, vſque ad mortem turpiſsimam humiliatum penſaueritis. Si gloriam & honorem, quæ ſequitur ignominiam, ponderaueritis.

CAP. XLI. De Patientia.

DENIQVE, fratres mei, virtutum clypeum, patientiã apprehendite: quæ in ſanctis Dei mirabilia operatur. Facit enim ipſa patientia nonnunquã, vt puella fragilis totũ mundum vincat. imo ſine pugna vincit aduerſarium: & amaris paſcitur, & contrarijs delectatur. Apoſtoli certe ſe magnos iudicabant, quod pro Chriſti nomine contumelias ſuſtinerent. *Actor. 5.* Si bene conſideremus, non ſunt conferendæ paſsiones huius temporis, quas ſuſtinemus, cum magnitudine Chriſti paſsionum, noſtrorumque delictorum, & infernalium tormentorum, atque cæleſtium præmiorum. Proinde læti ſunt patres noſtri, pro diebus, quibus viderunt mala: ſicut aperte nobis Inſtitutores noſtri præclare oſtenderunt. qui loca inſidiarum tranſeuntes, alacrius incedebant, & cantabant. ijdem quoque patres noſtri libentius erant in vno loco, quam alio: quia in vno moleſtias, in alio honores referebant. Exemplum patientiæ nobis exhibuit, qui dicebat, Nonne diſsimulaui? nonne ſilui, & iam quieui? *Iob. cap. 3.* Diſsimulauit quidem foris per opera, ne impatientiæ ſignum oſtenderet. Tacuit à verbis inordinatis, ne vel ore dura verba proferret. Quieuit & corde, ne ſeipſum vel intrinſecus turbaret.

CAP. XLII. Vtilitates Patientiæ.

PATIENTIA eſt adamas, quo mens incommodis non frangitur: Medicina, per quam ab omni læſione quis curatur: & clypeus, quo, ne lædi valeat, quis communitur. Ab alio certe non lædi poterimus, niſi prius contra nos ipſos intrinſecus dimicemus. *Exemplum* Tribulationis fructum ille nouit, qui precium iniuriam inferenti erogauit. Hunc fructum ſacra ſcriptura ſatis innuit, vbi *Dan. 3.* tribus pueris ignis in nullo nocuit; ſed vincula tantum ſoluit. Idem oſtendit artificium: quia lapis ad hoc tunditur, & ſculpitur, vt in ſolemni loco, poſtmodum collocetur. Sic & nos, nunc in mundo premimur, vt in templo cæleſtis patriæ, vbi nullus ſonat malleus, collocemur. Nam gaudium triſtitia præcedit; qua vel pro purgatione culpæ; vel pro perfectione gratiæ; vel pro augmento gloriæ nunc ferimur. O labor. O dolor. O beatæ lacrymæ, quas ab afflictorum oculis beata manus terget. Cęlorum regnum eorum eſſe dicitur, qui perſecutionẽ propter iuſtitiam patiuntur. *Matth. 5.* Cum vero in perſecutione duo ſint, culpa videlicet, & pœna, meliorem partẽ habet patiens, quam perſequens; cũ ſit culpa lædentis; ſed pœna tantummodo ſuſtinentis. puritatẽ ſuæ dilectionis in nobis, omnipotens

Heb 12. potens Deus ex hoc probat, quod omnes, quos amat, arguit & caſtigat. Hinc eſt, quod in ſignum clementiæ, ab Aſſuero contra Heſter aurea virga extenditur: quo, nos eſſe conſolandos virga correptionis Dominicæ figuratur. Si enim ſuis dilectoribus, temporaliter tantum benefaceret, plures illi, non propter illum, ſed propter dona potius adhærerent. Fuerunt, qui velut dextera, vtebantur ſimiliter & ſiniſtra. De quibus quid aliud dixerim, niſi quod ſicut ad meritum vitæ conuertebant proſpera, ſic & aduerſa. immo, vt verius dicam, talibus nihil aduerſum eſſe poterit, pro quibus aduerſitas ipſa militans, cumulat ſemper meritum, & in gaudium tandem ducit. Patet igitur hominem patientem, de felle, fauum mellis elicere; malum in bonum conuertere; mare, quaſi lac, ſugere; mærorem in fælicitatis æternæ gaudium commutare. vſque ad tempus enim patiens expectabit, vt poſtea iucunditatis redditio ſubſequatur. Certe peccantes, ad refrigerium venire non poterimus, niſi vel hic per aquam tribulationis, vel tandem per ignem purgatorium tranſeamus. Facilior eſt autem aquæ tranſitus, quam ignis. Si aduerſitatum vtilitatem ſciremus conſiderare, vix per centum annos, Domino poſſemus pro infirmitatis vnius beneficio reſpondere. Vnde ſapienter ille bonus frater doluit, plorando, quod non eum Dominus, ſingulis annis, per infirmitatis moleſtiam viſitaret.

Heſt 5. *Iud. 20.* *Exemplum.*

CAP. XLIII. Qualis debeat eſſe verus patiens.

VELIMVS ergo, fratres, bona agere, mala pati. &, ſi cordis cupimus tranquillitatem habere, debemus, non quod nobis fit, ſed quod irrogamus alijs ponderare: ferre libentius iniurias, quam inferre; flagella Dei, ſine murmure, ac iniurias proximi, ſine rancoris odio, ſuſtinere: iram fratris ſtudioſe velle curare, quamuis contra nos ſciamus illum irrationabiliter iram concepiſſe. Exemplum in hoc ſumamus à Dauide, qui quando cytharam, pſallendo tetigit; in Saule malum Spiritum mitigauit. Si pænam ex culpa meremur, doleamus; ſi autem innocenter patimur, gaudeamus. quia iucundius eſt cum Chriſto ſuſtinere moleſtias, quam cum latrone: multoque maioris gloriæ pro diuina laude, quam pro meritis mala ferre. Sunt igitur agendæ gratiæ pro proſperis, & pro aduerſis. ſic non ſolum interdiu, ſed & noctu cantat philomela. Sine querela, tá actiua, quá paſſiua vos ſeruetis, fratres chariſſimi; vt nec querelas moueatis de alijs, nec de vobis cuiquá tribuatis materiam conquerendi. nulla re gaudeatis, niſi quæ pro Chriſto eſt; nec aliquid doleatis, niſi quod à conditoris gratia vos elongat. Nam impatientia contra iniquitatem alterius tantummodo eſt indulta. Hæc enim, dilectiſſimi, tyronum Chriſti victoria eſt; vt cedant lædenti, & indulgeant perſequenti. Sitis ergo,

1. Reg. 16.

fratres, velut radices, quæ contritæ, magis fragrant. Sitis aurum, quod fornax non conſumit, ſed examinat. Sitis granum, quod à palea flagellum ſeparat. Sitis nauis, quam ventus non impedit, ſed ad litus agitat. Sitis gemma, quam ſculptura non deſtruit, ſed decorat. Ad perfectam igitur patientiam venire cupientes, gradibus his vtamur; vt videlicet malũ pro malo nũquam reddamus: malo nõ reſiſtamus: mala toleremus: iniuriantem placemus: bonum pro malo rependamus: gaudenter iniurias ſuſcipiamus: ad plura ſuſtinenda parati ſimus: in tribulatione gratias Deo referamus: aduerſitates pro Domino affectemus. Maxime vero valet ad ſuſtinenda conuitia, ſi ad reſponſionem talionis non ſitis faciles; ſed immobiles, velut muti; & quaſi hoc non audierint, vel aduerterint multi.

CAP. XLIIII. Mala impatientiæ.

MVLTA mala impatientia operatur. Rationis enim oculum excæcat: ſpiritus ſancti domum turbat, ac pacis dulcedine mentem priuat. Hæc draconi comparatur; quia ſicut ille ignem vomit, ſic importunus homo impatientiæ verba fundit. Ira etiam febribus ſimilis eſt; quia non ſolũ animus, ſed & corpus, per eam, inordinatis motibus commouetur. Immo dixerim iram febribus peiorem: quia cũ per febres ſemel homo vexetur vel bis: per iram, vno die, ſæpius agitatur. Cum autem tribulatio ſit quædam raſura: talis quiſque, quando per hunc modum raditur, quietus ſedeat; ne ſi ſub nouacula inſolenter ſe mouerit, peius malum, per impatientiam, ſic incurrat. Quando ergo de detrahente quis vlciſcitur, plus amittit: quia tribuit tunicam innocentiæ tollenti pallium bonæ famæ. Si quis vero à Domino vindictam poſcit, ipſum quodammodo Deum, tortorem; ſe vero iudicem facit. Quid de ira dicam? per ipſam etenim cor incenſum palpitat: os clamorem format: ſenſus quid loquatur ignorat: excæcantur oculi: non cognoſcuntur noti; facies igneſcit: lingua præpeditur: corpus tremit.

CAP. XLV. Patientiæ non veræ ſigna.

SVNT autem nonnulli, qui patientiam, non ex proprijs, ſed ex virtutibus concipiunt alienis. Quidam volunt eſſe tunc ſolummodo patientes, cum non fuerint ab alijs irritati. Sunt & alij, qui foris iniurias diſsimulant, ſed rancorem in interioribus ſeruant. Horum patientia, eſt ſicut calceus non inunctus: qui ab exteriori quidem læſione defendit; ſed intrinſecus pedem premit. Iſti ſunt lupis ſimiles, qui plagas foris in pelle bene ſuſtinent, & vulnera; ſed corruptionis recipiunt faciliter in interioribus detrimenta. Sunt item alij, qui proprias iniurias ſtudioſe vlciſcuntur, , ſed iniurias Dei perſequi minus curant: non aduertentes, aliquando ſe ſancto zelo carere, aliquando ſe iræ ſeruire: primus, contra iniuriam Dei: ſecunda,

contra iniuriam propriam commouetur. ille eſt gratiæ; iſta eſt culpæ: cumulat ille præmium: iſta pænam. Sed cauendum valde eſt, ne adeo animus ira turbetur, vt, quod vitio furoris agitur, fieri per zelum rectitudinis æſtimetur. Interdum enim vitia ſub virtutibus ſe palliant: & quæ poſſunt fieri cum merito, reddunt noxia, ac deprauant, Sic fit nonnunquam, vt in correctione fraterna ira charitatem excitet: cum potius è conuerſo, charitas iram debeat excitare. Sunt autem & alij, qui perſonis, & non vitijs iraſcuntur. Nos autem, ſi charitatis ordinem inſpicimus, hoc videmus. quod eſt diligenda natura, quã Deus condidit; & deteſtanda ſunt crimina, quæ quis ex inſtinctu proprio, vel certe diaboli perpetrauit. Poſſumus tamen interterdum huiuſmodi, non ex rancore, ſed pro bono ipſius, cupere malum pœnæ: cum nimirum quis ex ſanitate corporis, vel affluentia diuitiarum, vel alijs ex rebus extollitur, aut peccatis alijs implicatur, vt ea illi bona ſubtrahantur. Huiuſmodi bene poſſumus, & rationabiliter exoptare; vt deficiente cauſa, deſinat & effectus.

CAP. XLVI Quomodo patientia acquiratur.

VT autem iucundius poſsimus nobis aduerſantia ſuſtinere; ſtudeamus hæc ſolicite poſsidere: videlicet Memoriam Dominicæ paſsionis; Conſiderationem retributionis; Dulcedinem Dominicæ charitatis: Penſemus & noſtra mala merita; Dei beneficia; Pænam purgatorij, quæ nobis per tribulationem diminuitur; Peccatum, quod dimittitur: Gratiam quæ perficitur: Dei gloriam, ad quam ordinamur: Præmium, quod augetur: Cautelam, qua per hanc, non modice erudimur. Sed laborandum nobis eſt, ne per ipſam nos contingat inde pænam incurrere, vnde poſſemus gratiam, & gloriam expectare. Videmus enim æquali motu & pigmentum redolere; & lutum fœtere: atque eodem igne & aurum rutilare; & fœnum fumare. Certe tribulatio, calcar eſt, ad boni operis feruorem, pigritiam noſtram excitans; & ventus, ad gloriæ portum nos impellens. Ceterum, cum iniurioſe moleſtamur, citius tunc rancorem in nobis extinguimus; ſi per diſsimulationem primos impetus comprimamus. Eſt enim iræ natura, vt ſignis exterioribus prolata creſcat; dilata vero, minuitur, & langueſcit.

CAP. XLVII. Quomodo Religioſus erga Deũ ſe habere debeat.

OMNI niſu, fratres mei, vos exhibete coram Deo laudabiles, ſinceræ mentis, & coram hominibus decentis diſciplinæ. Exhibete te vos in tali ſeruitio timoratos, ſolicitos, ac deuotos. Solicite Deo placita inueſtigate, & ardenter ea concupiſcite, ac implete. In charitate, & ex charitate cuncta facere ſatagite: vt & Deo largiente habeatis

beatis Charitatis habitum;& per veſtra ſtudia, eius feruorem. Si enim vnum iſtorum in actionibus veſtris defuerit, nequaquam apud Deum meritorium erit. Id ergo quod in vſu venerit, deuote ad Deum referte: & ei, propter ſe ipſum, amore infatigabiliter inhęrete. Viæ vobis ſint ad Deum, tam proſperæ, quam aduerſæ: vt ſucceſsibus proſperis, cum gratiarum actione ſimus humiles, & in cõtrarijs, patientes. Nulla re gaudeatis, niſi quæ Chriſto placeat; nec de aliquo doleatis, niſi quod ab eius gratia elongat. Soli Deo placere appetatis: illi diſplicere ſolum timeatis. Sola vobis ea, quæ vos Deo iungunt dulceſcant. ſola, quæ illi contraria ſunt amareſcant. Totam vitam veſtram ad Dei gloriam ordinate: ſemper illi pro beneficijs eius gratias agite: & quidquid ad laudem eius non pertinet, quaſi amiſſum penitus reputate. Vileſcant vobis omnia, propter Deum; nec quæratis aliquid in tranſitorijs, quod eſt contra Deum. Et delectent vos triſtia, quæ tamen ordinant vos ad Deum. Sit vobis Deus, honor, & gaudium: in mœrore, ſolatium; in tribulatione, defenſio: ſit vobis cibus in ieiunio: in paupertate, abundantia: in infirmitate, ſaluberrima medicina. Quapropter ſi eſuritis, ille vobis ſit conuiuium: ſi ſititis, ipſe ſit vinum conditum: ſi nudi eſtis, ipſe ſit veſtitus: ſi infirmi, ipſe ſit medicus: Si vigilatis, ipſe ſit lectulus: ſi fatigati ex itinere, ſit quies, & vmbraculum ipſe vobis. Sit inquam Deus cordis veſtri ſpeculum, quo vos componatis: ſit ſigillum, cui vos imprimatis: ſit via, quam ambuletis: ſit gemma, quæ vos ornet: ſit fons, qui vos lauet: ſit panis, qui vos confortet: ſit electuarium, quod vos ſanet: ſit clauis, quæ corda veſtra ſibi aperiat, mundo claudat. Quod ſi vires corporis deficiant; ſemper tamen in obſequio conditoris bonæ voluntatis deſideria inardeſcant. Diligite quæ Deus diligit; & odite tantummodo id quod odit. Quantum eſt in vobis, ſemper habere ſtudeatis intellectum, Deum cognoſcentem; affectum, Deum diligentem: diligentiam, ipſum quærentem: ſapientiam, inuenientem; conuerſationem, illi placentem: perſeuerantiam, illum fiducialiter expectantem. Quid plura, fratres? Adoremus Dei potentiam: miremur ſapientiam: amemus clementiam: deſideremus pulchritudinem: alliciamur per dulcedinem: veneremur æternitatem: imitemur hnmilitaté. Magnitudinem inquiramus: perfectionem laudemus: miſericordiam ſperemus: iuſtitiam eius timeamus.

CAP. XLVIII. Quomodo Religioſus erga ſeipſum ſe habere debeat.

CORPVS vobis ſolummodo ſit in mundo; ſed animus ſit in cælo. Intantum Mentes veſtræ adeo ſint intentæ ſupernis, vt præſentia, velut tranſacta, quodam̃odo reputetis. Mundus ſit vobis exilium; & patria veſtra, cælum. Frequenter ad Deum cor dirigite, ad famili-

arem amicitiam cum illo conciliandam; licet hoc ipſum fiat breuiter. Ad acediam vero remouendam, ſtudijs ſpiritualibus vos paulatim aſſuefacite: orationis vſum vobis imprimite; nec tamen bonum, tanquam ex conſuetudine, ſed ex deuotionis dulcedine adimplete. Orationes furtiuas quærite: illis quoque orationibus libentius inſiſtite, quæ affectum veſtrum ad feruorem videntur amplius excitare. Videte, ne dum corpus eſt in choro, tunc animus ſit in foro. Exiſtentes in itinere, ſic vos exhibeatis, bono modo ſocijs affabiles, ne ipſa ſocietas, ab orationum conſuetarum fructu faciat vos inanes. Quotidie, mane ſurgentes, cuncta, quæ facturi eſtis Deo offeratis. Finito die, conuocatis cogitationibus, locutionibus, operationibus, illa die commiſsis, vobiſipſis Capitulũ teneatis. In lectione, ſtudeatis intellectu proficere, & affectu. ſic illa bona, quæ ex affectu quandoque facienda cupitis, compleatis; vt, propter illa, bonum obedientiæ, vel illud ad quod tenemini, non negligatis. Et breuiter; vt ſupremo bono coniungi familiarius valeatis, ab omni ſitis negotiorum ſecularium ſtrepitu exuti; à vanitatibus ſpectaculórum præſentium auulſi; à cunctis infructuoſis cogitationibus extranei; & mundi blandimentis ac illecebris crucifixi.

CAP. XLIX. Quomodo Religioſus erga proximum ſe habere debeat

IN omni actu, fratres chariſsimi, ſtudete ſemper vobis proficere, ad meritum; & proximis, ad exemplum. Circa ſeruitia fraterna, ſitis iucundi; ſpontanei; & parati: nec vlli ſitis, propter vſum proprij corporis, oneroſi: gratiam quam accepiſtis, liberaliter etiam alijs impendatis: illud quod vobis deeſt, ab habentibus humiliter requiratis: delictũ fraternum non indignatio, ſed compaſsio perſequatur: accuſate proprios defectus; & ſupportate miſericorditer alienos: ſemper cogitantes vos perpetrare potuiſſe ſimilia, vel maiora; niſi diuina vos miſericordia cuſtodiſſet: & certe, licet nõ aduertatis, etiam nunc fortaſſe magnis defectibus laboratis, in quibus & vos indigetis ab alijs ſupportari. Habet enim fructus quilibet vermẽ ſuũ. Monete delinquentes humiliter: & arguite patienter. Pacem cum hominibus, & bellum cum vitijs habete. In bono ſeruate concordiam, & non in malo. Fratris iracundiam, etiam ſine ratione contra vos conceptam, curate compeſcere, ſicut veſtram. Quælibet tranſitoria fraternæ poſtponite charitati. Sic homines diligatis, vt eorum vitia non ametis. Dilectio debetur hominibus, ſecundum meritum; ſed veneratio, ſecundum officium, & ætatem. Debetis ergo plus honorare Superiores; ſed plus diligere meliores. Prælatis, obedientiam. æqualibus, concordiã. inferioribus, beneficiũ exhibete. Cõtendite maioribus, timore ſubijci: æqualibus, charitate obſequi, atque humilitate minoribus

bus æquari. Sitis in præcipiente, parati: in obediente, modeſti; in maledicente, taciti: in laudante, verecundi: negligentes, & reprehenſione dignos, ita caute declinate; vt ipſos præſumptuoſe non iudicetis; & tamen ea quæ faciunt fugiatis. Quoſcunque feruentiores in bono cernitis, eorum familiaritatem auidius appetatis. Quamlibet virtutem, velut apis prudens, ſemper à melioribus decerpite: nec quid min⁹ quis habeat; ſed quid virtutis poſsideat, cogitate. vniuerſa, quæ videritis minus ædificationis habentia, velut cæci, vel qui penitus nihil adſpiciunt, tranſeatis. Nunquam enim eorum qui male agunt auctoritate, vel coſuetudine animati, vel exemplo, illud quod deterius eſt, faciatis.

AD vos autem ſpectat, ô Prælati, ſpeculum ſubditorum eſſe: dominiũ non amare: nunquam imperioſe agere; ſine contumelia corrigere: ſine ſuperbia gubernare; ſine crudelitate caſtigare; cum pietate fouere: venerationem non exigere; æqualitatem ſeruare; culpas, propter amorem, vel timorem, non diſsimulare; ex rancore, vel odio non punire: in pœnis miſericordiam cum iuſtitia temperare; communi aliorum victu, & veſtitu contentos eſſe: ad bonum monere; nec moribus contradicere: verbo, & exemplo præeſſe: pro diuerſitate culparum, & perſonarum, nunc vinum, nunc oleum exhibere; ſicut poteſtate, ſic virtute ceteros præcellere: non ſolum præeſſe, ſed & prodeſſe: circa interiora & exteriora ſolicitudinem habere: ſpiritualia, & temporalia prouide diſpenſare. quæ ſunt contra Ordinem, ea non admittere: rationabiles facultates non negare: Curis ſuperfluis vos ſubtrahere; ſed neceſſarijs non deeſſe: cum ijs, qui in leuitate ambulant, vos nõ miſcere: maturitatẽ honeſtam prætendere: Prælaturam, propter libertatẽ, vel cõmodum non tenere: auare ſuperflua non appetere: res contra honeſtatem non adquirere: de reddenda ratione, continue cogitare. Ad vos, inquam, ſpectat, ô Prælati eſſe in actione prouidos; contemplatione excelſos; in conuerſatione, humiles; in dictis, veraces; in factis, ſtabiles; in regimine, fideles; vobis eſſe parcos; ſed alijs liberales: In Capitulis, eſſe ſtrenuos; extra, pios. rebellibus, eſſe patres; humilibus, matres. Sic ergo habeatis vos erga ſubditos, vt parati ſemper ſitis in primis illis ſubuenire: ſanos, ad bonum ſtimulare: tentatos, confortare: peccantes, corripere: deuotos, diligere: pigros, excitare: indiſcrete feruentes, retrahere: religioſos, ad exteriora mittere: diſſolutos, in domo retinere: ſeniores, in dubijs conſulere: iuniores, ſecundum Regulam nutrire: ſimplices, nõ contemnere: verecundis, parcere: præſumptuoſos, obiurgare: turbatos, conſolari: omneſque vobis commiſſos, Domino commendare.

CAP. L. Quæ ſpectant ad Prælatum.

CAP. LI. De cura cordis

VT perfectius, fratres chariſsimi, poſsitis finem attingere, quem intenditis, ad quid, mūdum relinquentes, veneritis, cogitetis. Voluntates veſtras frangite: ac mundo vos mortuos æſtimate. de cordibus veſtris abijcite curioſas cogitationes; indignas affectiones; ſiniſtras intentiones: violentas occupationes; triſtitiam inutilem; priuatum amorem, & ſenſum vtique ſingularem. Illud coram oculis Dei cogitare pertimeſcite, quod in præſentia hominum erubeſceretis operibus exercere. Conetur ergo quiſque cor habere, quod ſit vt hortus arboribus virens: vt officina, ſanctarum affectionum aromatibus redolens: vt cælum, diuinarum illuminationum ſideribus fulgens: vt flos, ſupernum rorem ſuſcipiens: vt arca, theſaurum mirificum in ſe claudens: vt fons, deuotionis riuulis ſemper manans: vt ſpeculum, Dominicam imaginem repræſentans. O beatum cor, quod exhibet ſe ſolium, in quo Deus ſedeat; thalamum, in quo quieſcat: ſigillum, cui ſimilitudinem ſuam imprimat: cellarium, quod vino ſuo repleat: & librum, in quo de memoria ſua ſcribat; aurum, quod pro beneplacito ſuo flectat. Conetur ergo iterum, atque iterum habere quis cor, Deo deuotum; cogitationibus diſcretum: & tentationibus cautum; à rancore extraneum; à iudicijs alienum; deſiderio languidum: amore vulneratum: cognitione fulgidum: in operibus timoratum: contemplatione eleuatum: in bono ſolicitum: contritione ſciſſum; munditia ſanctum: timore cuſtoditum, & gratia decoratum. Denique diligentiſsime ſtudeamus, fratres, vt toto corde recedamus à peccato, deteſtando culpam; toto corde conuertamur ad Dominum, agendo pænitentiam: toto cordo requiramus Dominum, ſupplicando veniam; toto corde hæreamus Domino, ipſum ſuper omnia diligentes. toto corde ſeruiamus Domino, ipſum laudantes; toto corde ſequamur Dominum, ipſius ſemitas imitantes. Iſta merito debemus Domino, qui beneficia præſtat innumera cordi noſtro. Ipſe namque Deus corda noſtra ſua potentia iuuat; ſapientia gubernat; bonitate ditat: dulcedine cibat; pulchritudine inuitat: charitate vnit; promiſsis allicit: flagellis erudit; comminationibus concutit; ac beneficijs emollit. Ipſe Deus dulciſsimus, corda noſtra intuetur, probando: tangit, excitando; viſitat, conſolando: viuificat, iuſtificando: aperit irradiando. De quibus omnibus gratiarum actiones nos illi referre conuenit indefeſſe.

CAP. LII. De cura oris.

NVNQVAM frater ſileat loquenda; vel proferat reticenda. Quando vero loqui proponit, ipſa verba prius in animo temperet; quatenus honeſte, modeſte, veraciter, & dulciter, quod voluerit, illud proponat. Lingua enim mendax, dupliciter elata, vel inflammata,

Deo eſt, & hominibus odioſa. Diligenter ergo, chariſsimi, reſpicite, quid, vel quibus; quãdo, vel vbi; qualiter, vel quantum; vel certe qua de cauſa loquamini; ne ſermonibus veſtris, ſi debitæ circumſtantiæ defuerint, generetur mala conſcientia cordibus proprijs; vel certe ſcandalum in animo auditoris. Hæc autem tria; videlicet geſtum, vocem, ſignificationem, in veſtris locutionibus attendatis: ita vt geſtus, ſint diſciplinati; vox, lenis; ſignificatio, ſemper vera. Verbis nolite contendere; ſed nec in litibus curetis victoriam obtinere. Vitanda ſunt ſemper verba, quæ vel loquentibus, vel audientibus ſunt noxia. Ab his itaque locutionibus eſt abſtinendum, quæ vel illius qui loquitur, vel eius, cui quis loquitur, vel illius de quo loquitur, non conueniunt honeſtati. Tempus etiam loquendi conſiderandum eſt: quia quandoque, nihil: quandoque, aliquid dicendum eſt. Sed nullum tempus inuenitur, quando bona, vel etiam mala, ſint omnia proferenda. Aliquando vero, tacere debemus; propterea quod alter loqui cepit; ne ſermonem eius interrumpere videamur. Aliquando cauendum eſt; propterea quod auditorum animos, ad id quod dicere proponimus, aduertimus imparatos. Aliquando tacendum eſt, propter multiloquium deuitandum; vel etiam propterea quod ipſi, qui ſumus locuturi, nondum formam congruam concepimus proponendi. Senes, loquantur de diſcretione conſulendi. Iuuenes, de inſtantia operandi. Sapientes, de myſterio ſcripturarum. Simplices, de exemplis bonorum operum. Qui exteriora tractant de, ſolicitudine vitæ actiuæ. Qui quietam vitam ducunt, de dulcedine vitæ contemplatiuæ. Prælati, de diſpenſatione ſpiritualium, & temporalium. Subditi, de obedientia præceptorum. Cum ergo, propter ædificationem noſtram, loqui volumus, ad hoc, illos, quorum doctrina poſſumus ad virtutem prouehi, eligamus, Cum vero propter ædificationem aliorum loquimur, ad illos quos ſperamus per noſtram exhortationem poſſe corrigi, conuertamur. Ad hoc autem doctrina noſtra intendat, vt hortemur ad conſcientiam, timidos; ad timorem, ſuperbos; ad quietem, importunos; ad feruorem, tepidos; ad ſilentium, verboſos; ad verbum exhortationis, tacitos; ad manſuetudinem, impatientes; ad vigilantiam, negligẽtes; ad indulgentiam, crudeles: ad verecundiã, præcipites, & procaces. Hoc etiam ſolicite conſiderandum eſt; vt frater, inter loquendũ, membra non moueat; neq; oculorũ nutibus, vel alia vultus transmutatione, ſermonis ſui gratiam decoloret. Deuitetis itaque verbum amarũ, ſuperbum, detractorium, adulatorium, maledicum,

ſuperfluum,

ſuperfluum, ocioſum. Sicut autem abſenti non debetis detrahere; ſic nec præſentē aliquatenus deridere. Inſipientibus non debetis illudere: nec ſapientibus inuidere. Sitis muti in ocioſis; ſed multi in ſermonibus fructuoſis. In locutionibus veſtris, non cor in lingua; ſed linguam potius in corde teneatis. Sane cum ad loquendum veneritis; pauca verba, & rationabilia proferatis. Taciturnitatem ametis; & tumultum hominum fugiatis. Per ſilentium namque conſcientia ſeruatur; pœna vitatur; pax conſeruatur; & mens per contemplationem expeditius eleuatur. Quanto enim plus à ſtrepitu negotiorum vos ſubtrahitis, tanto Deus vicinior erit vobis.

CAP. LIII. *Actiones ſanctæ adhibendæ*

HIS virtutibus, fratres chariſsimi, ſingulariter pollere ſatagite; quæ ſpecialiter pertinent ad Regularis obſeruantiam diſciplinæ; quales ſunt, abdicatio proprietatis, cum obedientiæ bono, ac munditia caſtitatis. Et quoniam per votum Religionis, ad magna vos ligatis; magna quoque in operibus demonſtretis. multo namque melius eſt cum minoribus promiſsionibus eſſe deuotum, quam cum maioribus eſſe negligentem. veſtrum Ordinem ſeruetis opere; alios vero charitate. Quotidie in aliquo virtutis exercitio proficite; & in bonum conati, ſolicite laborate. Nauis enim, quæ contra ictum fluuij ducitur, retrocedit; niſi ſurſum cum labore continuo moueatur. Secundum ſtatum, in quo vos Deus poſuit, meliora ſemper, quæ ad illum pertinent, adimplete. Habeatis re vitam; deſiderio vero mortem: diſciplinam extra ſeruate: conſcientiam intus purgate. Subtiliter inueſtigate mala propria. & digne corrigite indagata. Communem reprehenſionem audientes; non illam ad alios, ſed ad vos ipſos humiliter retorquete. Quia certi eſtis de perpetrata culpa, doleatis: ſed quia incerti eſtis de venia, timeatis. In omnib⁹ actionibus veſtris extrema fugite, & ſemper in medio vos tenete. Tali moderamine carnē coercete, quaſi centū anni victuri. Sed vitia ſic fugite, quaſi craſtino morituri. Circa ſeruitia fraterna ſitis prompti; nec vlli, circa vſum proprij corporis oneroſi. Eſtote, fratres, humiles ſine fictione: maturi, ſine affectatione: agiles, ſine leuitate: timentes, ſine deſperatione; ſperantes, ſine præſumptione: ſine contradictione, obedientes: ſine diſſolutione, hilares: ſine murmure, patientes: eſtote, inquam, compoſiti in diſciplina: pij, in miſericordia; immobiles, in conſtantia; in oratione, deuoti, & in veſtri cuſtodia, circumſpecti. Curate præterita mala plangere: præſentia vana ſpernere; futura cauere; in bono, ad finem vſque, perdurare Quamuis nihil honeſtatis humana præſentia vobis debeat adijcere, vel ſolitudo minuere; tamen ibi magis ſeruate diſciplinam, vbi vel pluribus generat ſcandalum neglecta; vel

formam

formam imitationis tribuat cuſtodita. noctem ordinetis ſilentio, & orationi. diem vero bonis exercitijs, & labori. diem detis proximo, noctem Deo. laboris cauſam, non laborem, in laboribus cogitate. in bonis, fortes eſtote: ſed in malis, vos debiles exhibete. in agendis denique, talem ordinationem quoad omnes, & ſingulos obſeruetis; vt ſit, videlicet, in Prælatis, diligentia: in ſubditis, obedientia: in omnibus, ſimul pax & concordia: in choro, deuotio, & diſciplina; iuxta altare, maturitas, & reuerentia. deuoti ſint ſenes; laborioſi, iuuenes: ſit humilitas in habitu: parcitas in victu; ſobrietas in potu. ſit in clauſtro non rumor, ſed lectio. In Capitulo, non lis, ſed confeſsio. Et intentio fratrum non verſetur in cauſis, ſed in pſalmis. In conuentu quoq; ſint aſsidui: ad curias vero, rari.

CAP. LIIII. *Cura magna habenda diſciplinæ.*

SICVT ſpectat ad iuſtitiam operatio boni; ſic declinatio quoque mali. Quapropter laudabiliter viuatis; nec tamen laudẽ hominũ appetatis. Non gloriemini, quia diu vixiſtis. hypocriſin fugiatis, & in veritate, coram, Deo ambuletis, ſicut & in veſtimentis forinſecus apparetis. Nimis enim parum eſt, in ingreſſu Religionis, tantũ habitum immutare. Igitur ſimplices gradientes via, nunquam in via duplicitatis, aut fictionis veſtigium ponatis. Quidquid contra communem vſum eſt, vel quod poteſt vos reddere notabiles; illud fugite, quaſi peſtem. Iuſtitiam nunquã deſeratis, propter verecundiam, aut timorẽ. Diſſolutiones nõ faciatis; nec vos cũ eis, qui in leuitate ambulãt, miſceatis. Studete viſum vanitati, aures rumoribus, cor malis cogitationibus claudere: & linguam à ſermonibus ocioſis, manus à contactibus impudicis, pedes ab euagationibus cohibere. Ab omni denique re vos ſubtrahite, quæ in conditoris vos poſsit obſequijs impedire. Ocia declinetis; nec cellas inutiliter occupetis. Crebra munuſcula; frequentẽ miſsionẽ cingulorũ, & cultellorum; & huiuſmodi deuitetis. Nolite nõ facienda inſipienter appetere, aut facienda, per acediã, faſtidire. Diligentiſsime caueatis, ne quando vel in labore, minus patientes; vel in obedientia præceptorũ, minus alacres; vel in charitatis operibus, inueniamini negligentes. In certo ſemper ſtatu, & ſecura cõſcientia vos ponatis. NVNQVAM in aliquo ſtatu viuere præſumatis, in quo, moriẽdo, decedere nõ audeatis: Exceſſum in habitu caueatis: nec veſtimenta veſtra ſint in genere, pretioſa: vel in qualitate, nimis mollia: vel in colore, ſplendida; vel in forma, vana. Geſtum quoque corporis vbiq; cum diſciplina exerceatis: ſic videlicet, vt ſingula membra veſtra ſuum teneant officium; nec vſurpent in ſuis actibus alienum. Vnde nec loquatur manus; neque os iudicet; neque oculus linguæ officium ſibi ſumat; ſed vnumquodq; membũ decenter opus

Notanda ſententia.

ſuum impleat; quatenus aſpectum intuentium non offendat. Facies autem humana, cum ſit ſpeculum diſciplinæ, tanto maiori ſtudio curanda eſt, quanto minus poteſt abſcondi, ſi quod peccatum in ea fuerit, vel celari. Diſcurſus inutiles frater caueat diligenter. Nam ſicut de inconſtantia mentis, naſcitur inordinata motio charitatis; ſic è contrario, paulatim mens quietē habet, quando motus corporis inordinate furere non ſinuntur. Corpus non colatis; nec ſolatijs tranſitorijs hæreatis: Terrenæ namque delectationes afficiunt falſò, dum adſunt: & contriſtant veraciter, dum abſunt. Hoc ſpecialiter attendendum eſt: ſicut malum opus nunquam eſt laudabile; ſic etiam bonum opus reprehenditur quodammodo, ſi nō fiat tempore oportuno. Iuſtitia enim, & veritas non deficit, quando tempus debitum in his expectatur. Fructus namque non ſemper prouenit, cum ſemen iacitur; ſed tunc demum, quando ſuo tempore ſeminatur.

CAP. LV. Temperantia ſeruanda in cibo, & in potu.

CORPVS, vt ſeruiat, nutriatis; & ne laſciuat, edometis. Sic abſtinentiam exerceatis; ne, poſtea comedentes, ipſum ieiuniū, ſuperfluitate nimia, compenſetis. Non ſapor ciborum, ſed fames, comedēdi vobis excitet appetitum. In menſa ſtudeatis neceſsitati, non appetitui prouidere. Caro enim eſt paſcenda, ſed vitia extinguenda. Vnde corpori neque danda ſunt ſuperflua; neque neceſſaria ſubtrahenda. Quando ergo ſufficientem cibum ſumpſiſtis; ſi poſtmodū delicatiora, vel meliora ſuperuenerint; non, propter illa, ſtomachum oneretis. Et quod de cibo diximus; de potu quoque, ac ſomno, indumento, alijsque corpori neceſſarijs intelligatis: vt nunquam quoque in illis curetis voluptati ſatisfacere, ſed naturæ. Illud prætereundum nō eſt; ante ſumptum cibum, hilariores vos eſſe oportere; ne videamur, propter abſtinentiam, perturbari: poſtea vero tacitos, & modeſtos; ne putemur crapula inflammari: Ante prandium, doctrinæ tempus eſt, & orationis: poſtmodum autem, operis, & laboris. Tunc enim exercendus eſt animus; quando ad ſtudium ſpirituale leuis eſt. Et tunc reprimenda eſt caro; quando calores incentiui, per cibum, ſolent amplius excitari.

CAP. LVI. Peccata, etiam minora, & venialia vitanda. Iac. 3.

SICVT libenter vitatis peccata grauia; ſic cauete, fratres, ne multa vos moleſtēt venialia, vel minora. Sæpe enim de peccatis minimis venitur ad magna, ſicut ignis validus nonnunquam exſurgit ex modica ſcintilla. Vitanda ſunt igitur peccata venialia; quia nos in malis aſſuefaciunt; feruorem charitatis diminuunt; animam ſuo modo maculant; ad pęnam obligant; animę vires in operibus ſuis bonis debilitant: & à gloria nos retardant. Nunquam enim facies Dei videbitur, donec per pænam venialium peccatorum, quadrans minimus perſoluatur.

perſoluatur. Hæc ſunt quoque, quæ gaudium cæleſte indirectè nobis minuunt: quia opera noſtra bona, per quæ creſcere nobis poſſet æternorum cumulus præmiorum, conuertere nos oportet ad perſolutionem huiuſmodi delictorum. Curemus ergo per omnis mali declinationem eſſe potius innocentes; quam, committendo culpas, etiam leuiſsimas, pænitentes.

CAP. LVII. Exhortatio bonà atque concluſio.

ECCE, fratres chariſsimi, qualiter in multis vos inſtruxi, qui & ipſe indigeo erudiri. In loco namq; peregrinationis noſtræ, quam diu prauũ eſt cor hominis; procliue ad vitia: languidum ad virtutes, mutuis exhortationibus indigemus. Hinc eſt quod etiam, atq; etiam vos rogo, & moneo, conteſtans per eum, qui ſuo reuerendo ſanguine nos redemit, & ad vitam, pia morte, reparauit, vt, veſtræ profeſsionis, veſtrique propoſiti non immemores, ſemitarum memineritis antiquarum, per quas anteceſſores noſtri currere feſtinauerunt in ſpiritu vehementi, et iam regnant cum Chriſto, beata requie perpetuo conſolandi. Ad quam, cum & nos diuina ſuffragante gratia peruenerimus, erit animabus noſtris cognitio primæ veritatis: dilectio ſummæ bonitatis; & diuinæ fruitio maieſtatis. Erit & corporibus, claritatis pulchritudo, agilitatis promptitudo, ſubtilitatis aptitudo, & impaſſibilitatis inuictiſsima fortitudo. Ibi erit affluentia diuitiarum, influentia bonorum omnium, ac honorũ. Ibi gaudebimus ſuper nos, diuina intuitione. infra nos, loci amœnitate. intra nos, corporis, & animæ glorificatione. iuxta nos, ſocietate angelorum, & hominum in vnitate. Quid plura? Ibi euaſio periculorum, diſtinctio manſionũ, concordia voluntatũ. Ibi amœnitas vernalis: candor lucis æſtiualis: vbertas autumnalis: ac requies hyemalis. Illic, inquam, vita, ſine morte: certum, ſine ſorte: dies, ſine nocte: libertas, ſine timore: gaudium, ſine mœrore: requies, ſine labore: regalis dominatus, ſine fine. Hæc nobis præſtare dignetur, qui eſt principiũ, ſine principio; & finis omnium, ſine fine.

AMEN.

Appenſus eſt (*Frater*) in ſtatera (*Regulæ tuæ*) & inuentus es minus habens.

Daniel. 5.

RELIGIONES, VIVENTES SVB REGVLA S. P. AVGVSTINI, AB ECCLESIA APPROBATÆ ET CONfirmatæ, pluſquam Viginti octo reperiuntur: vt merito magnus Pater ab omnibus appelletur.

1. PRIMA, & præcipua fuit Religio ſeu Congregatio
Clericorum in ciuitate Hipponenſi; ab ipſo. S. Auguſtino inſtituta, & ordinata, teſte D. Poſsidio, in vita B. Auguſtini cap. 5. & 25. circa annos Domini. 394. Qui quidem Clerici, poſtea Canonici vocati fuerūt. Poſt illos Clericos, ſeu Canonicos à B. Auguſtino inſtitutos, fuerunt & aliæ Congregationes Canonicorum, ab alijs viris inſtitutæ, & ordinatæ, ſub Regula S. Auguſtini.

2. Quarum prima fuit ordinata in Gallia, ciuitate Bellouacenſi, à S. Iuone,
Anno Domini 1080.

Secunda fuit in Gallia, Germania, & in Italia, à S. Rufo, ſub Regula. S.
3. Auguſtini; vt teſtatur. D. Abbas Ioachimus, ſuper Apocalyp. Anno Domini
1100.

Tertia fuit Congregatio Canonicorum Præmonſtratenſium, in Gallia, Ger-
4. mania, & Hiſpania; ordinata à S. Northberto, ſub Regula S. Auguſtini circa
Annos Domini 1120.

5. Quarta Congregatio, Canonicorum. S. Saluatoris in Italia, prope Senas; inſtitutionem, ac ordinationem habens in loco, qui dicitur Scopeto, à quibuſdam patribus Ordinis Eremitarum. S. Auguſtini, circa Annos Domini 1376, ſub Regula Almi Patris S. Auguſtini.

6. Vltima, & nouiſsima in Italia, eſt Congregatio Canonicorum Regularium, prope Lucam ciuitatem, in Eccleſia. S. Mariæ de Friſonaria, inſtitutionē, ac ordinationem, nec non reformationem habens à quodam venerabili patre, S. Dominici, F. Iacobo Bergomenſi; ſub Regula S. Auguſtini, circa Annos Domini 1407. prout legitur in eius Chronicis, lib. 3.

Reperitur etiam in Italia & alia parua Congregatio Canonicorum Re-
7. gularium, quæ dicitur. S. Spiritus, prope Venetias; inſtitutionem, ac ordinationem habens ab excellenti Doctore. F. Gabriele Spoletano, Ordinis Eremitarum. S. Auguſtini, circa Annos Domini 1415. ſub Regula S. Auguſtini.

Eſt

Eſt & Congregatio Clericorum Regularium, ſeu Canonicorum. S. Geor- 8.
gij in Alga, prope Venetias, inſtitutionem habens à B. Laurentio Iuſtiniano Ve-
neto, Patriarcha primo Venetorum, circa Annos Domini 1408. *ſub Regula*
S. Auguſtini.

Congregatio S. Trinitatis, ſiue de Redemptione, in Hiſpania; ordinata à 9.
quodam venerabili patre, F. Ioanne, circa Annos Domini 1197. *ſub Regula*
S. Auguſtini.

Congregatio. S. Ambroſij, ab ipſo in ciuitate Mediolanẽſi inſti- 10.
tuta, Anno Domini 385. *de qua B. Auguſtinus* 8. *libro confeſſionum*
cap 6. *loquitur. Nouiſſime vero ab Eugenio IIII. Summo Pontifice, appro-*
bata & confirmata fuit, ſub Regula S. Auguſtini, Anno Domini 1431.

Ordo vel Religio fratrum Prædicatorum, à B. Dominico inſtituta, & ab 11.
Honorio III. approbata, ſub Regula S. Auguſtini, Anno Domini 1216.

Ordo Eremitarum, multis Eremitarum Congregationibus adiunctis, 12.
amplificatur, & confirmatur ab Innocentio IIII. ſub Regula S. Auguſtini, &
inter Mendicantes numeratur, circa annum Domini 1240. *vt ſcribit D. An-*
toninus. 2. *p. hiſt. tit. vlt. cap. vlt.* § 3. *& Onuphrius Panuinius in ſuis Chroni-*
cis: licet ordo Eremitarum S. Auguſtini, multo ante Prædicatores inſtitutus ſit,
vt apparet in c. Religionum de relig. dom. lib 6.

Ordo Fratrum Cruciferorum, à S. Cyriaco ordinatus, Anno Domini 364. 13.
poſtea ſub Innocentio III. fuit approbatus, & cõfirmatus, ſub Regula S Auguſti-
ni, Anno Domini 1215. *& ab Innocencio IIII. & Pio, II. reformatus, Anno*
Domini 1458.

Ordo S. Mariæ Seruorum, à B. Philippo Florentino inſtitutus, circa 14.
Annos Domini 1285. *ſub Regula S. Auguſtini, à Benedicto XI. ſummo*
Pontifice, approbatus fuit.

Ordo S. Brigidæ, ab ipſa inſtitutus, & ordinatus, Anno Domini 1367. 15.
ſub Regula S. Auguſtini; & à Gregorio XI. fuit approbatus, & confirmatus,
Anno Domini 1376.

Ordo ſeu Congregatio S. Pauli, primi Eremitæ, ortum habuit in Germa- 16.
mania à B. Euſebio, Anno Domini 1215. *& à Ioanne XXII. fuit approba-*
ta, ſub Regula S. Auguſtini, circa Annos Domini 1317.

Ordo S. Antonij, ordinatus & approbatus, Anno Domini 1200, *ſub Re-* 17.
gula S. Auguſtini, ab Honorio III.

Ordo Ieſuatorum, à B. Ioanne Columbino Senenſi inſtitutus, & approba- 18.
tus ab Vrbano V. Summo Pontifice, Anno Domini 1376. *ſub Regula S. Au-*
guſtini.

19. *Ordo vitæ communis, à B. Gerardo Theutonico inſtitutus, & à Gregor. XI approbatus, Anno Domini 1376. ſub Regula S. Auguſtini.*

20. *Ordo S. Hieronymi, apud Feſulas, à B. Carolo Florentino initium habuit, Anno Domini 1406. & à Gregor. XII. approbatus, ſub Regula S. Auguſtini.*

21. *Ordo Eremitarum S. Hieronymi, à B. Petro Piſano inſtitutus, Anno Domini 1380. nouiſſime vero reformatus à Pio V. ſub Regula S Auguſtini.*

22. *Ordo Apoſtolorum, à B. Barnaba in Oriente ordinatus; poſtea in diuerſas partes orbis terræ diuiſus. nouiſſime ab Innocentio VIII. vnitus, & approbatus ſub Regula S. Auguſtini, Anno Domini 1484.*

23. *Ordo Militum S. Ioannis, ſeu Equitum Hieroſolymitanorũ, ſeu Rhodiorum, ſeu Melitenſium, Hieroſolymis initium habuit à D. Gerardo, Anno Domini 1080. approbatus & confirmatus à multis ſummis Pontificibus Romanis, ſub Regula S. Auguſtini.*

24. *Ordo Militum ſeu Equitum S. Lazari, Hieroſolymis primus omnium ordinatus, & inſtitutus, circa Annos Domini 360. Poſtea à ſede ſancta Apoſtolica, ſub Regula S. Auguſtini fuit approbatus & confirmatus: & ab Alexandro IV. multis priuilegijs, & honoribus decoratus, atque à Pio IV. valde amplificatus.*

25. *Ordo Equitum S. Iacobi, in Hiſpania; inſtitutus, & ordinatus à D. Petro Bernardino, circa Annos Domini 1170. ab Alexandro III. ſummo Pontifice, approbatus, & confirmatus, ſub Regula S. Auguſtini.*

26. *Ordo Equitum S. Mariæ in Hiſpania, ordinatus, Anno Domini 1212. & à Gregorio IX. approbatus, & confirmatus fuit, Anno Domini 1230. ſub Regula S. Auguſtini.*

27. *Ordo Equitum Theutonicorum, in Germania, ordinatus, circa Annos Domini 1220. & approbatus ſub Regula S. Auguſtini.*

28. *Ordo Militum, ſeu Equitum Ieſu Chriſti in Luſitania (ſic vocatus) initium, inſtitutionem, & approbationem habuit à D. Ioanne XXII. ſummo Pontifice, ſub Regula S. Auguſtini Anno Domini 1320.*

Sunt & alij complures Ordines, vel Congregationes Religioſorũ, in Italia, Germania, Gallia, & Hiſpania, tam Canonicorum, quam Militum, ſeu Equitum, viuentes ſub Regula S. Patris Auguſtini.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corrige.

Pag 10 lin. 5. ſpiritualis p. 11. in marg. meditandi. p. 13. l. 8. complanantur. p. 23. l. 10. quod. p. 29. l. 5. quæ. p. 33. l. 21. ſacietas p. 48. in marg. propter. p. 62. l. 31. nota. p. 70. l. 19 ego p. 119. l. 22. inquietant. p. 142. l. 4 impudicitia p. 162. l. 7. ego. p. 169. l. 3. indicare: ibid. indicari. p 178 l. 1. promouet. p 187. l. 7. eum p 212. l. 34. occulte. p 217. l. 21. ſine p. 221. l. 9. lentis. p. 230. l. 17. reſpondit. p. 240. l. 24. intromittitis. p 243. l. 23. diſparuit. p. 245. l. 8. ſimilium. p 248. l. 16 amittitur. p. 261 l. 27. facite. p. 272. l. 27. commiſiſti. p. 278. l. 16. fit. p 280. l. 25. quot. p. 297. l. 28. eam.

424,500

Digitized by Google

Digitized by Google